UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Concionum R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu, in quadragesimam. Tomus ...

**Bourdaloue, Louis**

**Augustae Vindel. & Dilingae, 1715**

urn:nbn:de:hbz:466:1-69027

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th 5802
H. I. 21.
x VIII.
14

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CONCIONUM
## R.P. LUDOVICI
# BOURDALOUE
## è Societate Jesu,

*In quadragesimam.*

## TOMUS PRIMUS.

INTERPRETE P. LUD. DE SALIGNY
ejusdem Societatis Sacerdote.

Post Editionem Fixensem in Gallia
Prima in Germania.

*Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Maj.*
*Et Facultate Superiorum.*




AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ.
Apud Joannem Casparum Bencard.

*ANNO M. DCCXV.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# IN FERIA QUARTA CINERUM

# CONCIO.

## DE MORTIS MEMORIA.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

FACILE sit istuc meminisse, Christiani Auditores, dum tam recens, tam acerbum, tam luctuosum oculis nostris obversatur humanæ fragilitatis documentum. Sacra hæc Basilica, quæ ante tres dies tota erat in suavissimo suo antistite lugendo, in solvendis ejusdem funeri justis, lugubri ornatu ac ferali pompâ ad futuræ mortis memoriam animos nostros multò facilius revocet quàm mea qualiscumque oratio. Pastorem illa desiderat divino prorsus sibi donatum munere, ac pro mortali conditione, terris ereptum. Non generis nobilitas, non splendor dignitatis, non Sacerdotii sanctimonia, non ingenii robur, non naturæ bonitas, non ani-

*Domin. de Perefixe Archiep. Parisiens.*

animi virtutes, animi, inquam, benefici, recti, religiosi, ab omni arte & fuco longissimè remoti, nihil horum omnium prohibere valuit quin is ineluctabili fato concederet & sedem Gallicanæ Ecclesiæ celsissimam, cum sepulchri squalore ac pulvere commutaret.

Vos, Canonici venerabiles, quorum ille Princeps dignissimus erat & caput, ad quos, pro jure vestro, spiritualis ejus potestas jam rediit, & agnoscimus ceu Pastores ac Patres totidem, vos, quorum nutu & auctoritate in hunc suggestum conscendi, non obliti estis (&, an potestis unquam oblivisci?) cuncta benevolentiæ ac præclaræ de vobis opinionis, cuncta fiduciæ data ab eo, ad extremum usque spiritum, testimonia, quæ dolorem eò magis augent vestrum, quò jacturam factam à vobis magis intelligitis, ac tanti præsulis memoriam reddunt longè multò chariorem.

Verumenimverò postquam est pietati gratique ac memoris animi officio satisfactum, aciem mentis in nosmetipsos reflectere jam nos convenit, Auditores Christiani; atque ut fructum aliquem ex tam piâ, tam sanctâ morte percipiamus, tumuli, quo conditus jacet, pulvere, sacro pulveri, quo christianorum frons aspergitur, adjuncto, vitæ sanctioris ex utroque perquam utile documentum sumamus. Hæc enim est terrestris mortalium sors, hæc meta consiliorum omni-

omnium, hic mundanæ cuivis dignitati positus terminus; hæc unica & gravis cogitatio, nunquam nobis ex animo dimittenda. *Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Memores estote, quicumque tandem estis, divites aut egeni, summi aut infimi, Reges, aut Regum imperio subjecti; uno verbo, mortales universè ac privatim omnes, memores estote, pulverem esse vos ignobilem, & eundem in pulverem aliquando resolvendos. Injucunda quidem vobis erit ejusmodi cogitatio, offendet vos, turbabit, afflictabit: verùm sanabit illa offendendo; turbando & afflictando salutaris erit; atque è salutari fiet fortasse non tolerabilis modò, sed & jucunda vobis & accepta. Ut ut est, quas illa opportunitates, quæ bona habeat adjuncta sibi, hodie ostendere, hincque concionum mearum curriculum auspicari constitui. Supreme hominum procreator, idem ac parens, Deus, qui sacri Vatis os, manare unde oportebat sanctissima divinæ tuæ legis oracula, candenti diceris mundâsse carbone, fac, ut linguâ meâ pariter mundatâ, concreditum à te munus dignè hoc loco sustineam. Remove à me quæcumque sunt ab spiritu tuo aliena; cogitationes alias nullas injice, quàm quæ sunt ad permovendum, persuadendum, convertendum accommodatæ. Eloquentiam suppedita qualem habuit gentium Apostolus, non

vanam ac ſutilem, quæ id unum ſpectet, humanam ut alat curioſitatem; ſed eloquentiam chriſtianam, quæ ab Evangelio tuo vim ſuam omnem dum trahit, averſos à te ſtimulat, pungit, expugnat, divinæ tuæ legis jugo ſubmittit. Fac Auditorum animos paratos nanciſcar, ad excipiendos lucis radios, queis oratorem tuum colluſtrare libuerit; atque ut mihi propoſitum nihil eſſe debet, præter æternam eorum ſalutem, fac verba dum faciam, ſincero teneantur tantæ rei deſiderio; ea ſiquidem eſt ad cœleſtes omnes gratiæ quæ ſatus accipiendos, maximè neceſſaria præparatio. Iſtuc abs te, Domine Deus, Beatâ Virgine opitulante, & illis & mihi poſtulo atque oro. *Ave Maria.*

EST inter ſapientes, etiam ethnicos, recepta ſapientiſſima vox, inſignem vivendi ſcientiam, ſcientiam eſſe moriendi; nec fieri omnino poſſe, ut ſe quis præſcriptis contineat officij finibus, ſolidæque virtuti adhæreſcat conſtanter, ni ſe moriturum, ſecum ipſe crebrò reputet. Hominum autem vitam, aut ea potius omnia, quæ in hac mortali vitâ tum ratione, tum fide perficiuntur, ad tria reperio potiſſimùm revocari; ad cupiditates, ad deliberationes, ad actiones. Sunt nobis cupiditates temperandæ; ſunt conſilia capienda; ſunt officia obeunda. In his vertitur humanæ vitæ ratio.

*Hoc*

*Hoc est enim omnis homo*; homo, inquam, *Eccles.* 21.
rationis ac fidei compos christianæ: sunt cupiditates temperandæ, cohibendis videlicet turbatis & efferis earum motibus, atque ex rationis præscriptione moderandis: sunt consilia capienda, atque ita capienda, ut errores caveantur, qui ea comitari, &, quæ consequi solent, causæ pœnitendi: sunt officia obeunda, animóque obeunda alacri ac prompto. Ad ea autem cuncta perficienda mortis memoriam satis esse contendo, ac tria dico, quæ, quia totidem erunt concionis hodiernæ partes, diligenter à vobis percipi velim. Præsentissimum est ad sedandas cupiditates remedium, mortis recordatio; hoc primum; regula tutissima est ad ineunda & constituenda consilia nostra omnia, mortis recordatio; hoc alterum; ad torporem & socordiam nostram in virtutum studio excitandam, via est & ratio certissima, mortis recordatio; hoc tertium erit concionis caput. Quæ ut expediam, docere consilium est, quanta vis in illis insit verbis, *memento homo quia pulvis es &c.* Cæco abreptus appetitionum æstu, Christiane Auditor, videris tibi ipse nonnunquam ambitionis & cupiditatis tuæ haud satis potens; *memento*, ac tecum reputa, quid rei sit ambitio, quid cupiditas hominis morituri. De gravissima re deliberas, nec satis vides, quid facto tibi sit opus; *memento*, ac tecum re-

puta, quid ſtatuere conveniat hominem moriturum. Tædio ſunt & labori, Chriſtianæ Religionis munia, iiſque negligenter fungeris ac gravatè; *memento*, ac tecum reputa, morituri hominis quanti interſit eadem ritè exequi. En fructus chriſtianis omnibus ex mortis meditatione colligendus, eritque hodiernæ concionis argumentum.

PARS I. UT ſedentur appetitus noſtri, noſcendi primùm illi ſunt probè. Quam in rem, auctore Chryſoſtomo, tria potiſſimùm cognoſcenda; nimirum vanos, inſatiabiles, & injuſtos eos eſſe. Sunt vani quoad res illas attingunt fragiles & caducas, quibus adhæreſcunt. Inſatiabiles & immenſi, atque adeò neque expleri ipſi unquam, neque explere nos valent. Injuſti denique, dum cæcatis, vanâque ſui opinione tumentibus perſuadent, ut ſecernant ſe, & ſupra cæteros mortales attolant. In iis quippe, ſi Chryſoſtomo fides, poſita eſt humanarum appetitionum intemperantia. Igitur re nobis aliquâ opus erat, quæ illarum impetus & inordinatos comprimeret motus, earumdem patefactâ vanitate; quæ eas, ſupremæ cujuſdam neceſſitatis legi cum ſubjiceret, certis intra noſmetipſos cancellis, nobis etiam nolentibus, includeret, remotóque diſcrimine omni, ad modeſtiam, hoc eſt, ad æqualitatem illam compelleret, quæ eſt à DEO pri-

primitus inter homines constituta; cogerétque quicunque tandem simus, non arrogare nobis indebita, & mutuæ charitatis officia, quæ debentur, in alios haud ægrè conferre. Hi sunt enim, Christiani Auditores, fructus mirifici, quos edere solet mortis cogitatio, pectoris intima Deo pungente. Attentos vos, quæso, præbete, & colligite diligenter quæ ad mores vestros informandos sum dicturus. Vanas esse dixi cupiditates nostras, quod ut cognoscatur, satis fuerit earum rerum ad quas applicant sese & adjungunt, vanitatem percipere. Hoc unum restinguat necesse est incendium illud humano in pectore ab iis excitatum; atque istuc ipsum, gravissimum est documentum quod traditur in libro sapientiæ fateamur enim, Auditores Christiani, quanquam non sine pudore, quandiu terrenis opibus magni quiddam inesse videtur, & id ponimus velut certum, vix facere possumus, quin earum amore teneamur, atque adeò consectemur cupidissimè. Quæcumque tandem ratio contra pugnet, quæcumque id lex vetet; quæcunque conscientiæ ac Religionis vox deterreat, vincit cupiditas, & lenocinantis, fallacísque boni specie occupati, aliâ quavis omissâ cogitatione, blandis, quibus trahimur, illecebris totos nos permittimus. Si naturæ obluctamur pravitati, si, DEO ut obtemperemus, debellamus nosmetipsi, ne-

ceſſitati victoria illa tanta debetur, non voluntati. Manet ſemper cupiditas, falsáque, in qua verſamur, opinio, bona illa, quæ tantopere expetuntur, vera eſſe, beatos efficere poſſe, infinitam illorum nobis injicit cupiditatem; lætitiâ effert, cum poſſidentur; exanimat amittendi metu. Jacemus in mœrore cum pauca, gratulamur nobis cum plurima ſuppetunt; cum elabuntur è manibus, angimur, conturbamur, deſpondemus: unde hoc autem? quia videlicet vanis imaginibus deluſa, ac depravata mens, opes nobis oſtendit, ut vera ac ſumma bona, è quibus ſumma hominum felicitas pendere videatur. Nulla animum ab iis abjungendi certior ratio ac via, inquit Chryſoſtomus, quàm ſi ab inſito errore deducamur. Cognitâ enim rerum humanarum vanitate, facilè, imò ſuapte ſponte ac veluti naturâ, earum amorem animus exuit. Nulla jam avaritiæ, nulla ambitionis in nos eſt poteſtas. Adeò non acres ſumus in conſectandis terreſtribus bonis, vias illorum omnes cum obliquas tum illicitas ineundo, ut perſpectâ illorum inanitate, vix à nobis impetremus, ut ad avitas legitimásque poſſeſſiones tuendas, partem aliquam curæ noſtræ derivemus. Quoniam videlicet perſuaſum nobis eſt, mundanas omnes facultates, vix hominum curâ & cogitatione, ne dum ſtudio, dignas eſſe. Unde autem perſuaſio illa ſalutaris? ex piâ mortis con-

consideratione. Docet enim mors, ut animadvertit Chrysostomus, idque argumento aperto, in ipsósque etiam oculos incurrente, quas adamamus, humanæ res, quàm pro nihilo sint habendæ. Mors sola istuc fatetur. Cætera omnia nobis imponunt, fucúmque faciunt. Mors sola speculum est minimè mendax, in quo perspicimus quàm instabiles, quàm fragiles & caducæ sint terrestres fortunæ; quod errores nostros omnes eripit; quod fascinantem mundi amorem animis excutit; quod ex ipsâ sæculi caligine cæcísque tenebris affatim haustam spargit lucem, & in sensus mentémque nostram penitus immittit. *In illa die* (ita spiritus sanctus de profanis mundi amatoribus) *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Dies illa, quam nobis fingebamus, velut obscuram & cæcam noctem, suâ illos luce complebit, discussáque caligine, veritas emersa sese invitis obtrudet. Credere tunc desinent, quæ semper numeraverant in veris. Videbunt ad eam usque diem inviſa. Quæ faciebant plurimi, quæ attonitos eos habebant, ea despicient, ea erubescent; adeò ut eorum in mente generalis fiat rerum quasi conversio, ad quam hi partim admiratione, partim metu ac pavore hæreant defixi. Vanæ illæ opiniones, quas de mundo falsáque habebant ejus felicitate, continuò delebuntur, imò penitus evanes- *Psal.* 145.

nescent. *Peribunt omnes cogitationes eorum.* Quoniam pravæ eorum cupiditates haud aliâ re nituntur, quàm ipsorum cogitationibus, hæque, quemadmodum Propheta loquitur, sunt aliquando *perituræ*; ita & illæ pereant necesse est. Quasi dicat, extinguetur obstinatus ille crescendi ardor, immane illud ditescendi studium, quo tenentur; quoniam cernent clarâ sub luce (*in illa die*) quàm nugatoriæ sint res illæ omnes, ne dicam, vesanæ. Quid autem assequimur crebrâ mortis commentatione? fatalis horæ molestiam anticipamus; non expectamus dum peractâ scenicæ ætatis fabulâ, aperiat se vel invitis illud mundanæ vanitatis mysterium; evolvimus ipsi nobis atque explicamus. Cum enim luridam mortis imaginem tanquam in tabulâ contemplor, humana omnia eodem loco posita & locata videntur, quo mors mihi illa eadem spectanda proponet. Idem de iis judicium fero, quod feram morti proximus. Eadem, ut tunc, despicienda jam duco; eadem, ut tunc, adamasse jam pœnitet; cæcitatem, ut tunc, jam meam deploro. Exinde appetitiones restingui; frangi cupiditatem; caduca illa ac mobilia bona negligi; aliquo in numero non putari. Quid multa? rerum omnium amorem abjicio, ut pote quas vi ac necessitate sentio brevi excutiendas. Hac arte cupiditates frænebat suas Vates sanctissimus:

mus: hac egregiam illam mundanæ gloriæ contemptionem alebat ac despicientiam, ad quam pervenerat mediâ in Aulâ. A Deo videlicet in beneficij petebat & gratiæ loco, ut constitutos vitæ suæ terminos sibi ostenderet. *Notum fac mihi, Domine, finem meum*; ut nosset, quàm exiguus sibi cursus conficiendus restaret, sed notitia, quæ in actiones factáque ipsa redundaret. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi.* Dubium quippe illi non erat, quin cogitatio hæc una, moriendum mihi est, acerrimas restingueret ipsius cupiditates. Et verò, addebat is, perquàm angustos vitæ meæ cancellos circumdedisti. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Unde fit, ut quidquid sim, quidquid esse aut cupiam aut sperem, Domine Deus, sit *tanquam nihilum ante te.* Mihi quidem nihilum istuc, non nihil est, imò omnia. Verùm *ante te* eadem hæc omnia ad nihilum illud redire tandem necesse est, cum eo quasi permisceri atque confundi; mórsque quæ inevitabile vivi hominis fatum est, è bonis & voluptatibus universis, queis perfruitur, ex insignibus honorum titulis, quibus gloriatur, citrà ullam exceptionem, quandam vanitatis velut abyssum facit. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Rem adeò perspectam non agnoscit homo mundanus, imò illius ignarus videri amat, attamen

*Psal.* 38.

*Ibid.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Ibid.*

men liquet, ejusdem vitam, nihil prætet inane simulachrum, & fugacem umbram esse. *Verumtamen in imagine pertransit homo.* Anxius is est ac sollicitus, atque, ut mundano usuvenit, non usquam consistit. Sed enim omnes in partes frustra sese agit ac torquet ob ea suscepta, quæ mors disturbabit, ob clandestinas artes ac dolos, quos mors stranget; ob spes amplas, quas brevi
*Ibid.* mors præcidet; *sed & frustra conturbatur.* Opes opibus ut accumulet se ipse cruciat ac conficit; ad quem autem tot laborum fructus perventuri sint, ignorat. Ad liberosne suos, an ad externos. Ad ingratos hæredes, an ad memores & gratos. Ad prudentes rei familiaris dispensatores, an ad
*Ibid.* homines immoderatè profusos. *Thesaurizat & ignorat cui congregabit ea.* Ita animo insederant, ita afficiebant regium pectus piæ illæ cogitationes, ut sedatis planéque compositis perturbationibus nemo non haberet in eo moderationis specimen & exemplum illustre. Idipsum nobis usuvenit, Auditores Christiani. Fateamur enim quod res est; si dura nobis imposita non esset moriendi necessitas, aut, si fas esset legi illi non parere, quâ naturæ tributum hoc pendere jubemur; quantumvis vanæ sint humanæ cupiditates, earum vanitatem nunquam agnosceremus; nunquam dimitteremus res eas omnes, quæ tam suaviter nobis

bis blandiuntur, & conſectamur tam cupidè. Fruſtrà haberentur apud nos longiſſimi eo de argumento ſermones; fruſtrà colligerentur cunctæ ſuper eâ re Philoſophorum ſcholæ; fruſtrà rationibus nobiſcum & argumentis apertiſſimis ageretur; falli nos putaremus ac decipi, diſputationum ſubtilitate non minus inani, quàm ſit ipſa vanitas perſuadenda. Fides Chriſtiana, eáque omnia cauſarum momenta, queis ad credendum impelli debent hominum mentes, nihil jam apud nos valerent. Excuſsâ humanæ fragilitatis memoriâ, quæ nos, heri ſeverioris ritu, in officio continet, in ſapientiæ laude poneremus, deſiderijs noſtris obſequi; in certis numeraremus ac veris, fucata & falſa mundi bona, noſtráque à nobis ipſis deſciſcens ratio, jam inciperet cum cupiditate conſpirare: at cum dicitur, moriendum nobis eſſe; cùm iſtuc taciti nobiſcum agitamus; ah! nihil habet quantumvis ingenioſus ſui ipſius amor, nihil habet, quo ſe tueatur. Hæc illum cogitatio exarmat; agit cum illo pro imperio inſita ratio; tum is fidei jugo ſeſe volens ſubmittit. Quam obrem? quoniam naturæ mortalis imbecillitatem quam mors non oſtendit modò, ſed & ſenſibus ipſis ſubjicit, diffiteri jam nequit. Notavit Chryſoſtomus diſcrimen hoc inſigne, quod inter cæteras cogitationes pias & mortis, intercedit. Cur enim, quærit

ſan-

ſanctiſſimus Doctor, cogitata mors mentem validius ſerit? cur rerum caducarum vanitatem propius illa demonſtrat & exponit; quàm res aliæ quævis? quoniam cogitationes cæteræ vanitatem hanc ſummùm teſtantur ac probant; mors, aut vanitas illa ipſa eſt, aut ejuſdem effectrix & cauſa. Mirum igitur videri non debet, eam ineſſe morti vim, ut à rerum omnium ſtudio nos abducat. Argumentatione illâ Paulus tam idoneâ, ad exuendam cupiditatum ſervitutem Corinthios hortabatur, & ad beatam illam libertatem retinendam, quam & volebat commendatiſſimam ipſis eſſe. *Tempus*, inquiebat, *breve eſt*; quid tum inde? *reliquum eſt ut qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Quàm hæc conſentanea ſunt & conſequentia? imò maximè, reſpondet Auguſtinus; quoniam gaudere illum, quem mori oportet; opes poſſidere, quem mori oportet; coli ab omnibus, quem mori oportet; perinde eſt ac coli, & non coli; poſſidere, & non poſſidere; gaudere, & non gaudere; vox enim illa, mori, rerum omnium privationem infert & extinctionem; cujus hæc eſt proprietas divinæ rationi prorſus contraria, ut faciat nos quæ exiſtant intueri, quaſi non exiſtant; cùm Dei ſit hoc proprium, teſte ſcripturâ, *ut vocet*

*ea*

*ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.*

Vanæ non modò sunt humanæ appetitiones, sed, tametsi vanæ, insatiabiles sunt & immensæ. Cedo enim mihi ambitiosum hominem, qui fortunâ dulci ebrius, mundanæque gloriæ studio captus, nihil optaverit ultrà objectam sibi sortem. Cedo avarum, qui parandis opibus dies noctésque intentus, aliquando dixerit, satis est. Natura, ait ingeniosè Salvianus, acquiescit in necessarijs. Utile & honestum ratio, dulce ac jucundum cæcus sui ipsius amor, superfluum & immoderatum vitiosa cupiditas consectatur. Superfluum autem illud infinitum est, cui, quantumvis interminato, fines ponit & metas mortis commentatio, ut & ipsâ in morte, nobis olim invitis, nanciscetur. Illa Ecclesiæ verba tantùm usurpem; *memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Tristem hanc sententiam ingeminem, ad eósque omnes dirigam apud quos verba facio, & suis sunt cupiditatibus mancipati, quiescent continuò vasta illa & immensa desideria quæ illos torquent, quæ expleri nunquam possunt. Iisdem verbis eos compellem, queis Judæi Christum invitant ad Lazari cadaver propius intuendum, *veni & vide*; adesdum, avare; urit te insatiabilis cupido, cujus ardor extingui nullâ re queat; & quoniam insatiabilis illa est, ad innumera te impellit flagitia: dutum te facit, & immi- *Joan. 11.*

sericordem adversus egenos: in supinam salutis oblivionem adducit: in tetrum hoc cadaver oculos conjice. *Veni & vide.* Pancis annis emersérat ad summas opes homo, ut tu, repentinus; eâdem, quâ tu, insaniâ dum laborat, id egit unum, rem ut augeret familiarem; ut liberos beatos ac florentes relinqueret; hunccine jam vides? vides quàm nudum mors fecerit & rerum omnium inopem? ubi nunc annui proventus? ubi divitiæ? ubi sumptuosa & magnifica suppellex? est ne jam illi quidpiam præ mortalium omnium capite vilissimo; terræ pars longa pedes non amplius quinque; linteum, quo amicitur, non prohibiturum putredinem; hoc tantùm. Ubi nunc reliqua? en quod figat avaritiæ tuæ metam. *Veni & vide.* Adesdum homo profane, falsæ gloriæ & amplitudinis tam appetens. Tenet te constrictum, paulatímque exedit ambitio, quæ quoniam immensa est, omnes excutit Religionis sensus. Totum te una possidet, animum fascinat, nec te tui satis compotem esse permittit. Huc oculos tantillum adverte; contemplare sepulchrum hoc. Quid inibi tueri datur? erat is, vir, ut tu, primarius, ac splendidus, & te fortasse splendidior. Natalium, ut tu, claritate præsignis, qui & posset summa quæque spectare. Agnoscis? vides quem in locum mors dejecerit? vides quas ad metas, per eam, hæserint altæ, quas animo vol-

vebat,

vebat, cogitationes? vides magnis ut ejus consiliis eadem illuserit? en unde temperes ac modereris tua. *Veni & vide.* Adesdum pravis mundi legibus addicta fœmina, adesdum. In molli tota es corporis obsequio; tibi nulla potior quàm formæ fragilis cura; &, quoniam studium hoc plus æquo immoderatum est, pudendam in te mollitiem fovet; placendi desideria excitat haud satis pudica; innumeras cum flagitijs, tum publicæ offensioni occasiones & causas præbet. *Veni & vide.* Erat illa in primævo, ut tu, juventutis flore; erat, ut tu, mundi amores ac deliciæ; tam ingeniosa, tam expetita, tam gratiosa cunctis cœtibus, tam perditè, quàm tu, amata. Viden illam? viden oculos exangues? fœdum os & horrendum aspectu? habes in eo unde insanum tui ipsius amorem comprimas. *Veni & vide.*

Denique injustæ sunt cupiditates nostræ, seu cùm præclaram de nobis, seu cùm perversam de alijs opinionem nobis injiciunt. Mortis cogitatio intra justitiæ nos fines includit, cogitque & æquos alijs esse & nobis. *Mors sola*, inquit Seneca, *jus æquum est generis humani.* Et verò cum mortis oblivisçimur, & insignes quosdam, queis sumus ornati, titulos tantùm spectamus, vano fulgore mentis aciem præstringente, in ijs nos amamus, circumspicimus nos magnificè, insolenter efferimus. Hinc feroces sumus at-

que elati, fastidiosi, facilè irritabiles, invidi, ultionis appetentes, ad audendum quidlibet projecti, violenti, iracundi. Hinc superbius alios appellamus; asperè tractamus & inclementer; facilè offendimur; ægrè condonamus; hunc impetimus; illum deturbamus; cedere nobis omnes volumus, fascésque submittere; volumus, quasi pro jure nostro, nobis omnes esse obnoxios & obsequentes, dum nemini obsequimur ullâ in re. Nónne hæc ipsa tam durum nonnunquam & gravem efficiunt dynastarum dominatum? instantem mortem assiduè meditemur, brevíque, eâ magistrâ, discemus, æqui in nos pariter & alios esse; discemus, ferocitatem ac fastum, fastidium & contemptum, naturam irritari facilem, livorem, vindictæ appetitum, acerbitatem, iram, violentos animi impetus damnare in nobis atque coërcere. Quemadmodum igitur ad iratos maris fluctus frangendos, satis est exiguus pulvis oppositus à Deo, *hîc confringes tumentes fluctus tuos*; ita impositus capiti nostro cinis, animum dum revocat ad venturæ mortis memoriam, satis est ad cordis nostri tumorem frangendum, ad motus illius omnes inordinatos coërcendos, ad christianam demissionem sapientémque modestiam in nobis retinendam. Quo autem pacto? quoniam mors æquam & parem esse docet omnium conditionem, quod tam li-

*Job. 38.*

ben-

benter obliviſcimur, & eſt tam neceſſarium, ut nobis cæteri mortales magis æquis ac facilibus utantur. Cum enim illam Salomonis ſententiam retractamus, tacitéque nobiſcum iſtuc agitamus; *unus & ſtulti, & meus occaſus erit.* *Eccleſ. 2.* Cum illa regij Vatis verba nobis accommodamus, *dij eſtis, & filij excelſi omnes; vos autem, ſicut homines moriemini*; *Pſal. 81.* cum *in infernum*, quemadmodum ſcriptura loquitur, *viventes deſcendimus*; hoc eſt, cum animo & cogitatione in ſepulchrum ingredimur; cum doctus cum indocto, cum opifice vir nobilis, cum ſervo inſignis bellator permiſtum ſe videt atque confuſum; eâdem ſe humo contegi; ijſdem circumfundi tenebris; ijſdem adedi vermibus; ſqualere eodem ſitu; eâdem tabe abſumi; eundem denique reſolvi in pulverem; *parvus & magnus ibi ſunt, & ſervus liber à Domino ſuo*; *Job. 3.* hæc, inquam, omnia cum meditamur, attentiúſque conſideramus; homines illos, qui opinione noſtrâ tantò nobis ſunt inferiores; homines illos, in quos tam impotentem exercere amamus dominatum, nullâ miſericordiæ, nullâ charitatis, nullâ humani uſûs, vitæque politioris habitâ ratione; homines illos, quos perferre ullâ in re non poſſumus ac pati; quos inſectamur odio tam acri & acerbo; nobis naturâ, ſpecie, formâ perſimiles, aut, ſi vultis, meros nos homines eſſe æque ac illos; morti,

iisque omnibus, quæ mortem consequuntur, obnoxios, æque ac illos; quàm diversi tunc nostri sensus! quàm diversæ in animo nostro cogitationes! ex eo quippe non jam nobis ipsi usque adeò placemus; quoniam nobis ipsi magis cogniti sumus atque perspecti. Ex eo non tam superbam tenemus in eos auctoritatem, qui vel ortu ac genere ipso, vel fortunæ malignitate sunt multò infrà nos positi. Quoniam videlicet si cum homine homo componatur, non videntur illi adeò inter se distare. Ex eo non tam acres jam sumus juris nostri vindices, quoniam non tam multa occurrunt quæ debita nobis esse judicemus. Ex eo non tam graves nobis apparent illatæ nobis injuriæ, nec tam obstinatè satisfactiones exigimus immodicas; quoniam aggressori seu vero, seu credito, non usque adeò superiores nos esse, animum, ut aliàs, inducimus, & nullâ non in re concedendum nobis ab eo & obsequendum. Manſuetudo, modestia, comitas, obsequium, patientia ex eo jam elucent in nobis. Illis misericordes nos præstamus; hos officijs antevertimus; alios partim excusamus, partim sublevamus; bene de alijs meremur; nobis omnes benefactis obligamus. Hi sunt nimirum salutiferi meditatæ mortis fructus. Non est ulla sedandis appetitionibus nostris medicina præsentior, ut & regula certior, ad quam consilia nostra omnia exigamus.

Quan-

QUANTACUMQUE mentis acie ac robore cæteris mortalibus superiores videri velimus, Christiani Auditores, constat, testante scripturâ, *cogitationes nostras timidas, incertámque providentiam nostram omnem esse. Cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ nostræ.* Timidæ sunt cogitationes nostræ, inquit Augustinus in hunc locum, quoniam in ijs ipsis actionibus nostris quæ ad salutem pertinent, sæpe ignoramus an rectissimum, imò an rectum etiam consilium iniêrimus; nec satis dilucidè res perspiciuntur, ut rectè veræ falsis, multò minus certò dijudicari & distingui à nobis queant. Hinc quantumlibet acuti simus ac perspicaces, haud sine causâ, ne in errorem abducamur, formidamus. Fieri siquidem potest ut via quam sumus ingressi, quantumvis directa nobis videatur, talis reipsâ non sit; nec prohibet lumen quod pertenue præfert insita ratio, quin funestis ijs erroribus simus obnoxij, quos Paulus avertere studet, dum nos admonet, *ut salutem cum metu ac tremore operemur. Cogitationes mortalium timidæ.* Ut timidæ mortalium cogitationes, ita incerta ibidem dicitur eorum cautio & provisio. Etenim cum res futuræ non pendeant à nobis, solique Deo sint cognitæ, quantamcunque cautionem adhibeamus, semper dubium est nobis & incertum, id quod aggredimur quanquam animo in spe-

PARS II.

*Sap. 9.*

*Phil. 2.*

ciem bono ac pio, recténe ſuſcipiatur an ſecus; an id, facinus ſit, cujus aliquando pœnitere nos oporteat; quódque noxâ vacuum cum credatur in vitâ, doloris in morte ſit ac deſperationis cauſam allaturum. *Incertæ providentiæ noſtræ.* Sors utique calamitoſa, quam mortalium ſapientiſſimus, ut fatalem olim deplorabat peccati fructum. Næ ille igitur rebus noſtris optimè conſuluerit, qui viam invenerit ac rationem, quâ dubitationes eximantur anxiæ & acerbæ; quâ incertæ pellantur formidines, humanæ mentis tranquillitati tam contrariæ; quâ, quoties chriſtiani hominis officia aguntur, in id, quod tutum eſt conſilium ſemper inclinemur; & in multis, quæ cum ſalutis ſtudio jugata ſunt atque connexa, errori pariter ac pœnitentiæ locus præcludatur. Sic autem ſtatuo, nullam ad id perficiendum viam ac rationem, memoriâ mortis, aptiorem eſſe. Quid ita? quoniam illius ope privatim nobis accommodamus, ídque vividâ ſub imagine, commune omnibus fatum, finémque ultimum, quem nobis ante oculos animósque noſtros in omni deliberatione habendâ, ut ſolidam actionum noſtrarum regulam proponere nos oportet; & liquet, aſſiduâ hujus exercitij frequentatione, occurri cunctis anxietatibus, angoribúsque animi, qui conſilia alioqui noſtra conſequi poſſent. Cùm vita nobis ordinanda neceſ-

necessariò & divinâ lege temperanda sit, quid est hac Christi doctrinâ ad fingendos & informandos mores, & nativam imbecillitatem, variósque casus sustentandos accommodatius? adeste animis.

In rebus ritè statuendis & decernendis semper inspiciamus oportet in finem illum ultimum, qui est omnium norma; atque adeò ad quam dirigi suscepta nostra omnia debent, velut lineæ totidem ad centrum. Cùm finem ultimum dico, nihil aliud intelligo, quàm supremum illud bonum unicè necessarium; æternam illam animæ nostræ salutem, cujus cogitatio nunquam est dimittenda nobis, & è qua actiones nostras omnes pendere necesse est atque proficisci. Istuc axiomatis genus est quoddam apud omnes doctrinæ Christianæ magistros indubitatum, & principium receptum universè. Atenim fierine potest, ut oculos nunquam dejiciam à re tam remota à sensibus; ita me factáque omnia circumspiciam, ut eorum quodque quî feratur, non dico ad finem proximum, quo movemur ad agendum, sed & ad communem, magísque remotum finem, quò contendere nos omnes oportet, observem? id perficies utique, Christiane Auditor, si mortem intuearis ac cernas, quasi præsentem; si futuram multò ante provideas. Nobis quippe, vel invitis, mors reducit in memoriam, quæ eam consequitur,

æternitatem. Revocat illam, & caligantibus mortalium oculis, ceu lucis radium obtrudens, radium, inquam, vividum, & in animos nostros se fundentem, quo quidquid in factis inest nostris, cum boni tum mali, certi aut periculosi, utilis aut noxij, profert in apertum.

Etenim cum penitus insidet hæc cogitatio, moriendum esse mihi, judicio jam saniore cuncta ponderare incipio atque æstimare. Innumeris erroribus expeditus, quos mors, quos æternitas depellit, quicunque casus inciderit, perspicio longè clarius ac promptius, quod me à fine avertere ultimo, aut ad eum nitenti præsidio esse potest. Id autem ubi primùm intueor, non jam animi pendeo in ijs constituendis, quæ mihi vel fructuosa sunt in salutis semitâ ingredienti, vel pernicioſa. Jam nihil hæsitans ita pronuntio; hoc mihi exitiosum est, hoc utile; hoc me objiciet peccandi periculo; hoc me æternum ad interitum deducet; ac quoniam exitiosum est, abdicare; quoniam utile est, admittere; quoniam periculosum est, formidare; quoniam pernicioſum est, declinare me decet atque aversari. Remove mortis memoriam, ultimi finis cogitatio mentem non nisi leviſſimè afficiet, nec prohibebit illa, quin ad scopulos offendam innumerabiles, permultúsque in rebus miserè prolabar. Quotidianum hoc est. At cum mor-

mortem, &, quæ ab ea ſejungi nequit, æternitatem meditor, mentem percutit univerſam ſalubris hæc cogitatio, atque ita percutit, ut à beato illo fine, propter quem ſum à Deo conditus, deduci jam nullo pacto, atque averti poſſim. Adminiſcetur ille, velim, nolim, ad ea omnia quæ molior, ad utilitates omnes, ad jus omne quod perſequor; & quia finis ille ultimus, ita nobis admotus, certa regula eſt, quâ mala homini vitanda, & quærenda bona metienda ſunt, mortis commentatio, mihi Chriſtianæ ſapientiæ fit principium ac fons. *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent!* *Deuter. 32.*

Et verò cur Paganis ipſis tam religioſa fuiſſe dixero majorum ſepulchra? cur coïbant ad illa ſubinde quaſi reſponſa petituri? cur in bellicis pactionibus, gravioribúsque negotijs capita ibi conferre, ac conſultare ſolebant? habebat ille mos ſuperſtitionis quiddam. At ſuperſtitio illa, inquit Clemens Alexandrinus, naſcebatur ex arcano quodam rationis & religionis inſtinctu. Sentire illi videbantur, conſilia ſua omnia, citra mortis recordationem, nec ſatis, nec conſtanter, ſana eſſe poſſe. Inde eſt, quod ad conventus illos ſuos, non amœnitates locorum, & voluptati dicatas ſedes, ſed lugubria mœroris & lachrymarum domicilia ſequebantur; quoniam ibi, teſte Salomone,

mone, admonente tumulo, mortales nos cùm meminerimus, ad deliberandum ſumus & ad capeſſenda conſilia magis idonei,

*Eccleſ. 5.* *Illic enim finis cunctorum admonetur hominum.* Quod in more poſitum fuit apud ethnicos, in rem vertamus & utilitatem noſtram, fide Chriſti quod pravi inerat, prius corrigente & emendante in melius. Nulla dies, Auditores Chriſtiani, vobis abeat, quâ cum Deo, quâ vobiſcum ipſi, ut ita loquar, non conſultetis. Nunc de vitæ deligendo ſtatu; nunc de familiæ adminiſtratione; jam de bonorum veſtrorum uſu; jam de diſpenſatione munerum; de modo licitis voluptatibus ponendo; de ordinandis Chriſtianæ pietatis exercitijs; de conſtituendâ vivendi ratione, tum vobis, tum alijs, quorum ſalus veſtræ curæ tradita eſt atque commiſſa. Væ enim nobis, ſi hæc omnia fortunæ mandamus & casûs temeritati, nec ullo impellimur ad agendum ſanctioris ſapientiæ ac regulæ non fallacis momento. Fruſtrà cauſabimur obtuſam mentis aciem, quæ in tumultuosâ ſæculi vitâ cernere non valuerit, quid eſſet ipſi tandem eâ ſuper re reſtrictè præfiniendum è veræ ſapientiæ nutu. Futilis apud Deum fuerit iſta excuſatio, cùm id ſit in noſtrâ poteſtate poſitum; quod quàm verè à me dicatur cognoſcite per vos ipſi. De eligendo deliberatis certo vitæ ſtatu? illum eligite ut aliquando morituri;

&

& crescendi studio iter altius non jam affectabitis. Agitur de temperando bonorum vestrorum usu? illum temperate ut brevi, quoniam mori vos oportet, eadem amissuri; nec vos amplius arctos inter avaræ tenacitatis terminos immane teneat divitiarum studium. Utilitatis, lucri, quæstûs certa spes vobis proponitur? perpendite illa ut ad calculos certò à Deo vocandi; ut certò olim morituri, nec jam quicquam tentaveritis ex sequiore mundi sapientiâ, contrà rectas conscientiæ leges. Vobis negotium est & controversia transigenda? utrumque eo pacto transigite, quo transactum velitis, si nunc sit discedendum è vitâ; nec jam obstinatio aut superbia fecerit ut justitiæ à vobis & charitatis christianæ officia desiderentur.

Sic habetote, Auditores Christiani, nihil fore vobis amplius metuendum; sola mortis recordatio errores vestros emendabit; anticipatas eripiet opiniones; sustinebit præproperam mentis celeritatem; desideria compescet; adversus innatam levitatem animum firmabit. Nonne istuc ipsum est quod sanctos quosque semper in vias illas egit directas, quibus ingressi sunt sine errore, sine casu & prolapsione ullâ? nonne istuc ipsum ad consilia eos impulit, judice mundo, malesana, sed quæ totidem erant excellentes Evangelicæ sapientiæ fructus? nonne istuc ipsum fecit, ut amplecterentur

vitæ

vitæ instituta laboriosa, abjecta, nulli non contraria naturæ propensioni ; in quibus solius gratiæ cælestis erat eos prohibere à lapsu ? viæ illæ, quas tenere eos oportebat ad salutem adipiscendam, abdita erant & mortalium oculis impervia divinæ prædestinationis mysteria. Atenim mysteria illa aperiebant se sensim mortem intuentibus. Semita, quam insistebant, intercluſa periculis erat, suberant laquei & insidiæ quas declinarent, (sunt enim ubique) sed tutos eos præstabat mortis cogitatio ; & est in vobis, in méque pariter situm, ut eodem, si volumus, bono perfruamur.

Igitur, si mens hebetior est, quàm ut eam ducem sequamur ; si multa peccamus, quæ emendari non possint ullâ arte ; si nos temerè immittimus & inconsultè ; si eam vitæ sortem eligimus, ad quam non sumus à Deo destinati, & in qua negat ea gratiarum auxilia, queis alio loco firmaturus esset imbecillitatem nostram ; si in ea munera nos ultrò ingerimus, ad quæ gerenda non sumus idonei, & in quibus insciti â nostrâ fit, ut tam crebrò peccemus ; si affinitates junginus, è quibus nihil præter acerbas ægritudines, simultates, intestina bella, aperta & publica divortia nascantur ; si damus nos in clandestinas quasdam coïtiones, quæ in pudorem, in infortunium, in perniciem ac ruinam vertant nostram ; si lucri, si quæstûs & com-

pen-

pendij causâ, ſocietates inimus, quæ conſcientiæ labem inferunt, quæ nobis penè omnes cæli aditus in perpetuum præcludunt, (ſcitis enim, Auditores, quàm vulgare ſit hoc malum; & quis dicat, quot æternis ſint flammis addicendi, ob inconſideratiſſimam hanc & dementiſſimam in projiciendâ libertate ſuâ temeritatem) hæc, inquam, omnia nobis ut eveniant, non Deo, non fato noſtro tribuenda: his erat utique divino numine proviſum; & quantumvis calamitoſa ſit humana ſors, potuit nihilominus & debuit, tutari nos ac protegere mortis cogitatio. Una culpanda eſt humanæ mentis perverſitas, quâ fit, ut relegatâ procul tam ſalubri cogitatione, velut moleſtâ nimis & acerbâ, in cunctos errores nobis ab eâ objectos miſerè rapiamur. Hinc & alia manat utilitas, quæ prioris eſt velut conſequens. Nam ut prudens ſit deliberatio, occurrat neceſſe eſt moleſtijs, multò magis pœnitentiæ & deſperationis angoribus, qui conſilia poſſunt noſtra ſubſequi. Neque enim, ſi Bernardum audimus, ſapientis conſilium eſt, quod dare poteſt pœnitentiæ locum. Undè autem tale ac tantum bonum petamus? quis hoc dederit, ut quoties acturi ſumus quidpiam, dicere liceat, in eam ſententiam concedo, cujus me nunquam pœniteat. Quod nunc facio, ſemper juvabit feciſſe. Undè iſtuc, inquam, petamus?

mus? ex eo ipso quod practicam mortis scientiam appello. Quamobrem? quoniam, ut egregiè disputat Augustinus, cùm mors meta sit, ad quam cuncta hærent hominum consilia, indidem proficiscitur acerbissima quævis eorumdem pœnitentia. Hanc autem vitabit quisquis fatalem mortis horam assiduâ cogitatione prævertet. Quâ verò ratione? si se ipse tacitè interroget; de eo, quod nunc aggredior, quid sentiam morti proximus? quod jam jam sum facturus, an turbabit tunc temporis? an juvabit? augebitne fiduciam in Deum? an molestiam asperget? probabo, an improbabo? ad singulas enim has quæstiones præsto est in nobis generale illud quidem, at certum re-

2. Cor. 1. sponsum, de quo Apostolus; *& ipsi in nobis responsum mortis habemus.* Quandiu ratiocinamur ex hujus vitæ principijs, quæ nobis ipsis damus responsa, faciunt, ut præposteram ineamus vivendi rationem; eorum ut pœniteat, quæ jucunda esse debeant; in ijs nobis gratulemur ipsi, de quibus dolere nos & mœrere oporteat. Sed enim mortis meditatio, vi planè contrariâ, quam & experimur usu ipso, sensus illos omnes corrigit. Lætitiam affert ob id unum, quod nobis semper futurum est, vera lætitiæ causa. In mœrorum nos conjicit & acerbos pœnitentiæ angores, ob id unum, quod veri doloris & pœnitentiæ materiam esse oportet

in

in vitâ, nec erit amplius in morte. Quandiu sumus præsenti huic vitæ dediti, commutabilis eadem est & inconstans; hodie ut damnem quod cras probaturus. Inde est, quod pœnitentia illa nostra promovere nos haud valet ad æquabilem agendi rationem, quæ christianæ est prudentiæ veluti character. At cum mortem recolimus nobiscum ipsi, eandem providemus, & providendo æternos prævertimus pœnitentiæ morsus, & maleficiorum conscientias, quarum horror idem semper manens, non sufficit solùm, sed & potentissimam vim habet ad continendos animi nostri impetus, & prohibendum, ne cæcante cupiditate & rapiente, longius, quàm par est, evagetur. Hoc autem loco Justorum prudentia de impiorum triumphat temeritate. Quidni enim his verbis impium hominem compellem post Hieronymum; quantumvis obdurueris in peccatis, homo flagitiose, quantumvis tranquillus ac pacatus videri velis inter peccandum; quantamcunque mentis firmitatem præferas & robur, cùm te ad facinus perpetrandum accingis, habes hoc, ut non possis in te metipse tantillum oculos reflectere, quin tristem hanc in te sententiam feras; longè acerrimis difficultatibus & molestiis implicabit me, saltem in morte, facinus illud quod paro, idque infectum tunc velim, vel si millies sanguis esset eam ob causam profun-

dendus. Scio, conari te sensum illum, quantum in te est, excutere. Atenim non ignoro, istuc in te non semper situm. Scio mentem illam se se tibi objicere ingratijs, vel cùm maximè pugnas eam dimittere atque ablegare. Scio intervenire illam voluptatibus, mundanísque gaudijs, quibus indulges, cùm tibi maximè beatus videris, molestè interpellare, turbare, magnóque emi à te falsam illam & simulatam animi, quam præfers, tranquillitatem.

Ego verò qui pavores illos tacitæque mentis tumultus propulsare amo, & amovere procul; quid ago? juvat cogitatione mortis, animum occupare, ne importunus & acer illius morsus, eam excitet in me & ingerat invito. Anxias pœnitentiæ curas & acerbitates, quæ morti comites esse solent, cogitatione præverto. Non illas rejicio ad fatalem mortis horam, sed admissas præsens in tempus, salubres illas mihi & fructuosas reddo. Juvat ijs nunc affici, ne me olim in desperationem adducant. Hoc est, volo eâ me reficere cogitatione, fore ut me facti pœniteat aliquando, ne me unquam pœniteat. Ea usurpo Prophetæ verba, *circumdederunt me dolores mortis*, molestiæ videlicet, ægritudines, ærumnæ, angores mortis omnes me circumvenerunt & obsident; his me tueor: his me oblecto, his me metbeo, tantùm abest ea ut repellam. Quid enim

*Psal.* 17.

enim mihi optatius fuerit quàm habere in me quod me mihi præstet; quo facta mea metiar omnia; quo funestos eorum exitus longè prospiciam ac declinem? eo instructus præsidio, quid metuam? quid non aggrediar? mortis cogitationem, præsentissimum esse ostendi, ad sedandas cupiditates nostras, remedium. Tutissimam regulam ad ineunda & constituenda consilia nostra omnia; ad torporem & socordiam in virtutum studio excitandam, viam esse ac rationem certissimam, superest ut demonstrem.

PARS III.

QUEMADMODUM ex operum nostrorum fervore pendet vitæ nostræ sanctimonia, ita ex vitæ nostræ sanctimoniâ pendet mortis nostræ valor ac pretium. Is est, inquit Chrysostomus, naturalis à Deo præstitutus ordo; hæc electis, citra exceptionem ullam, omnibus tenenda ratio. Ordinem illum supinus quidam animi languor, segnisque tepor perturbare solet; tepor toties damnatus in sacris litteris; præstantissimorum quorumvis operum labes certissima; operum, inquam, quæ fides imperat & Christiana Religio: adeò ut quantumvis bona sint opera illa per sese, magis nos depravent, magis Deo exosos nos reddant, ne dum sanctos, desidem vitam morte excipiente, quæ, si æternis rationibus ac supremi Judicis rigore ponderetur, non mi-

nimam formidinem nobis incutiat neceſſe eſt. Debellanda nobis eſt ignavia illa, quæ perniciem vel ſola nobis importaverit. Vincenda illa eſt. Hoc agitur; hoc Chriſtus potiſſimùm docet; eóque doctrinam ſuam omnem revocâſſe, ſi rectè attendimus, videatur. Quo enim conſilio deſcendit ad nos in terras Servator ille idem & Deus? nempe ut ſacro charitatis igne, & bonorum operum ſtudio mortalium corda ſuccenderet. *Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. Is fuit miſſionis ejuſdem ſcopus. Ex cauſis autem omnibus quas afferre poterat & attulit reipsâ, ad fervorem illum excitandum, cæleſtique face humanum pectus inflammandum, valentiſſimæ profectò hæ duæ ſunt ac potentiſſimæ, quòd mors unicuique proxima ſit, quòd incerta; quarum alteram velut maximum ardoris noſtri incitamentum; alteram, ut vigilantiæ, & aſſiduæ noſtræ attentioni materiam uberem, lætamque ſegetem toties propoſuit.

Sic eſt, Auditores; operi nos inſiſtere oportet, & inſiſtere eo fervore ſpiritûs quo velut animandæ ſunt actiones noſtræ omnes, quoniam propè accedimus ad vitæ metam. Prima excitando torpori noſtro maximè efficax cauſa. *Ambulate*, inquit Ioa. 12. Chriſtus, *dum lucem habetis.* Quid ita? Ioa. 9. quoniam *venit nox quando nemo poteſt operari. Vigilate.* Quid ita? *quia filius hominis*

*nis* quem expectatis, *propè est in januis.* Ne- *Luc. 19.*
*gotiamini dum venio*, & fœnori date tradi-
ta vobis talenta. Quid ita? quoniam *ecce* *Matth. 25.*
*sponsus venit.* Lætos uberésque fructus ef-
ferte quamprimum. Quid ita? quoniam
messis tempus appetit. Quid his omnibus
Christus innuit? satis perspicue patent hæ pa-
rabolæ, tametsi refertæ mysteriis, nostram-
que nobis dementiam ostendunt vel invi-
tis; qui mortem intuentes quasi ficto &
imaginario in recessu, quanquam *uno tan-*
*tùm*, quemadmodum sacræ litteræ loquun-
tur, *simus* eâ *gradu divisi* ac sejuncti, licitum *1. Reg. 20.*
nobis putamus, ab officiorum finibus de-
clinare paulatim. Talis est enim cæcitas
nostra, eaque in re situs est error, quem
vult nobis Christus eripere. Progressus il-
le, quem imperat, aliud nihil est, quàm pro-
gressus in salutis semitâ. *Ambulate.* Vigi- *Joa. 12.*
lantia illa, aliud nihil, quàm sedula sui ipsius
custodia. *Vigilate.* Negotiatio illa, aliud *Luc. 21.*
nihil, quàm bonus temporis usus; *negotia-*
*mini. Lucernæ ardentes*, aliud nihil, quàm *Luc. 19.*
danda proximo vitæ sanctioris exempla.
*Luceat lux vestra coram hominibus.* Uberes *Matth. 5.*
illi fructus edendi à nobis, aliud nihil, quàm
pœnitentiæ & sanctitatis opera. *Facite fru-*
*ctus dignos pœnitentiæ.* Illa faciendæ messi
destinata dies, ille heri reditus, adventus il-
le sponsi, nox illa appetens, ex consuetâ
Christi loquendi ratione, symbola tantùm

erant, nec valde accersita mortis adventantis symbola. Quasi significaret Christus Servator, se, tametsi infinitè sapientem, nihil quo pectus inflammaret nostrum, quo torporem excuteret, melius & præstabilius habere, quàm mortis propinquæ memoriam.

Et verò, si Deus nobis, seu amicus, seu iratus, vitam prorogaret in sæcula; si tandiu relinqueret in terris, quandiu primos illos hominum satores ac procreatores vixisse legimus, causæ nobis utique non deessent torporem nostrum, nostram morum dissolutionem accusandi. Quantumvis remota mors esset, cùm nulla non actio nostra æternitatem respiciat; cùm divino semper judicio sit obnoxia, immortalisque, si volumus, gloriæ semen, deberet illa semper digna esse Deo; quoniam famulatum se dignum & postulat Deus & expectat. Deberet digna esse promissâ à Deo mercede; &, væ nobis, si vel tunc tam pretiosâ ævi longinquitate abuteremur, atque ut sacræ paginæ loquuntur, *opus Dei faceremus negligenter.*

Sed morti proximum esse, & negligentem nihilominus ac dissolutam vitam degere tranquillè; metam jam penè contingere, ad quam cùm est ventum, non jam sit ullus operi locus; nec laborem tamen & studium intendere; jam spectare tumulum; *quotidie*

quem-

quemadmodum Paulus Apoſtolus, *mori*; 1. Cor. 15.
nec citius tamen progredi ac contendere ad ſanctitatis apicem brevi & compendiosâ vitæ ſerventis viâ; iſtuc, Auditores Chriſtiani, aut craſſæ tantùm ſtupiditatis eſt, aut infidelitatis conſummatæ, certè jam inchoatæ. Ea tamen ſors noſtra eſt, & maximè deploranda ſors. *Ecce venio citò*, inquit Chriſtus Apoc. 22.
diſertis verbis; *merces mea mecum eſt*, ut eam quiſque pro meritis ferat. Expendite, quæſo, ſententiam. Non dicit, veniam; aut ad veniendum me comparo. Sed, *ecce venio*; &, *ecce venio citò*. Matura igitur, concludit Deus, animam ſocordem compellans & lentam; matura prædas agere; opimas fac tibi manubias è tot piis operibus, quæ prætermittis, quæ negligis, quæ tibi perire ſinis. *Accelera ſpolia detrahere*; *feſtina prædari.* Deus, inquam, in veteri novaque lege, per ſe ipſe, Prophetarum & ſacerdotum ſuorum ore ita nos compellat, ita urget; tótque admonitionibus ſurdi, eodem veterno, languore eodem ac ſtupore, jacemus defixi. Quid ita? quoniam nunquam ſatis attendimus ad anguſtos vitæ noſtræ præſcriptos terminos. Etenim ſi perſuaſum habeamus, paucos nobis ſuperare vitæ dies; ſi hanc Pauli ſententiam tacitè nobis accommodemus, & ita quidem, ut illa penitus animo inſideat, *ego jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Ego ſum vi- 2. Tim. 4.

ctimæ, ſolito libamine conſperſæ, mòxque immolandæ ſimilis; appetit quippe tempus, quo corpus meum diſſolvi neceſſe eſt; jam illud animo cernere mihi videor. Si miſſo Deus Angelo ſignificet, cras affore tempus illud, quid, imò quid non ſimus acturi? quod nunc propono, Chriſtiani Auditores, & eſt hypotheſis duntaxat, & quanquam mera hypotheſis, habet tamen quiddam quod vos afficit, dum verba facio, quod vos commovet, quod vos excitat. Nihil non agamus utique, & nihil non agendo, vicem inſuper noſtram, velut officij parte tantùm aliquâ functi, lugeamus. Moderandus eſſet pœnitentiæ noſtræ ardor, nedum ſe ſponte remitteret ſuâ. Nullum jam oblectamenti, nullum voluptatis, nullum ludi genus mentem avocaret; nulla ſocietas, nulli pellicerent circuli; nulla cupiditatis, nulla neceſſitudinis aut conjunctionis vincula, quæ nos aſtrictos tenerent. In nobismetipſis, aut in Deo potius ipſo, collecti, ac velut immerſi, abdicatâ ſæculi nequioris vanitate, relictis futilibus ejus bonis ac nugis, unus in animo foret, in memoriâ, in optatis Deus. Nulla vitæ pars noſtræ quæ non eidem eſſet in poſterum addicta; actio nulla, cui caſtiſſima ac ferventiſſima charitas nobile pretium non adderet; atque ut in elementis fieri videmus, quò propius ad centrum illa, nativámque ſedem acce-

accedunt, eò feruntur longè citatiore motu, ita, quò propius accederemus ad metam, eò fervor se noster magis intenderet. En miraculum quod oculis nostris subjiceret mors præsens. Quidni autem jam subjiciat? num minus aperte Christus loquitur? an minus efficax Dei vox dicenda quàm Angeli?

Vultis nosse, Auditores, qualis oratio, qualis vita sit hominis, qui mortem propius intuetur; qui in assiduâ illius versatur meditatione. Audite loquentem Ezechiam, & in illud sanctitatis exemplum intuemini. *Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, hoc est, ad sepulchrum. Annos meos computavi. *Quæsivi residuum annorum meorum*; & intellexi, terrestri hac domo mihi brevi migrandum esse, & transportandum aliò, quemadmodum ex agro pastoritia casa transportari in agrum solet. *Generatio mea ablata est à me, quasi tabernaculum pastorum.* Fato quodam, cui me submittam necesse est, vitæ meæ stamen præcidendum, non secus ac tela rudis & imperfecta à textore præciditur. *Præcisa est velut à texente vita mea.* Diurno solis cursu circumscriptam illam esse; ac quoniam in secretiore Dei consilio sententia de me jam lata est, diu prorogari illam ac proferri non posse. *De mane usque ad vesperam finies me.*

*Isai. 28.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Ibid.*

His itaque principijs positis (hæc enim au-

ctore Ambrosio, sunt veluti principia quædam) quid colligit Ezechias ad practicam morum institutionem, & emendationem vitæ? documenta prorsus egregia; nec melius præstantiúsque vobis exemplar proponi à me possit. Eam ob causam, Domine Deus, addebat Rex sanctissimus, assiduis clamoribus aures tuas pulsabo, hirundinis pullo similis, dum stimulante fame, flebiles in nido

*Ibid.* questus exercet. *Sicut Pullus hirundinis sic clamabo.* Is erat principis in precando fervor. Eam ob causam, columbam imitatus, nec gemere, nec profunda cessabo judiciorum tuo-

*Ibid.* rum mysteria dies ac noctes meditari. *Meditabor ut columba.* Is erat meditationis ejusdem fervor. Eam ob rem oculi mei, dum eos in cœlum sæpius attollo; unde mihi certum præsidium affore confido; unde verum & unicum bonum expectandum censeo,

*Ibid.* valde sunt debilitati. *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Is erat ejusdem fiduciæ fervor. Eam ob causam violentissimis tentationum motibus obsisto; atque ut iis non succumbam, cum perspecta mihi sit præpotentis gratiæ tuæ vis, postulo, quæsóque, ut pro me pugnare ac respondere non

*Ibid.* dedigneris. *Domine vim patior, responde pro me.* Is erat ejusdem fidei fervor. Eam ob causam omnes vitæ meæ noxas flens ac ge-

*Ibid.* mens putabo mecum ipse. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* En ejus-

ejudem pœnitentiæ fervor, scio enim, Domine, subjiciebat idem Princeps, neque inferni esse, neq; mortis, laudes unquam tuas celebrare. *Quia non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te.* Sensus est, interprete Hieronym. scio nec laudare te moribundos, nec operibus te suis laudare posse. Quinam igitur? hi videlicet, qui vivunt, & ita vivunt, ut persuasum illis sit, quemadmodum & mihi, sibi esse brevi moriendum; qui ita vivunt, ut constitutum habeant, ut & ego constitutum habeo, actionas suas omnes ad persuasionem illam semper dirigere. *Vivens vivens confitebitur tibi, sicut & ego hodie.* Ea erat religiosissimi Principis oratio. Inde methodum illam discimus tam sapientem, tam sanctis viris cognitam, tam inusitatam apud nos, tam salubrem reipsâ, & è quâ vitæ nostræ sanctimonia pendet. Nimirum ut opera nostra omnia haud aliter fiant quàm si eorum quodque, extremum foret, & esset illud mors statim consecutura; Deum ut precer, quomodo precarer in ipsâ morte. Conscientiæ latebras omnes & recessus intimos excutiam, quomodo excuterem in ipsa morte. Peccata ut fleam, quo modo flerem in ipsa morte. Peccata Sacerdoti ut aperiam, quomodo aperirem in ipsâ morte. Sacrum ut Christi corpus percipiam, quâ pietate perciperem in ipsâ morte. Hac viâ torporem excitabimus & ignaviam *Ibid.*

viam noſtram omnem; valorem opera noſtra ac pretium, vel in ipsà mortis memoria ac proximitate, invenient.

At remota ne ſit, an proxima mors, incèrtum eſt mihi. Sit ita ſané. Quid tum? quia incertum eſt quando, & quâ die, tibi moriendum, an ideò minùs actuoſum, minùs vigilantem, minùs obſervantem officiorum omnium eſſe te decet? & incertus ille mortis adventus, quo torporem & negligentiam excuſas tuam, annon alia tibi eſſe debet illam accuſandi cauſa? cur enim Chriſtus præcipit ut vigilem? non ſolùm quia mors propinqua, ſed quia incerta eſt. Hoc eſt, quoniam & diem illius & horam ignoro. *Quia neſcitis diem neque horam.* Ah! malè profectò Chriſtus argumentetur, ſi incertus mortis adventus, torporem aliquatenus & ſocordiam noſtram excuſet. Hoc autem loco ſummam Auguſtinus Dei ſapientiam eſt admiratus, qui ſupremum vitæ diem occultum eſſe voluit, ne ullus utilitatis fructu vacuus eſſet dies. *Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies.* Et verò ſi notus ſit nobis fatalis ille dies, ſi nota hora illa ineluctabilis, nulla jam pœnitentiæ, nulla pietatis obeantur exercitia. Cuncta remittantur ad ultimum vitæ annum. Ultimo anno, ad ultimum menſem; ultimo menſe, ad ultimam hebdomadam, ultimâ hebdomadâ, ad ultimum diem; ultimo die,

*Matth. 25.*

die, ad ultimam horam, aut extremum etiam vitæ momentum. Hinc nulla salutis spes super. Quid ita? quoniam mortis tempus neque pœnitentiæ, neque bonis operibus edendis est opportunum; per quæ tamen sola salutem adipisci nos oportet. Quid agit Deus? consilio non sapienti minus, quàm misericordi, omninò suspensos & incertos nos tenet circa horam illam, ut vigili simus & arrecta semper in singulas horas mente. Quî enim melius, depositò vitiorum senio, vernare quodammodò possimus, noviscque diteiscere virtutum fructibus, quàm cogitationis hujus præsidio? hodierna fortassis hæc dies, erit mihi dierum ultima. Post hanc fortassis peccatorum confessionem, post hanc fortassis communionem, post hanc fortassis concionem, post confectum fortassis hoc negotium mors me rapiet inopina, sistétque ad formidolosum Dei Judicis tribunal. Cùm tristis illa mortis imago ubique circumfertur, hærétque altè animo defixa, nihil est quod jam retardet, nihil quod terreat hominem christianum, nihil quod non is aggrediatur, nihil quo non ferat, nihil quò non aspiret, tantùm abest ut desciscat à se metipso, tantùm abest ut animo concidat. Fit ille idem (expressa est ab Apostolo ipso præclara hæc fervidi species hominis ac forma) laboris patiens ac vigil. *Sollicitudine non pigri.* Fit ala- *Rom. 12.*

*Ibid.* alacer ac promptus. *Spiritu ferventes.* In
*Ibid.* Dei famulatu indefessus. *Domino servientes.*
Excusso mundi jugo, non nisi cælestia cogi-
*Ibid.* tat ac spirat. *Spe gaudentes.* Adversa quæ-
*Ibid.* que fert patienter. *In tribulatione patientes.*
Orationi insistit. *Orationi instantes.* Nullum
*Ibid.* charitatis, nullum misericordiæ officium fra-
tres ab eo desiderent. *Necessitatibus sancto-*
*rum communicantes, hospitalitatem sectantes.*
Deo, proximo, sibi, pari fide ac diligentiâ,
*Ibid.* quod debetur tribuit. *Providentes bona non*
*tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

Urgeamus hunc locum, & ijs magis consentanea subjungamus, quæ Deus, hac præsertim tempestate, & expectat à nobis & postulat. Est dicata pœnitentiæ tempestas, quâ de loquor, peccatisque cooperti & onusti tùm simus, noster ad Deum reditus, nostra ad Deum sincera & perfecta conversio, magnum illud est nobis & unicè movendum opus. In eo tamen nónne se nostra nobis imbecillitas, nostra se ignavia & inconstantia magis prodit? abrumpenda sunt generoso conatu vincula, queis tenemur, excitandus ille conversionis fervor, quo suavissima peccatori vis infertur; quo trahitur is, quo mundo, quo sibi ipsi eripitur nullâ interpositâ morâ; atque hoc ipsum est, quod Incertæ mortis commentatio efficiat oportet. Age enim verò, homo flagitiose, ecquatenus tandem moveat, si horrendum, cui re-

in-

incertus ille mortis adventus exponit, discrimen non perhorrescis? si enim peccato nondum expiato, mori te contigerit, periisti, & periisti funditus: &, quandiu in eo perseveras obstinatè, non eidem immori potes in singula momenta, quando nihil est & tibi, & mihi morte incertius quicquam?

Fallor, Auditores Christiani; est in morte quidpiam nobis certum. Quid? nos videlicet imprudentes in eâ & incautos occupatum iri. Non sat habuit Christus Servator admonere nos, ut vigilemus, quoniam latet dies & horâ quâ filius hominis est venturus; addidit diserte, *quâ horâ non putamus, filium hominis venturum.* Quid eo verbo expressius? & verbum illud minimè fallax, an non etiam culpam meam auget, cùm in flagitijs tranquillus hæreo, æterni supplicij & pœnæ securus? si hoc unum dixisset cælestis ille magister, mortis tempus incertum esse, minus essem fortasse culpandus. Quidni enim ita argumenter? quoniam istuc incertum, non ideo mihi spes omnis est adempta. Inconsultè quidem ego ac temerè, qui in tantum me periculum ultrò conjiciam. At temeritas illa spem & fiduciam non prorsus infringit. Potest, fateor, opprimere me incautum & imprudentem; at potest etiam non opprimere; illáque mea agendi ratio quantumvis inconsulta & cæca, colorem adhuc aliquem admittat. Sed post diser-

*Luc. 12.*

tam Christi denuntiationem, non ita jam li-

licet argumentari; quâque horâ non putem, me moriturum, habere me oportet pro certo. Supremam hanc horam eo tantùm signo mihi notam esse voluit Christus Servator. Hoc unum scio, idque certò, obitûs mei diem, fallacem mihi diem fore. *Quâ horâ non putatis.* Quæ cùm ita sint, annon conjurâsse me oportet in mea damna, si quo sunt res meæ loco, si æterno Dei odio & vindictæ obnoxius, non id ago quamprimùm, ut redeam cum ipso in gratiam; si acerbissimos quos mihi tam apertè tamque crebrò interminatur, cruciatus, voluntariâ pœnitentiâ non præverto? istuc ne unquam, Auditores Christiani, non dico quantùm satis est, sed paulò attentius cogitâstis? vel nunc de morte apud vos verba dum facio, eamne cogitatis? an seriò? an attentè? an ut Christianum decet? an cum certâ fructûs colligendi spe? quid vos tandem cogitare dixero, si non istuc cogitatis? aut, si nunc non cogitatis, ecquando cogitabitis? aut quis unquam pro vobis cogitabit? felix, qui istuc ut cogitet, tempus non expectat, quo jam tempestiva non fuerit ista cogitatio! felix qui istuc cogitat, dum adhuc suppeditat vitâ: ita mors, quæ peccati pœna est, in ejusdem nobis remedium vertetur. In mundum illa intravit per peccatum; at, si eam recolimus; si, quemadmodum sancti assolent, assiduè meditamur aditum, ut & illis, opitulante Deo, ad æternam felicitatem nobis aperiet. Amen. IN

# IN EADEM FERIA QUARTA CONCIO.

## DE CINERUM IMPOSITIONE.

Pulvis es, & in pulverem reverteris.

ITA humani generis auctorem ac parentem Adamum, ſtatim poſt abjectam obedientiam, eſt affatus DEUS. Ita hodiernâ die Chriſtianos omnes ſigillatim, Eccleſiæ miniſtri. Irati ac malè precantis vox, quo ſenſu primùm eſt prolata; ſalutaris, quâ mente jam & conſilio ab Eccleſiâ uſurpatur. Homini flagitioſo terribilis ac luctuoſa vox, utpote quæ capitalem in eum ſententiam latam denunciat; reſipiſcenti grata & jucunda, quoniam ad commutationem morum & ſanctimoniam vitæ, facilem docet ac demonſtrat viam. Eam agendi rationem ſæpe aliàs ſequutum Deum eſſe, notat Chryſoſtomus, eundem pulverem cùm adhibuit, partim ad *Judiciorum* ſuorum terrorem hominibus in-

*Gen. 3.*

*Pſal. 118.*

incutiendum; partim ad misericordiæ suæ summæ vim & potestatem ostendendam.

Nunquam fortasse attendistis, Christiani Auditores, ad id quod narrat auctor Exodi; aptè videbitur cadere in rem nostram. Cùm statuisset Deus, pœnas repetere ab Ægyptiis, Mosen jubet, sublato cinere, manibus plenis spargere in plebem, idque inspectante Pharaone. *Tollite manus plenas cineris, & spargat illum Moyses coram Pharaone.* Subdit sacer historicus, pulverem ita jactum, fuisse veluti semen ac materiam tot malorum, queis refractaria gens miserè oppressa ac penè confecta jacuit. *Sitque pulvis super omnem terram Ægypti.* Si speciem tantùm externam spectes, idem credas habere mandatum novæ legis sacerdotes, jubentur quippe, ut sacrorum dispensatores & administri, sumpto ab altari cinere, perspergerent christianam plebem. *Tollite manus plenas Cineris.* Si Dei mens & consilium attenditur, effectum nunc obtinet hæc cæremonia longè diversum ab eo, quem habuit veteri in lege. Cùm enim Moyses & Aaron cinerem spargant in Ægyptios, ut sentiant hi cælestis iræ pondus; ut intelligat Pharao se rejectum à DEO; ut obstinatissimi Principis, divinæque vindictæ jam devoti, rebelle pectus contundatur ac frangatur; contrà Sacerdotes nostri, eum tantùm ad finem sacro cinere christiani cujusque verticem contingunt, eorum ut corda; divinis imbribus mollita, præparent ad cæle-

Exod. 9.

ftes satus accipiendos; ut veræ pœnitentiæ sensus in ijs accendant. Atque hoc ipsum est quod tractare hodiernâ die aggredior, hinc concionum, quas pro muneris mei ratione, toto hoc solennis jejunii tempore, habebo apud vos, initium facturus.

*à Rege Christianissimo missus est auctor Montem Pessulanum, ad conciones habendas per quadragesimam.*

Vos ô, fratres chariſſimi, qui ejuratâ tandem hæresi in maternum Ecclesiæ sinum rediistis; vos, quorum præcipuè causâ, sum huc missus, & estis mea prima cura, atque utinam *gaudium & coronam vos meam* appellare aliquando liceat; vos, inquam, nova Christi possessio, discite revereri unam & religiosis illis ceremoniis quas usurpat Ecclesia. Sunt aliæ magis utique necessariæ; sed, cæteras mittamus, aut potius, ut cæteras ex hac æstimemus; quî potuit hæresis eam rejicere, cùm ille ipse fatalis secessionis vestræ auctor agnoscat, cæremoniarum apparatu juvari fidelium pietatem; non fructuosum modò, sed & necessarium videri, retinere earum nonnullas; ex eo quòd abolita fit Mosaica lex, non consequi, ut omnes omninò tollendæ cæremoniæ sint, atque proscribendæ, æquum esse, ut signis quibusdam exterioribus interiores Religionis sensus ostendantur sublatis illis, nonnisi monstrosam in dominico grege rerum perturbationem ac confusionem fore. Inter alias autem quæ minus offendere debuit Calvini ecclesiam, quàm solennis illa cinerum impositio? quid

ineſt in ea ſuperſtitionis? quid habet illa quod ſcripturæ auctoritas non comprobet? quæ res hominibus utilior, quàm propriæ infirmitatis & originis primæ recordatio? utrumque autem ut reminiſcamur, annon faciunt capitibus noſtris cineres impoſiti? offenſioni tamen fuit atque ſcandalo magiſtris, ducibúsque veſtris cæremonia illa, ſimplicitate & ſanctimoniâ ſuâ tam probabilis. Eam repudiârunt illi, &, ut repudiaretis auctores fuêre; quia ſat nota ipſis non erat, aut ut nobis ſat nota eſſet, non faciebant. Sed, præteritorum obliti, Deo præſentia, imò & futura in anteceſſum gratulemur, quæ magni hujus operis, ac divinitus inſtituti, perfectionem nobis promittunt & ſpondent. Conſpirabimus unà omnes ad illud augendum, abſoluendum, conſummandum; fas mihi ſit iſtuc hoc loco & propalam vovere. Sic eſt, Deus optime, maxime; operi tuo manum ultimam impones. Debitâ gloriâ nomen tuum afficietur. Obſervabitur divina tua lex. Nota fiet Eccleſia tua. Auditoribus his meis copioſiſſima tribues gratiæ tuæ dona. Eadem tribues & mihi, vímque afferent illa ad permovendos animos efficacem. In id ipſum Deiparæ Virginis opem imploraturus, ſalutem illi, verbis Angelicis, impertio. *Ave Maria.*

*Rom. 10.* NOn ſatis eſt homini chriſtiano, *corde credere*, niſi accedat & oris confeſſio. Ita

Ita Paulus Apostolus. Addo ego, ex ejusdem Pauli doctrinâ, satis non esse ad pœnitentiam, *cor contritum & humiliatum*, ni peccator plane edomitam carnem, & *cum suis concupiscentiis crucifixam*, velut quoddam hostiæ genus offerat Deo. Nimirum hominis est, inquit Gregorius Magnus, animo & corpore constantis, spiritali quidem illo ac cœlesti, hoc terrestri & concreto, Deum colere utriusque partis officio, si *rationabile* illud, in quo Religionis consistit integritas, *obsequium* volet illi præstare, quo principio excellenti ita constituto, ex eo colligitur, christianam pœnitentiam latissimè sumptam, in duplici, quod à nobis DEus exigit, sacrificio positam esse; altero, mentis, quod christianæ demissioni, altero corporis, quod voluntariæ ipsius vexationi debetur. Deme sacrificium mentis, inutile fit ex Pauli doctrina, aut pœnè inutile corporis sacrificium, eóque placari non potest Deus. Deme sacrificium corporis, nihil sæpe aliud fuerit sacrificium mentis, quàm mendax & inane pœnitentiæ simulachrum. Hæc duo ita vincta necessaria sunt, ac conjuncta inter sese, ut alterutrum si desit, imperfectum esse oporteat holocaustum, quo de loquor, unde & peccatoris perfecta cum Deo pendet reconciliatio. In eo hæreo, quod per se ac sponte fert & deducit ad propositum argumentum. Ac quoniam geminum hoc sa-

*Psal. 50.*
*Gal. 5.*
*Rom. 12.*

crificium, quod per pœnitentiam fieri debet, obices in nobis duos nanciscitur, superbiam videlicet ac mollitiem ; quorum ille cum pœnitentiæ summissione, hic cum pœnitentiæ rigore nullatenus consistit, statui ne nihil afferam non utile, & ad morum emendationem accommodatum, ostendere, quo tandem pacto vinci ac superari obices illi possint mortis memoriâ, quam hodierna revocat cineris impositio. Hic est concionis nostræ scopus ac summa. Per pœnitentiam verè humilem, Deo veluti mactanda est humanæ mentis superbia, atque eò impellimur cinerum admonitu, qui sunt signa nobis, & quædam mortis obeundæ symbola. Hoc primum. Per pœnitentiam generosè austeram, Deo veluti mactanda est innata corporis mollities, atque id suadet cinerum impositio, quæ significat, imò facit, ut jam quodammodo sentiamus ineluctabilem moriendi necessitatem ; hoc alterum erit concionis nostræ caput. Est assiduis pœnitentiæ laboribus deprimenda mens ; est edomanda ac maceranda caro. En gemini fructus è cinere illo sacerdotum manu consecrato, mortisque memoria, quam refricat cærimoniæ usus tam piæ, sedulò à nobis legendi. Adeste, quæso, animis, dum loquor.

Pars I.

CUm superbia, quod sacræ litteræ docent, noxa fuerit ab homine primùm admissa,

admissa, sitque peccatorum omnium fons & origo, *initium omnis peccati superbia*, mirum videri non debet, eandem superbiam, pœnitentiæ, quæ peccatis est constituta divinitus medicina, omnino obstare. Planum facio quid velim. Si Adamus in beato illo perseverans statu, in quo fuerat conditus, continuisset se intra fines humilitatis pœnè illi nativæ (quid enim aliud est humilitas, quàm perfecta suimet notitia) quibus cumque tandem ornatus esset Dei donis, nunquam iis, ad debitam conditori suo obedientiam abjiciendam, esset abusus. Ac, si quoties discedimus à divina lege, descendamus in nos ipsi, & norimus qui simus, facilè retrahamur ab incœpto, & violatam Numinis majestatem placare studeamus. Atenim illum pœnitentiæ ac justitiæ spiritum, quo impellimur ad satisfaciendum Deo, alius, superbiæ videlicet, spiritus, in nobis retundit. Et, quoniam est peccatum, obedientiæ, quæ Deo debetur, abjectio, post peccatum admissum, hæret imo in corde occultum obsequij & satisfactionis odium, *Ecclesiast. 10.*

Quî huic malo fiat medicina? illa ipsa, Christiani Auditores, quam nobis hodie proponit Ecclesia, dū meminisse jubet nostræ originis, ut vanitate, quemadmodum Augustinus loquitur, vanitas nostra corrigatur. Est enim homo subinde revocandus ad primæ originis memoriam, propriæque fragili-

tatis ac miseriæ considerationè, cogendus, vel ingratiis, superbos illos ponere spiritus, qui, ut Christianam convellunt demissionem, ita ad conversionem aditus illi omnes præcludunt. Hoc autem ipsum quæ res melius perficiat, quàm mortis commentatio?

Cùm quis humili natus & obscuro loco, sed amplissimis ornatus fortunæ donis, oblitus generis atque sui, effert se insolentius, via certior nulla est comprimendæ insolentiæ, quàm si homini novo natalium ignobilitas objiciatur. Dicat quispiam, non est quòd tibi tantopere placeas, quòd te circumspicias tam magnificè: novimus te, qui sis, & unde domo; pudorem incutiat haud dubiè, & in modestiæ veluti gyrum compellat. At, si conjecturâ ductus non incertâ, futuros casus ante denuntians, hæc insuper addat; cave fortunæ stabilitate multùm confidas; sit quamtumvis celsa dignitatis sedes, in quam es evectus, jam jam inde labaris necesse est, Impendens capiti tuo procella, quam vitare non poteris, ad pristinam rediget vitæ conditionem. Si quis, inquam, talem habeat cum eo sermonem, certóque futurum casum ostendat, multò validius beatum illum feriat in ejus penè conspectu posita fortunæ florentis conversio; si secum ipse: perij, nullus sum, jam comis profectò fit & humanus. Nullum jam extet in eo ferocitatis & arrogantiæ vestigium; resideat conti-

nuò

nuò tumor ille animi è prospero natus fortunæ flatu. Quid ita? quoniam adeptæ dignitatis gradum haud is aliter dein contempletur, quàm ut vastæ altitudinis, in quam est mox devoluendus, ac præcipitis loci declive fastigium. Futuræ suæ ingemiscat sorti, ne dum præsentis fulgor oculos perstringat. Geminâ autem illâ cogitatione, qui fuerimus, & qui simus futuri, Ecclesia utitur, Auditores, ut divini Numinis majestati subjectos, christianæ demissionis finibus nos includat. Circumfluebat homo gloriâ, recens â Deo creatus, scriptura teste, verum enimvero *cum in honore esset non intellexit,* *Psal. 48.* Se primùm, dein auctorem, quod consequens erat, suum, & oblitus, imò contempsit. Quid fit ab Ecclesia? ut debitam DEO reverentiam ac timorum, quem peccatum adimit, & esse debet pœnitentiæ fundamentum, restituat in nobis, invitat, imò impellit ad contemptum nostri ipsorum, his verbis; *memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quasi dicat, quid est, homo mortalis, quòd veram, sine causâ, commentitiàmque tibi arroges amplitudinem atque gloriam? memineris quid esses ante annos aliquot, cùm Dei jussu eductus es limo informi, cùm è nihilo factus. Memineris, quid sis intra paucos annos futurus, cùm brevis ætas, quæ tibi reliqua est, efflu-xerit. Ad duas illas metas, velis, nolis, hæ-

reat necesse est superbia tua. De his principiis quantùm voles argumentare, nihil inde concludes, nihil erues, quod pudorem non imponat, quod ad officium, cùm ab eo, per summam cæcitatem & amentiam, discesseris, non revocet. Ea est, inquam, salutaris gravisque præceptio, quam filiis suis omnibus, ceu sapiens ac pia quædam mater, Ecclesia tradit.

Verùm explicemus jam atque excutiamus hujus cærimoniæ obeundæ rationem ac modum; nihil enim inest in eâ quod geminum cum ad finem non dirigatur, fastum ut nostrum comprimat, & ad pœnitentiam nos præparet. Id sibi quippe proponit Ecclesia, dum capiti nostro cineres aspergit, ut superbiam frangat nostram. Cur cineres? quia res nulla, inquit Ambrosius, quid sit mors, magis ostendit, & quàm fœdum ad statum deprimat, quàm pulvis, quàm cinis. Sic est; cineres illi, qui ad sacerdotum pedes abjectis imponuntur; cineres illi, quorum benedicto, ex Gregorii Nisseni mente, est velut mysterium, aut, si vultis, velut mortalitatis, atque adeò humilitaris nostræ sacramentum, si ritè attendimus, magis valent, quàm rationes, omnes ad nos, ut homines ad modestiam, ut peccatores ad meliorem frugem, sincerámque pœnitentiam compellendos. Docent enim illi, quod fortassis ignorare libeat, quod obliviſci studemus,

mus, (sed væ nobis, si, aut in tam luctuosam ignorantiam, aut in tam funestam incurrimus oblivionem.) Docent illi, honores eos omnes, quibus gloriantur homines mundani; illam generis nobilitatem, quam venditant, illam gratiam, qua confidunt, illam auctoritatem, quæ tam feroces eos reddit, successus illos, quos prædicant, opes illas, in quibus sibi plaudunt, dignitates illas ac munera, ob quæ nihil sibi non arrogant, illum formæ splendorem, illam animi magnitudinem, illam celebritatem nominis, in qua se amant tam perditè, nihil præter fugacem umbram, ac mendax esse simulacrum. Accedam quippe ad sepulchrum potentis olim dynastæ; Legam epigramma; nihil inibi præter demortui laudes immortalitati commendatas reperio; nihil præter insignes titulos, præclaras ingenii dotes, honores feliciter gestos; quidquid id est quod aut fuit unquam, aut fecit, incisum marmor verbis declarat magnificis. Hæc sunt extrinsecus. Jam si pateant tumuli interiora; cadaver objicitur visu fœdum, ossa arida, eadem ac fœtida, pauculi cineres, qui & reviviscere, & his me verbis affari videantur. *Memento, homo, quia pulvis es &c.* Docent illi, nos utique valdè injustos esse, cum quoquo pacto, & sæpè etiam contra cœlestis providentiæ ductum, studemus mortalium vulgo secerni;

ni; cùm aspiramus ad certos gradus, qui nihil habent, nisi quòd vanitati nostræ blandiuntur: ordinem illum, de quo pugnamus tam vehementer, jus illud, quod nobis arrogamus, acre illud tenendæ dignitatis studium, insuetam illam, quam affectamus, & imperiosam agendi rationem, obsequium illud, quod exigimus, ferocitatem illam, quam exercemus, indulgentiam illam, qua nos haberi ab aliis volumus, esse veluti totidem bona, quæ superbia sibi nostra vendicat, dum nobis, ut Pharisæo illi Evangelico, persuadet, non esse nos *sicut cæteros hominum.* Errorem hunc depellit cinis, in quem recidimus, dum tollit fortunæ discrimen, imò dum fortunam omnem euertit. Vide enim, inquit Augustinus, vide inter deformes sepulchrorum ruinas, num pauper à divite, ignobilis à nobili, robustus ab infirmo secerni atque internosci queat. Vide num principum ibi regúmque cinis à subditorum discrepet servorumque cinere, Eadem ah! Regis ac mancipii fors, eadem conditio. Atque hoc ipsum præclarè Philosophus quidam; sciscitante enim inclyto tot gentium victore, quid esset causæ, cur mortuorum ossa ossibus congesta contemplaretur attentius; studeo, inquit, princeps, congerie in illâ patrem tuum internoscere; Regem oculis vestigo, at nequicquam; quoniam ejusdem cineres ple-

*Luc. 18.*

plebeis cineribus permisti atque confusi, nihil habent, sublato discrimine, unde is agnosci jam queat. Mortalium superbissimum ferunt, tametsi ethnicum, pupugisse hæc verba, quæ & his consonant; *memento, homo, quia pulvis es &c.*

Docent frustrà esse vastas illas ambitiosi hominis cogitationes & consilia de faciendâ, de constituenda re, de augendâ, de amplificandâ in immensum fortunâ, ut nunquam dicat, satis est. Mors quippe intra breve tempus, tristi quodam fato, sex terræ pedibus ambitionem ejus includet: nimirum hoc est; cinerem esse jubebit exiguum. Eò enim nos Deus, Christiani Auditores, eò, ut ita loquar, vicissim impellit, Eò recidant necesse est consilia nostra omnia, suscepta nostra omnia, clandestinas molitiones nostras omnes, uno verbo, fortunam, claritatem, amplitudinem nostram omnem, cùm per extremam, quæ in tumulo fit, dissolutionem, artus nostros mors adducet, coarctabit, penè ad nihilum redigetEcce vix totam *Hercules implevit urnam.* O qualis & quàm stupenda mutatio, aiebat sapiens nonnemo, in sepulcbralem Herculis urnam intuens: Hercules ille, ille, inquam, monstrorum domitor, cui, vix orbis, quantus est, satis erat, tam brevi spatio circumscriptus jacet. *Vix totam implevit urnam.* Istuc ipsum multò fructuosius hodierno die,

& efficacius meditari nos Ecclesia jubet, his verbis, *memento, homo, quia pulvis es &c.*

Docent illi, inane illud amplitudinis, ac terrestis fortunæ simulachrum, quod sequimur, non morte solùm dissipandum, sed & memoriam nostri ipsorum interitu tum aliquando; sermonem de nobis non fore amplius; nomen nostrum venturum in oblivionem; dolorem susceptum ex interitu nostro abstergendum; gavisuros eo nonnullos; consanguineis primùm nostris obliviscendos nos esse; arituras citò eorum lachrymas, quorum amicitiâ minimè dubia erat; illorum negligentiâ, horum ingrato animo collatorum in ipsos officiorum memoriam, intra breve tempus, oblite-randam; &, quidquid factum erit à nobis, alio, quàm Dei nomine, pulveri quem turbo disjicit, simile futurum. Ita enim sentiebat vir longè post homines natos patientissimus. *Memoria vestra comparabitur cineri.* Quin & id Deus ipse indicat, cùm Ezechielis ore, impio principi, comminatur, daturum se illum in cinerem. *Dabo te in cinerem*, & præclara illa facinora, ob quæ immortalitatem tibi quamdam in hominum spondebas memoriâ, cineris in morem evanescent. Et verò Christiani Auditores, est cinis falsæ hujus gloriæ, cujus sumus adeò appetentes, verum ac germanum symbolum; quandoquidem constat,

*Job. 18.*

*Ezech. 28.*

in

in eâ ineſſe omnes cineris proprietates. Vilem eam eſſe ut cinerum; inutilem, & infructuoſam ut cinerem. Atque in eâ circumfluamus, quanta ſatis eſt vanitati noſtræ; quod fieri nequit, meritò ſemper auribus noſtris iſtuc inſonet, *memento, homo, &c.*

Docent denique, quantumvis altas ſuperbia noſtra radices egerit, ſemper ſuppetere, amplam intra nos modeſtiæ, & ſummiſſioni materiam. *Humiliatio in medio tui.* Pars illa ſiquidem noſtri, in quâ curandâ toti ſumus, quam adamamus tam impotenter, corpus, inquam, noſtrum, aliud nibil eſt, quàm viliſſima res, obnoxia corruptioni, atque, ut Tertullianus loquitur, *limus titulo inciſus.* An autem æquum eſt, ut pulvis, ut limus ſe ipſo plenus intumeſcat, & peccati malitia in eum ipſum inſurgat, cujus miſericordiâ ſupra ſortem, & conditionem, eſt evectus. *Quid ſuperbit terra, & cinis.* Mors, quæ ſemper oculis noſtris obverſatur, aſſiduo ſuper eâ re nobis eſſe debeat documento; verùm, ut rectè Chryſoſtomus animadvertit, cùm omnes mortem videant, pauci intelligant, ad hanc mortis viſionem cinerum uſum adjungit Eccleſia, cinerum, inquam, quibus hoc dant haud caſſæ ſacerdotum preces, ut graviſſima hæc dogmata in noſtrum pectus immittant. *Memento, homo, quia pulvis es.*

*Mich. 6.*

*Eccleſ. 10.*

Quæ-

Quæritis jam, cur capiti cineres ac fronti imponantur; cujus mysterii haud difficilis est expositio, & habebit illa unde etiam pietas vestra acuatur. Imponuntur cineres humano capiti, quod est rationis sedes, ut intelligamus, mortem, & quæ ipsam consequuntur, assiduâ considerationè & meditatione nostrâ res longè dignissimas esse. Id ipsum declarat sacerdos, cùm dicit; *memento, homo, &c.*

Habe istuc in memoriâ ac vide, ne unquam obliviscare. Quoniam parum nobis profuerit habere pro certo, mortali conditione nos esse generatos, ni vividâ humanæ mortalitatis cogitatione, ac memoriâ frequenti, fides illa, Christianæ in nobis sapientiæ fons esset, & humilitatem, quæ est pœnitentiæ rudimentum, veluti substerneret.

Et verò mortis recordatio semper hoc habuit, homines ut contineret in officio, & frustra reluctante superbiâ, modestos ac summissos esse cogeret. Hinc apud omnes etiam Ethnicos, inquit Hieronymus, (non digredior à proposito, Christiani Auditores, aut sine fastidio, & molestiâ ullâ vestrâ digrediar) mortis memoria, imò cineris usus ad pompas maximè solennes, augustissimásque cærimonias accessit. Græci, auctore Petro Damiano, impositâ suis Imperatoribus coronâ, vas iisdem cinere, & ossibus

ossibus plenum, offerebant, ut admonerentur illi scilicet, suppremam dignitatem, qua fuerant ornati, morti eos non eximere. Apud Romanos, consutem triumphantem præco subsequebatur, qui inter populares plausus subinde inclamaret, *respice post te! hominem te memento.* In veteri lege, cinere admoto, lustrari ac mundari jubebatur immundus quisquis erat, prius quàm Tadernaculum subiret. Quin & apud christianos, in solenni Pontificis summi inauguratione, stupeâ flammâ leviter ora prætereunte, tanrùm non is aflatur; ut intelligat, haud aliter mundi gloriam transire, nec prohibituram tiaram triplicem, quin aliquando debitum morti tributum pendat. Quasi ultro agnoscant homines ipsi, prout vel mundo, vel Deo auctore, in altum tollùntur, momento aliquo indigere se, quo deprimantur; nullúmque potentius, ac melius, quàm mortis cogitationem haberi posse. Hinc populi maximè efferati, & immanes, non sine arcano religionis instinctu, majorum suorum cineres, quasi ex officio, servabant. Significabant hi videlicet, quorsum tandem esset sors ipsorum evasura: humanæ fragilitatis recordatio, demissos & humiles eos efficiebat, quo sensu à Tertulliano anima nostra naturaliter christiana dicitur. Cineres illi, seu gravi perturbatione

*Tertull. in Apologetico, Cap. 33.*

incitata, seu præjudicio aliquo occupata mens esset, satis erant, ut hæc duo secum verba facerent: *memento homo*; memento, & innatam superbiam pone; memento, & cupiditates domitas habe; memento, & insidentes animo errores prorsus ejice. Hinc Moses, Hebræis, quorum dux erat, Ægyptum diripientibus, satis habuit Josephi cineres prædæ, & manubiarum loco secum asportare; ratus domari melius non posse, Deique Imperio subjici ferocem ingenio, ac rebellatricem nationem, quàm ostensis cineribus talis ac tanti viri; unde originem trahere se gloriabantur. Hinc iidem in deserto, cùm à veri Numinis cultu, absente Mose, ad aureum vitulum, per apertam rebellionem defluxissent, divinæ gloriæ studio flagrans sapientissimus legislator, arreptum idolum fusile incendit, comminuit, in cineres vertit, quos & cedere jussit in potum, ut perspectâ ficti numinis vanitate, idololatriæ ipsos suæ dispuderet. Hinc denique principes quidam christiani, exemplo pio illo quidem, quamquam mundanis hominibus haud satis probato, sola mortis commentatione non contenti, magis vividam ejus imaginem animo sibi ut insculperent, ac veluti subjicerent oculis, destinatum funeri suo sarcophagum in palatio locavêre. Alii in pretiosâ supellectile calvariam habuêre, quæ

quæ triste illud tacitè inculcaret. *Memento homo &c.* Praxis utilissima dynastis, qui fortunæ terrestris splendore, ac pompâ oculos præstringente, christianam demissionem aliâ ferme viâ adipisci nequeunt, quàm crebrà mortis meditatione. Cùm autem seu dynastæ, seu privati hominis pectus humilitas tenet christiana, facilè illud compunctioni, & pœnitentiæ laboribus submittas. Quid ita? non solùm quia ingens est pœnitentiæ detractus obex, superbiam dico, penitus insitum in nobis malum; sed quòd si res accuratius perpendantur, est animi demissio, conversionis nostræ ad Deum pars maximè necessaria. Utcumque enim abjicio me, ac demitto libens, sontem me pariter agnosco, non gravatè. Sacerdoti noxas aperio, non gravatè; pœnas mihimet irrogo, non gravatè; jam tum inclinat animus ad Deum: jam propè adest ut misericordiam ejus implorem, ut satisfaciam illi; ut excussum divinæ legis jugum in humeros tollam: quæ cuncta, totidem sunt ad pœnitentiam agendam necessarii gradus. Inde est, quòd Ecclesia, postquam duplex cineris genus nobis in memoriam reduxit, alterum, unde originem ducimus, *memento, homo, quia pulvis es*, alterum, in quem sumus revoluendi, & *in pulverem reverteris*: illum, quo docemur nos esse merum nihil, hunc, quo docemur,

cemur, nihilo nos quiddam minus, aut etiam pejus esse; quando nihil nisi peccatum sumus, hæc inquam, cinerum genera duo, cum oculis nostris subjecit Ecclesia, tertium, quod cum aliis optimè convenit, pœnitentiæ videlicet cinerem, capitibus nostris superinjicit. Quid enim agit peccator, cùm oblatum à sacerdote cinerem admittit? discite, Auditores, ritè, atque ut Christianos homines decet, Christianam cærimoniam obire: quid agit, inquam, peccator, cùm pœnitentiæ sacratum cinerem pronâ cervice suscipit? idem est prorsus ac si dicat; volo, Domine Deus, animo & cogitatione id ipsum efficere quod brevi perficies reipsa, Fixa, ac constituta est, ut peccati pœna, humani corporis dissolutio: illius specimen quoddam hodie daturus accedo, ad sacrum altare, ferendam à te sententiam voluntariâ mei damnatione anteverto, jamque illam ipse exequor. Cineres illos, ex æternis decretis tuis, partem esse oportet supplicii quod es de me sumpturus. Jam nunc incipe, neu differ feram in mortem, tuas injurias ulcisci. Vides cineribus jam conspersum caput: non sunt illi, mortis adversus homines grassantis, illætabiles fructus: at sunt insignia pœnitentiæ, quæ mortis genus est quoddam accommodatius multò ad te flectendum, & placandum, quam mors ipsa. Comprime igitur, Deus opti-

optime, scelerum nostrorum vindicem manum, dum cineres spectas demissionis, & contritionis meæ signa tantùm exteriora; facque, ut mortis officium pœnitentiâ occupante, eumdem in me effectum illa obtineat, hoc est, justissimæ tuæ voluntati liberè me subjiciat, priusquam id præstet inevitabilis illa fati necessitas, cujus memoria, quamquam amarior, tam salutares edere fruges in nobis valet. *Memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Ita eum hodiernâ die sentire, ita affici oportet, quem noxarum memoria non modicè tangit, semperque fatendum, illam mortis recordationem, longè optimum esse superbissimis mentibus ad pœnitentiam adjumentum; videmus quippe præsidio illo certis quibusdam locis, non sapienter minùs, quàm fortiter adhibito, ea perfecta esse, quæ solis cœlestis gratiæ viribus sunt attributa. An non his armis Theodosij Magni ferocitatem, ut ita loquar, Ambrosius olim contudit, &, post immanem Thessalonicæ carnificinam in pœnitentiæ, ac rigidæ, quæ tunc vigebat, disciplinæ ordinem redegit. Imperatoria fortasse dignitas (ea fuit sacri Antistitis ad Theodosium admonitio, quam fideliter, ut extat apud Theodoretum, convertam è græco) Imperatoria fortasse dignitas rationi tuæ caliginem offundens, peccatum agnoscere non sinit. Verùm ut funestam hanc ca-

liginem depellas, quæ natura nostra, quàm fluxa, fragilisque sit, considera paulisper. In avitum pulverem, unde orti, & in quem fumus aliquando recasuri omnes, aciem mentis intende, & à te, quæ tua religio est, nihil non expectem. Tametsi solio, suffultum ac, purpurâ fulgentem, hominem te agnosce, omnibus humanæ vitæ ærumnis propositum, morti addictum; agnosce in ijs qui te verentur ac tremunt, naturam tuam, & quando morti, & peccatis, non secus ac illi, obnoxius es, abjice te, ipsorum exemplo, penitúsque deprime, in Summi Regis ac Domini conspectu, à quo nihil est quod veniam speres, ni pœnitentiâ, lacrymisque tuis impendentia capiti mala quàm primùm avertas. Permovit Imperatorem vehemens oratio. Provoluit se is ad Ambrosij pedes, flens admissum facinus, nullóque sui respectu, placare studuit iratum Numen, pœnitentiâ maximè illustri. Quid ita? quoniam ostensum est illi, quid tunc, quid postmodum esset futurus. *Memento, homo, &c.* Quod si ita cum Dynastis, qui corruptis sunt moribus, agatur; si sæpius inculcetur, moriendum esse ipsis, sententiam illam latam à Deo, non posse revocari; non esse appellationi locum; dum cupiditatibus abripi se sinunt; dum acceptis à Deo bonis abutuntur, citato gradu mortem accelerare; nullam rationem habendam ab ea fastús illius ac pompæ, quæ, eos comi-

ta-

ratur; manere eos, idque certò, longè contemptissimam sortem, ut scilicet pulvis fiant & cinis. Quo temporis articulo subibunt vim mortis omnem, sistendos eos esse ad formidolosi Tribunal Judicis, qui suam cuique, pro commissorum ratione, mercedem persolvat. Si talis sit eorum sermo, qui principum aulas frequentant, hi, quantumvis mali fingantur, & in peccatis obfirmati, redeant haud dubiè in viam. Retinet illos demersos in cœno vitiorum, tantæ, támque certæ veritatis oblivio: retinet illos, quod & convictores domestici sermonem pro se quisque inferunt, non de communi, ut par est, humani generis fragilitate, sed de potestate eorum summâ, de fastigio, quod inter homines tenent: nemo in memoriam redigit venturam mortem. Omnes æternitatem ipsis quamdam, si Deo placet, & gloriæ immortalitatem gratulari non cessant. Quod humanæ conditionis cùm admoneat nemo, deos quosdam aspectabiles eos esse penè illis omnes persuadent. Atenim non solam spectamus hoc loco dynastarum emendationem: vestra agitur, ac mea, Auditores Christiani, quæ non minùs difficilis fortasse fuerit, ac minus remota. Nam ut tenues simus, & obscuri, non propterea sumus immunes superbiæ tabo; & est superbia in fortunâ tenui, teste scripturâ, Deo magis odiosum malum. Sic tamen sumus, & eâ est morum nostrorum perversi-

tas, cujus hodie pudere nos oportet; tametsi persuasum est quantuli simus, & quem sit mors statum allatura, tametsi confitemur istuc ipsum solenni cinerum susceptione, facimus nos tamen quàm plurimi, atque adeò, quod est consequens, vitioso nostri ipsorum amore dementer occupati, imò ebrij, vivimus. Quantumvis studeat Ecclesia in memoriam revocare dogmata illa acerba eadem, ac jucunda; acerba, inquam, hominem si spectes, jucunda, si Deum, nec magis desciscimus à nobis ipsi, nec vim nobis majorem inferimus; *humiliat nos Deus*, inquit Regius Psaltes, *in loco afflictionis, & cooperit nos umbra mortis*: verumenimverò contra sanctissima Dei consilia, quò magis depressi videmur, eò minus nos deprimimus; quò nobis propius *umbra mortis* incubat, eò minus nos reducit in salutis semitam mortis recordatio. Quot christiani hypocritæ, (cur enim verear ita eos appellare, cùm tantam perspicio fidei, quam profitentur extrinsecus, & studiorum distantiam?) quot christiani, & fortasse ex astantium numero, suscipiendo cineri collum submisere; idque animo pleno ambitionis, ac superbiæ, animo indocili incircumciso, & in spiritum sanctum rebelli? quid est autem hypocrisis crassa, si hoc non est? quot fœminæ pravis mundi legibus impensius addictæ, sacro pulvere ut perfunderentur, hodie visæ sunt aris

*Psal. 43.*

ad-

advolui, cum cunctis mundanæ vanitatis insignibus, cum omni vestium pompâ, &, quod est his conjunctum, cum omni superbæ mentis tumore? sic autem affectis an verum dixerimus inesse pœnitentiæ spiritum? cúmque externam illius speciem tantùm præferant, nónne inter hypocritas, quos Christus in hodiernâ damnat Evangelij lectione, sunt meritò numerandæ? at sunt, inquies, fœminæ satis compositæ quoad mores, ac, si demas vanitatem, qua tenentur, vitâ cæterà innocente. Itáne verò, Chrìstiani Auditores, falsis mundanorum hominum opinionibus, non puris Evangelij placitis, humana semper metiemur? an compositæ quoad mores fœminæ illæ dicendæ sunt, quæ vitiosum sui ipsarum amorem ducem in omnibus sequuntur? an dicendæ nulli vitio affines, quæ vitam eò tantùm conservari ac proferri velint, ut colantur ceu numina quædam terrestria. Simplicem vanitatem appellas, quæ duas saluti maximè necessarias virtutes, christianam demissionem, ac pœnitentiam excludit, & fugat. *Terra, terra*, inquit Propheta, *audi sermonem Domini.* Sensus est, vos, ô, flagitiosi mortales, qui è terrâ facti, in terræ sinum brevi reversuri estis; vos, qui originis vestræ obliti, peccatis indormiscitis tranquillè; auscultate Deo per me vos alloquenti, & vocem ejus pronis auribus accipite. Ut dignos efferatis pœnitentiæ fru- *Jerem. 22.*

1. Petri. 5. ctus, *humiliamini sub potenti manu Dei*, nec sit demissio illa, exterior tantùm. Pectus Joël. 2. intimum pervadere eam oportet. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*; neque illius similes estote, quem Spiritus san- Eccl. 19. ctus describit ac reprobat his verbis. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo.* Est, qui se in speciem deprimit, cujus mens simulationis plena est ac doli. Est, qui sub aspersо cinere, sub exangui pœnitentiæ larvâ, diabolicam superbiam tegit, ac fovet. Est, qui dicat, pulvis sum, & in pulverem revertar, ac, si fas, Luciferum Isai. 14. ducem sequutus, *in cœlum conscendat* libens, *& super astra Dei exaltet solium suum.* Tali ac tanto malo occurrat, Christiani Auditores, humilis, ac sincera conversio nostra ad Deum. Istuc ipsum significat divina vox. Audire vos illam decet aure non aversâ: *terra, terra, audi sermonem Domini.* Sed & hoc insuper admonet, mente vestrâ per christianam demissionem Deo veluti mactatâ, corporis mollities, per voluntariam ejusdem vexationem, Deo ut mactetur, superesse. Addo, nullâ re aliâ facilius, & expeditius, sacrificium illud alterum, quam mortis memoriâ, cinerúmque conspectu, perfici à nobis posse.

Pars II. QUI pœnitentiam, virtutem esse existimant, merè interiorem; imperium eam exercere in spiritales duntaxat animæ facultates;

tates; satis habere, si pectus intimum mutet; bellum ab eâ cum vitijs ac cupiditatibus solis geri, posse illam obiri sine ullo carnis incommodo, sine ullo exterioris, terreníque hominis dispendio, in magno utique hi versantur errore, quo, & mundana pravitas ac mollitia non hodie primùm abutitur ad perniciem, exitiúmque suum. Alioqui resecandi essent è sacro codice, inquit Chrysostomus, libri integri, in quibus carnalem hanc sapientiam, eâ super re, sapientia cœlestis testimonijs revincit pravo nostri ipsorum amori tam contrarijs, quàm est veritas errori contraria. Dicendum esset, & rudem, & christianæ pœnitentiæ prorsus ignarum Paulum extitisse, cùm docuit, corpora per eam nostra, citrà interitum tamen, Deo mactanda; *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Cùm præcepit, eò ut progrediantur qui Christi sunt, *carnem, ut crucifigant cum vitijs, & concupiscentiis*; ut *semper mortificationem JEsu in corpore circumferant suo*; denique cum corpus & ipse suum, ut præiret illis exemplo, *castigabat, & redigebat in servitutem, veritus*, ne, post quàm pœnitentiæ necessitatem *prædicasset* alijs, *ipse*, si eam omitteret, *reprobus efficeretur.* Scio hæresim, cum præclarâ illâ suâ morum reformatione, exteriora hæc pœnitentiæ exercitia non approbâsse: ac posteaquam præcipuas pœnitentiæ partes, confessionem dico, & dolo-

*Rom.* 12.

*Gal.* 5.

2. *Cor.* 4.

1. *Cor.* 9.

dolorem ipsum de peccatis, tollere libuit, certè non admisit ut necessarias, eandem adhuc temperâsse, opera pia, queis Deo satisfit ab hominibus, velut supervacanea rejiciendo, latam de jejunio legem abrogando, voluntarias omnes corporis pœnas, partim mentis imbecillitati, partim dementiæ tribuendo. Verùm satis sit nobis, ita visum Ecclesiæ hostibus, ut pernicioſi erroris lenocinio trahi nos ac seduci non sinamus. Sic est, Auditores; quoquo tandem modo rem pensitemus, pœnitentia nulla vera est, quæ carnem non castigat: quandiu post admissum peccatum, corpus impunitum manet; quandiu pœnas non soluit, quas, ex justo ulciscendi numinis studio, irrogare illi nos oportet, nec perfecta dici potest cordis nostri conversio ad Deum, nec plena, quæ ipsi debetur, satisfactio. Ex quo Christus, sacro sanctæ carnis suæ detrimento, pœnitentiam egit nostrâ causâ, aliter à nobis ipsis, inquit Augu-

Coloſ. 1. stinus, fieri nequit; sunt enim *adimplenda*

Rom. 3. *quæ desunt passionum & satisfactionum Christi in carne nostrâ. Quando peccatum regnat in nostro mortali corpore*, ut loquitur Apostolus, ibidem regnet pœnitentia necesse est; ubi enim peccatum, ibi regnare pœnitentiam oportet. Fatali quadam contagione intimóque nexu, quo cum animâ corpus copulatur, venit in peccati partem, est peccati instrumentum, plerumque origo & fons pec-

peccati; ut illud non dubitet Apostolus appellare *corpus peccati*; quasi peccatum nobiscum reipsâ consusum sit, atque permistum; & sit per sese humanum corpus substantia quædam peccatrix; quâ quidem voce Manichæi olim abutebantur, sed quæ ritè intellecta, nihil aliud significat, quàm corpus peccato obnoxium; corpus quo stat, & in quo habitat peccatum; corpus, inquam, nostrum, venit in peccati partem, æquum est igitur, unà ut nobiscum illud expiet, sarciatque injuriam illatam Deo, quod christianæ pœnitentiæ est. Tametsi vis, & pœnitentiæ meritum in humanâ hæreat voluntate, usus, & exercitia pœnitentiæ in carnis castigatione posita esse debent; & quisquis aliter sentit, in errore versatur, & aberrat. Sic affectos esse nos oportet, Auditores Christiani. Si oblatâ per sacra hæc abstinentiæ, & jejunij tempora, gratiâ ritè uti volumus. Huic autem pœnitentiæ legi ita constitutæ, lex alia obsistit nobis insita, hoc est inordinatus corporis amor. Amor, (ejusdem progressum cognoscite, Auditores, eaque peste ne sinatis vos afflari) amor eorum omnium, quæ necessaria nobis videntur, imò quæ cœcâ cupiditas ostendit, ut corpori necessaria; amor commodorum omnium, quæ carni blandiuntur, & sectamur tam cupidè; amor deliciarum, quæ, copia, & superfluitate sua, sæpe corpus debilitant, aut etiam stan- *Rom. 10.*

franguntur: amor voluptatum, quæ vetitæ sunt, & illicitæ, & corpus contaminant; his enim gradibus, (fateamur quod verum est, & saltem ex eo quod in nobis crassius est, nosmetipsos perspiciamus, tentemúsque) his gradibus descisit à Deo homo flagitiosus, dum corpori se suo totum mancipat, ac tradit. Non statim erumpit in scelus; sed eorum obtentu, quæ ad usus corporis necessarios expetuntur, à necessariis ad commoda, à commodis ad superflua, à superfluis ad flagitiosa progreditur. Contrà, ut ait, Gregorius Magnus, pœnitentia, cui propositum est corpus ut castiget, & subjiciat, facit, ut flagitiosa primùm abdicemus, quæ fatemur ipsi in flagitijs ponenda. Dein pro ratione progressûs quem facimus in pœnitentiæ studio, superflua resecat, quæ nobis innoxia videbantur: tum commodis etiam privat, queis carere nos posse negabamus; denique res abjicere jubet non quidem necessarias, sed studium, & intentiorem earum curam. Prorsus excellens christianæ pœnitentiæ, & variorum ipsius graduum forma! si sunt in illis ad quos pervenire nondum imbecillitas nostra sperare ausit, certè nobis noscantur, & sint in optatis, facit, ut flagitiosa mittamus, hoc est, obscoenas voluptates, quas divina lex vetat, quoniam vitium nullum est sanctitati Dei magis contrarium, & quod minus cum ejus spiritu consistat, quàm libido. *Non*

*Genes. 6.*

*pec-*

*permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Superflua resecat, hoc est, delicias, quoniam difficillima est vitæ mollioris, & integritatis morum concordia; nec reperiri solet integritas illa morum in iis, qui toti sunt in mulcendis, titillandisque sensibus. *Non invenitur in terrâ suaviter viventium.* Privat nos vitæ commodis, quæ quamquam lege permissa, carnis tamen rebellionem fovent. Quin & anxiam prohibet rerum necessariarum curam; quoniam nihil perpeti, nihil sibi indulgere, nulla re carere velle, & dare pœnitentiæ operam, novum est, & sanctis quibusque hactenus inauditum vivendi præceptum. Atenim quod sanctis quibusque ignotum fuit, ars nova facta est pietatis hodiernæ. Affirmare quippe licet, majori nunquam ostentatione sermonem habitum de pœnitentiæ severitate, nec longius progressam artem in ijs esse, quæ ad commoda pertinent, ac vitæ jucunditatem, quàm hac ætate, nostrâ. Annon sæpe nonnulli ita se stultè amant, ut ponant in officijs curam & obsequium corporis? annon eò prolabitur quorundam amentia, animum ut inducant, amittere se vitam non posse, sine gravi Reipublicæ detrimento, ob eamque causam non teneri se maximè usitatis Evangelicæ mortificationis legibus. Attamen pronunciavit Apostolus, ac verè, pœnitentiam, ut perfecta sit, ad sui-

*Iob. 28.*

met

met odium extendi oportere ; nec potest Dei offensa titè vindicari, *ni carnem illam peccati*, quæ capitalis est, ejus hostis, *crucifigas* ; *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt*. Qua autem eò pervenias ratione ? si mortem sedulò retractas, ac recogitas tecum. Si ad cineres illos, qui capiti asperguntur, diligenter attendas, satis fuerit, *Memento*. Hæreat in mente futuri tui occasûs cogitatio : sit illa tibi quotidiana, & familiaris. *Memento*. Mysterium hoc cinerum acri Judicio perpende, nec mollitiem unquam Christianæ mortificationi præpones. Sic est, Auditores Christiani, mortis cogitatio sensim, ac velut invitis excutiet vitiosum corporis vestri amorem. Quonam autem pacto ? vestram super eâ re cæcitatem, & injustitiam vobis ostendendo. Cæcitatem ! dicite enim, quæso, an cæcitas ulla major, quàm habere delicatè ac molliter aridum pulverem ; putrémque massam ; corpus abiturum in vermium escam, horrori omnibus brevi futurum. Eâ est autem voluptatum omnium meta. Hæreant necesse est ad eam externæ dotes illæ, omnes, & adventitiæ, forma, valetudo, floridus oris nitor, optimus corporis habitus, quorum causâ pretiosissima salutis adjumenta negliguntur. Eò recidunt. Ad corpus quod jam dilabitur, & post certos aliquot dies, deforme, & horridum fiet cadaver, cujus ne ferre quidem conspectum

Galat. 5.

ctum quisquam valeat. Quid hoc indignius dici, ac cogitari possit, Christiani Auditores; animam, pretioso Christi sanguine redemptam, Dei capacem, abjicere cogitationes suas in rem tam vilem, tam contemptam? vos præsertim, matronæ nobiles, quas hîc intueor, & estis pietate aliquâ præditæ, non vos misereri decet earum sortem fœminarum, queis animæ datæ videantur, corpori ut serviant? quot in eo nutriendo, ornando, decorando, fucando totæ sunt? quot illud, idoli instar esse dum volunt, faciunt ignis inferni pabulum? cùm sit humanum corpus, res tam vilis, & abjecta, nonne multò consultius est, despicere, domare, subjicere illud tationi, pœnitentiæ laboribus exercere? si ratio, si fides paulisper audiatur, quem non pudeat explorare appetitus omnes corporis, inservire desideriis ejusdem anxiè; largiri turpiter quidquid postulat, imò, & plusquam postulat? præterea, quàm injuriosum est, si mortem cogitamus, quàm injuriosum inquam est, in DEum illum æternum, amare plusquam illum, obnoxium putredini corpus, atque ita amare, ut quod Paulus conqueritur ac deplorat, numinis teneat apud nos locum? quàm injuriosum est in animam illam immortalem, præferre illi corpus extinguendum aliquando; ejusdémque felicitatem, ac gloriam, fœdis carnis perituræ desideriis permittere? quàm injuriosum

est in ipsum hoc corpus, ob fugaces delicias, objicere illud æternis inferorum ignibus, & perexiguo voluptatis sensu, emptos velle cruciatus nunquam finiendos? si reprobi cujuspiam corpus, inquit, Chrysostomus. (Hypothesim instituit, quæ mira vobis accidet, quamquam solida est, & ad pietatem acuendam accommodata) si reprobi cujuspiam corpus, nunc sepultum in terræ sinu,

Luc. 16. *sepeliendum olim in inferno*, posset in animam insurgere, & ream illam facere apud supremum judicem Deum, quid non fas esset exprobare de crudeli in ipsum indulgentiâ; & anima illa, quam perdidit nimius corporis amor, si jam existat ab inferis, & cadaver illud, tumulo conditum tueri detur, quid non objiciat ipsa sibi de flagitioso corporis obsequio? rectius loquamur; quid non exprobent invicem, si inter se componantur? finite me, Audit, figuram hanc urgere amplius, quæ, quamvis insolens, & inepta videri possit, planius tamen, apertiúsque faciet quod volo. Debuisti perfida, dicat corpus, ita me prodere? debuisti, ut per brevi fruerer felicitate, agere me præceps in æternæ damnationis barathrum? an oportuit obsequi te mihi? an pravis meis studijs indulgere tam ignavè? quid opus erat tam funesto in me obsequio? quid necesse fuit,

Gal. 5. *desideria* mea explere tam turpiter? non decebat ea comprimere? frænos injicere?

tene-

tenere me in tuà potestate? cur me salutaribus pœnitentiæ cruciamentis non addixisti? cur non coëgisti leges eas subire, quas præscribere jubebat Deus? annon tibi me eam in rem subjecerat? cui nam alii, reponat anima, ruinam meam imputem; quàm tibi, molle, ac rebelle corpus? duci me sinebam illecebris tuis, quia nec quid fuisses, nec quid esses satis cogitabam. Si semper attendissem, quàm horrendum in statum redigi te oporteret, nullo te loco numerâssem; eáque in societate, quæ mihi tecum intercedebat, tractâssem, ut communis miseriæ socium, aut potius, ut scelerum meorum consors, atque adeò ut suppliciis debentur, mecum obnoxium. Istuc ipsum est, Auditores Christiani, quod homines vitæ sanctioris semel iter ingressos, ad generosum illum corporis sui contemptum, sanctúmque odium semper impulit: istuc ipsum tot mortales à vitiis, quasi per miraculum abstractos, ad saniorem mentem revocavit, vitæque melioris institutum. Haud alia res Franciscum Borgiam ad nuntium mundanis opibus, terrestrique gloriæ remittendum, induxit. Extinctæ Principis aspectus, dum ejusdem curat exequias, vixque agnoscit sub solenne jusjurandum; adeò deformatum reperit cadaver, satis illi fuit ad animum, quò jam inclinabat, planè flectendum. Spectare non

potuit os illud, cujus formam insignem tam repentè populata mors erat, quin statueret apud se, solitam fati rapacitatem, voluntariâ bonorum abdicatione, anteverteré. Oculos dum ferit pompa lugubris, salubres menti injicit pœnitentiæ sensus. Nàmquid necesse est, inquiebat ipse secum, curare molliter corpus morti devotum? lata in fontem, ac ritè pronunciatâ sententiâ, non jam curæ est, lautiores ut epulæ suppeditentur. Si conservanda vita illi est ad breve tempus, ea dantur duntaxat, quæ necessitas poscit, nec aliâ de causâ vita producitur, quàm ut acrior sit doloris in necesensus. Talis est corporum nostrorum conditio. Sunt illa veluti fontes totidem capite damnati. Jam sententia est. nec longum in tempus mors differtur. Ergo delicatiore illis cibatu non est indulgendum: non inferanda cupedia: continenda tantùm in acerbi Judicis potestate, cui sunt à Deo permissa. Ita cum iis agendum, ut assiduis pœnitentiæ laboribus, mortem præcipiant, ac veluti degustent, quò sempiternæ illi, quæ longè gravior est, subducantur. Haud aliter ratiocinari oportet christianum hominem, cum vitam omnem retexens, ad institutum sanctius animum appellit. *Memento, homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sed longè acrius odium exercet in corpus, cùm illud cinerum, quos offerr

offert Ecclesia, mysterium propius inspicit. Cùm rem altè, & ab ipsis Religionis incunabulis repetens, tam sancti ritûs originem vestigat, cogitatque, cineres illos utraque in lege pœnitentiæ Symbolũ, illúdque non vacuum, extitisse, meramque cærimoniam; cum pœnas intuetur gravissimas, quas ei comites esse oportebat, ex veteris disciplinæ legibus; cum intelligit ex Prophetarum lectione, cilicium & inediam, ex communi fidelium usu, sejungi olim á cineribus non debuisse. *Accingere cilicio, & conspergere cinere filia populi mei:* cum legit in conciliorum actis, qua severitate pœnitentiæ legibus addicerentur, qui apud Tertullianum *Conciliati*, & *concinerati* vocantur, hoc est, cinere conspersi, quamvis reconciliati cum Deo. Etenim ita hodie loqui eum oportet, quem flagitiorum conscientiæ stimulant acrius, ac pungunt. Qui tam acerbæ pœnitentiæ operam olim dabant, non graviore premebantur, criminum pondere; non erant deteriores profectò, nec per cinerum impositionem pœnitentiæ lege magis adstricti tenebantur, quàm ego. Mea igitur ratio fuerit omninò præposteră, si ad sacros illos cineres, aliam in rem prorsúsque diversam usurus, accessero: si cum hæc cærimonia esset illis pœnitentiæ exercitium maximè rigidæ, mihi tantùm species ejusdem sit, & inanis quædam

umbra; valdéque indignum fuerit, post susceptum ferale mortalitatis pignus, vana mundi oblectamenta, profanaque adhuc gaudia cogitare, atque, ut solitarius ille loquebatur, munditias, & lautitiam in cinere ac cilicio ipso consectari. Quamquam enim prima illa sæcula præterierint, queis christiani tanto emebant absolutionis, ac reconciliationis gratiam, nihilo tamen minor nobis necessitas injuncta est, Deo satisfaciendi. Potuit Ecclesia pœnas mitigare singulis criminibus præscriptas, sed nihil illa de statutis à jure divino laxavit; ac Deus ipse testatur, nihis se laxaturum ex iis unquàm, nisi fautrice, & adjutrice pœnitentiâ. Igitur pœnitentiæ est, quod Deo debetur, dissoluere, & quoniam agitur Dei injuria, quam, vel in hac vitâ, vel post obitum, resarciri necesse est, longè mihi satius fuerit, temporariâ, præsentique pœnitentiâ, futuram declinare; voluntarias mihimet pœnas injungendo, certa quædam oblectamenta, etiam licita, abdicando, quibusdam in rebus mihi vim inferendo, vitam probatiorem, & sanctiorem instituendo, denique pœnitentiam meam cum Christi pœnitentiâ conjungendo, horrendos antevertere cruciatus, quos Deus iis præparavit, qui meritas de seipsis pœnas non sumunt. Quàm mitis es ac misericors, Domine Deus, qui te tam facilè nobis ex iraro

irato placabilem præbeas; qui alterum accipias alterius vice, & pro temporali, æternam, quam meremur, pœnam remittas! Tam pios sensus haurire nos oportet ex hodiernâ cinerum cærimoniâ. Si eos gerimus altè defixos, non jam gravi nobis oneri fuerit solennis jejunii lex, ut est christianis inertibus, multò minus offensionis, & scandali, ut est impiis, ac peccati causâ. Stadium illud alacriter ingressi, libero, constantíque cursu metam, contingemus. In magnâ ponemus felicitatis parte, ad rem nobis tam utilem, támque necessariam accedere præcepti vim ipsam, nec tantopere nos audiemus; ac si paulùm in nos æqui erimus, fatebimur, supra vires nostras, uti putammus, non esse jejunium, nec tam vires, quám voluntatem nobis deesse. Non erimus, in curandâ corporis nostri naturâ tam attenti. Ecclesiæ filios, atque adeò eidem jubenti obtemperantes esse oportere. Nocentes, atque adeò placandum Deum nobis esse. Eâ quippe de re ratio ipsi, inquit Bernardus, imò nobis ipsis, statum, & professionem nostram magis attendentibus, quàm vires, & corporis constitutionem, est reddenda. *Non de complexione judicandum, sed de professione.* Non excusabimus leviſſimam ægritudinem, quoniam si hæc regula valet, vana prorsus futura sit jejunii lex, eáque nullus è christia-

nis jam teneatur. Ne id quidem metuemus, ne quid importet secum incommodi, cùm istuc constet, si jejunium molestiam nullam exhibeat, quod esse oportet. jamnon fore, falsas immunitates non extorquebimus, quoniam persuasum erit, Deum ab hominibus falli non posse; humanásque immunitates omnes, ni ratas eas habeat Deus, nullas esse. Non queremur Ecclesiam, dum quadragesimam instituit, aut quod verò similis, dum proposuit illam nobis, & explicavit jam institutam, plus à nobis, quàm æquum erat, exegisse. Quin potius summam ejus in nos mirabimur benignitatem. Nostræ nos pudebit ignaviæ, quæ ad talem indulgentiam, eam quodammodo compulerit. Neque hoc satis est, ritè observatis quæ ab Ecclesiâ præcepta sunt, circa jejunium, non propterea satisfactum putabimus naturali pœnitentiæ legi. Sic statuemus, nos iis, quæ sunt ab Ecclesia de jejunio sancita, servatis, immunes eorum non fieri, quæ prudentiæ pietatisque nostræ fervori eadem permisit. Ita mortis cogitatio, cinerùmque conspectus juvabunt ad superbiam nostram comprimendam; ad castigandam naturæ nostræ mollitiem; humilitas christiana ad veram gloriam, pœnitentia ad supremam felicitatem aditum dabit. Amen.

IN

# IN PRIMA FERIA QUINNTA QUADRAGESIMÆ CONCIO.

## DE SACRA COMMUNIONE.

Ait illi JESUS: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Matth.* 8.

IN Christi cum Centurione certaminis genus quoddam, Auditores Christiani, in quo Deine prius charitatem miremur, an Ethnici militis modestiam? possum affirmare pugnam nunquam extitisse sanctiorem, moribúsque nostris informandis magis accommodatam. Parat Christus, beneficæ chariratis impulsu, adire ipse ad

Centurionem; oblatum honorem Centurio deprecatur. Ait summè misericors Servator, iturum se, & depulsurum paralysim servi. *Ego veniam & curabo eum.* Pudore confusus Centurio, ob meritum tam insigne, eo se indignum significat, ac palam profitetur. *Domine non sum dignus.* Advertite, quæso, Auditores, tunc Christum, nondum illi, ut Messiam, quemadmodum Judæis, fuisse annuntiatum; ea tamen de ipso opinio, ea reverentia Centurionis occupaverat mentem, ut tali ac tanto ab hospite conveniri se ne patiatur quidem. Quâ in re, auctore Augustino, elucet animi demissio, quæ à vividâ & ferventi fide profecta, haud obscuro gratiæ cœlestis auxilio, in pagani hominis personâ non verum modò Israëlitam sed & christianum, vel ab eo tempore perfectissimum effecit. Animi demissio, quam Christus approbat, suspicit, præconio ornat, non tamen audit, cum, vel ob id ipsum, in susceptâ mente, de Centurione adeundo constanter perseveret. Consistamus hîc, Auditores Christiani, atque ut exemplum hoc illustre fructu non careat suo, lectionis Evangelicæ mysterium ad nos accommodemus; nam ut ait Chrysostomus, quod à Christo, & Centurione semel factum est, nos inter & Christum instaurari subinde videmus ac renovari. Accipite quid velim.

Ille

Ille idem hominum Servator Eucharistiam instituens, reliquit Ecclesiæ suæ Sacramentum, quo se nobis impertiri, quo, quamquam Deus, vero tamen corpore circumdatus, habitare nobiscum statuit, atque permanere. Sacramentum, quo & præsentia nos sua cohonestat, & animorum nostrorum morbis salutarem medininam affert. Igitur cùm nos ad eum excipiendum comparamus, non verè minus, quàm olim, dixerit, *ego veniam, & curabo.* Ibo, &. quæ cumque te languotis habeat species, si ex animo sanitatem optas, sanitatem reddam optanti; nos verò ex sincerâ propriæ infirmitatis, ac nativæ tenuitatis confessione, meritò respondeamus Centurionis verbis, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Hæc enim verba nobis Ecclesia suggerit, cum sacris Eucharistiæ typis obductus Dei Filius, in os, pectúsque nostrum jam jam est immitendus. *Domine non sum dignus.* Verba efficacia, quæ, ut acutè Augustinus animadvertit, id habent, ut in animâ nostrâ, contrà quàm significant, operentur; vix quando prolata, indignitatem illam adimunt, quæ à sacris nos mystetiis retrahebat, faciúntque ut donis cœlestibus ac meritis instructiores, & paratiores ad ea accedamus. Verba, quæ mirâ divini numinis sapientia, ad eum ipsum terminum nos ducunt, à quo videntur nos removeo-

movere; cùm ex Patrum omnium doctrina, prima sit ad Christi corpus dignè suscipiendum, & maximè necessaria præparatio; si te illo & indignum Judices, & confiteâre. Verba denique quæ Christo Servatori dum significant animi demissionem, non modò non retardant ejus charitatem, verùm etiam hospitio eundem invitant, atque allectant. Quid autem fit? percipite quid velim, Auditores; verba illa nobis à nobis ipsis aptata, sæpe usurpamus ultrà ipsam Christi voluntatem; dúmque ita utimur ad mentem nostram, plusquàm oportet, periculum est, ne Servatoris menti repugnemus. Accipite quonam id pacto fiat. Ambit Christus in hoc Sacramento consortium nostrum. Nos ab eo refugimus. Vult adire nos, ex immenso charitatis ardore; nos ardentissimo ejus amori obsistimus. Aditum sibi poscit ad pectus nostrum; nos, sub obtentu non specioso solùm, sed & religioso, vias ad illud omnes eidem intercludimus. Huic enim repulsæ indignitatis velum obtendimus; animóque à Centurionis mente valde diverso, dicimus, *Domine non sum dignus.* Ut est hæc, splendida magis, magisque vulgaris, excusatio, statui in eâ hærere, & commorari, non eam planè quidem ut refellam, neque etiam ut approbem; sed ut in eâ excutienda, gravissima, quæ ad praxim & usum communionis

nis pertinent, dogmata vobis aperiam. Quod ut perficiam, quo mihi non est opus gratiæ cælestis præsidio? adeamus, eam in rem, Virginem Deiparam, & Verbis illam Angelicis salutemus. *Ave Maria.*

RECEDERE à sacrâ mensâ ob suam indignitatem, excusationis genus est, Auditores Christiani, quæ pro variâ eorum affectione, qui eâ utuntur, varias formas, ac veluti characteres, potest accipere; & est propositum huic concioni, cujus speciem statim exhibeo, ut formam illam multiplicem vobis ostendat; quò melius excusationem æstimare, quid boni ex eâ, malivè consequatur, perspicere possitis. Duplex enim hominum genus eo fundamento subnixum, cum Centurione meritò dicat, *Domine non sum dignus.* Homines justi, qui à divinæ legis non recedunt præscripto. Homines flagitiosi, qui vitam exigunt facinorosam. Dei justis dubitari fermè non potest, quin ita loquantur ex sinceræ demissionis affectu. Verumenimvero statuere quatenus hæc progredi debeat animi demissio; eóne usque, ut à Christo, & ipsius avertat sacramenti perceptione; an divinæ Eucharistiæ privatio censeri possit homini justo, ordinarium pœnitentiæ exercitium, & si illud valdè consentaneum Christi Consiliis; an conveniat cum hujus

fine

fine & institutione mysterij; an respondeat vetustioris Ecclesiæ consuetudini; an receptum, aut probatum postremis his temporibus; an huic Patres auctores fuerint, & nunc sit è christianorum usu; uno verbo, statuere, an Christus, prout inest in Eucharistiæ Sacramento, honori ducat, homines justos ab ipso removere se; an, quà vitalis est panis, verè, à nobis coli dicendus sit, si debitâ duntaxat reverentiâ, & cultu eum prosequamur, non manducemus; hæc, inquam, omnia, quæstiones totidem sunt, in quas ingredi me prohibent causæ generales ac privatæ, & vobis ipsis examinandas, momentoque suo ponderandas relinquo: præterquàm quòd enim vix quicquam super eâ re novi proferri jam possit, fructus inde minor fortasse colligatur, quàm qui mihi in hac concione propositus esse debet. Agamus igitur de flagitiosis tantùm hominibus, qui, jure suo potiore quàm Petrus Apostolus, Christo dixerint; *exi a me, quia homo peccator sum.* Genus eorum universum in tres veluti classes partior, ac divido. Alteros, appello peccatores sinceros; alteros, peccatores cœcos; postremos, hypocritas, & simulatores. Peccatores sinceros eos appello, qui sincerè agunt cum Deo, nec versantur in errore. Peccatores cæcos appello, qui sibi satis noti non sunt, & fallunt se metipsi. Denique hypocritas & simulatores eos appello, qui

Luc. 5.

qui peſſimis ſuis motibus pietatem prætendunt, & fucum alijs facere amant. Primi, religioſi ſunt, agúntque religionis impulſu. Alteri, quamquam religioſi, ſibi, ſuísque vitiis blandi, errant, dum interiore pietatis motu ſeſe agi, ac cieri arbitrantur. Poſtremi, tametſi religioſi videri volunt, & ſequi virtutis ductum, nullâ ſunt tamen religione. Poſſunt autem hi omnes uſurpare ſententiam illam, *Domine non ſum dignus*, & ſubterfugere ſacram ſynaxim, indignitatis nomine. Sed, ut eam omnes pariter uſurpent, non eſt illis pariter fides tribuenda. Nam, ut concionis argumentum pergam evolvere, in primis, hoc eſt, in bonæ fidei peccatoribus, habet locum prædicta excuſatio. Alteri, hoc eſt, peccatores cæci, vano nomine culpam ſuam prætexunt, ac velant. Poſtremi, hoc eſt, impoſtores & impij, verbis illis abutuntur, & abutuntur non ſine gravi aliorum offenſione, & ſcandalo: en quod demonſtrandum mihi propoſui. Neque hoc ſatis eſt; his enim tria ſubjicio, queis notum fit triplex illud hominum genus, cum aliquo ſpiritalis veſtræ utilitatis fructu. Dicere, non accedo ad ſacram menſam, quoniam illâ non ſum dignus, honeſta oratio eſt hominis flagitoſi pariter ac ſinceri, ſed quæ nonnullâ indiget explanatione. Inanis eſt cauſa, quam improbitati ſuæ obtendit homo flagitioſus idem & cæcus ſui amator: atqui nudandus

eſt

est hoc præsidio. Est abusus, imò scandali genus in homine flagitioso eodem & hypocrita; meum est autem utrumque malum impugnare. En summatim tria capita, quæ mihi visa sunt apud vos hodiernâ die tractanda.

PARS I. UT planum faciam quod primo loco proposui, de flagitioso homine loquor, qui media inter flagitia, christianam adhuc retinet religionem; qui fide bonâ saltem agit, ac sincerè cum Deo. Qui miserum agnoscit animæ statum; qui peccata perspicit, eáque luget secum ipse ac deplorat, animo tamen ad ea deserenda nondum satis parato. Qui ita affectus, retrahit se à sacrâ mensâ, quoniam eâ indignum se judicat, fateor, is facti sui auctorem habet rationem, eámque gravissimam, siquidem liquet, ac fides etiam tradit, peccatori, manente peccato, nefas esse, accedere ad sacramentum Altaris. At contendo ego, rationem illam explicationis nonnullius indigere. Hæc autem in eo posita est, ut ostendam, peccatori non esse ibi consistendum; hoc est, divinis mysteriis, per indignitatis suæ causam, non ita abstinendum, ut dum iis, abstinet, christiani hominis officio præclarè à se satisfieri; sed persuasum ei esse oportere, quod non minus necessarium, minúsque certum est, discedendum esse illi quamprimum ex illo indignitatis

tatis ſtatu, ut ad ſacrum epulum admittatur, ſic, ut ejuſdem epuli fames, ſit illi cauſa, eáque gravis, quæ ad meliorem vitam exſtimulet, detractis vitiis, inſtituendam; & eam ob rem, quod huic cœnæ, qua ſua eum peccata excludunt, adhiberi optat, omni ope adnitatur, per veræ pœnitentiæ labores, eadem ut dignum ſe præſtet. Ita is animatus ſit oportet, ni officiâ planè ignoret ſua. Alioqui firmi ac ſolidi nihil habituram contendo, omnem ejus agendi rationem. Hoc poſitum ſit inprimis veluti axioma certum, ad quod peccatoris dirigenda ratio eſt omnis, quoad uſum Euchariſtiæ; ſervandas ſemper, nec divellendas unquam à ſeſe regulas illas duas. Unam, Chriſtum, jubere, carnem nos ſuam edere. Alteram prohibere eundem Chriſtum, ne carnem ſuam edamus indignè. Unam, Servatoris Chriſti corpus, fidelium animis cedere oportere in cibum. Alteram, cibum illum, tametſi ſalutarem per ſeſe, venenum iis fieri, qui cum noxæ lethalis conſcientiâ ſumere illum, ac mandere non verentur. Illam, ut vita corporis, abſque alimentis, teneri, ac conſervari nequit, ita ſine Euchariſtiâ vitam animæ. Hanc, ut alimenta corpus ægrum non modò non nutriunt, ac firmant, verum etiam debilitant, & putrefactâ vitalem calorem extinguunt, ita Panem Euchariſticum, mortem iis afferre, qui temerè ipſum, ac nondum emaculato pecto-

re, de sacerdotis suscipiunt manu. Qui alteram è duabus regulam amplectitur, relictâ alterâ, aberrat utique, & se perditum it. Utramque si amplectitur, jam incipit in salutis semitam ingredi. Ita enim ille ratiocinatur. Vetat me Christus manducare carnem suam, ac submovet, quandiu regnat in me peccatum. Igitur ut nunc sunt mores mei, citra sacrilegium non licet os illi profanum admovere. Attamen aliàs monet, ni carnem suam manducem, nec habere me, nec habere posse vitam illam spiritalem, in qua terrestris justorum sanctitas beatitásque consistit. Igitur omni ope, atque operâ enitendum mihi est, è vitijs ut emergam, fiámque dignus qui divinis epulis accumbam. Non obsequi non licet utrique mandato. Illi, quia res mea; huic, quia res agitur Christi. Si accedo indignè ad sacram mensam, corpus Christi profanum facio; en res Christi, cui consulere me oportet. Si non accedo, sum animæ meæ homicida, dum necessaria spirituali vitæ alimenta subduco. En utilitas mea, quæ mihi antiquissima esse debet: ego peccator, & in peccato perseverans, Angelicum illum panem si manduco, *Judicium manduco.* Aliundè ni manducem illum, mihi certò est pereundum. Ergo unum agendum restat, & agendum necessariò, nempe ut vitam & mores commutem; ut emergam è flagitiorum cœno; ut cum Deo redeam

1. Cor. 11.

redeam in gratiam; dignum ut me præstem vivo illo pane, qui mihi robur, & vitam impertiat. Hac enim via, & honori Christi, & privatæ meæ utilitati prospexero. Ita fecero id omne quod Christus imperat; nimirum ut panem hunc manducem, & eo vivam, utiliter manducando. Sic, inquam, ille ratiocinabitur; atque hac ratiocinatione viam sibi certam muniet ad conversionis portum. Sin totus semper erit in causanda indignitate, nunquam emerget; semper hærebit ad vitæ nocentis metas, salutis securus, ac cælestis vindictæ.

Quod autem ipsi secum homines flagitiosi, apud illos dicere oportet divini verbi præcones, & ministros omnes Christi. E duobus illis præceptis, quæ modò vobis explanavi, non debent unum proponere, quin Auditorum animos in alterius memoriam simul revocent. Quid ita? quoniam alterum sine altero non potest illis non inutile esse, aut etiam noxium. Homini enim vitioso sacrilegij periculum si semper ingeris & inculcas, nec ostendis piæ communionis necessitatem, avertis illum ab epulo cælesti, contrà Christi mandatum; *nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Contrà verò si communionis necessitatem semper inculcas, nec unquam ostendis indignæ communionis periculum, sæpe id unum promoves, ut imperfectæ, aut etiam

Joan. 22.

sacrilegæ communioni locum aperias; contrà Pauli præceptum; *probet autem se ipsum homo.* Atque ab illo fonte profecta sunt; (sinite me, Christiani Auditores, observare quiddam obiter, quod verum esse fassuros vos confido) ab illo fonte profecta sunt mala omnia, quæ in Ecclesiam semper invexit opinionum diversitas de Eucharistiâ frequentandâ, non sine gravi animorum dissensione. Alij omni studio in id incumbebant, ut peccatores absterrerent, arcerentque à sacris mysterijs; alij ad ea percipienda crebrâ illos cohortatione concitabant. Illi, verbâ hæc formidolosa, *qui manducat & bibit indignè, Judicium sibi manducat, & bibit*; hi, sententiam hanc jucundissimam assiduè ingeminabant, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Cùm primi artem suam omnem, & disciplinam in eo ponerent, ut horrorem injicerent sacrilegæ communionis; alteri, eam ad id unum referre viderentur, sanctæ ut Communionis desiderium incuterent; neutri conspirabant ad exequenda Christi consilia. Si veniissent utrique amicum ad fœdus, ex diversis eorum opinionibus, conflatum esset temperamentum, quod & Ecclesiæ mirificos fructus attulisset, & peccatoribus ad sanctitatem perducendis via fuisset maximè expedita. Sed enim quoniam non conveniebat inter illos, *& abundabat fortasse in suo quisque sensu*, ex his ne-

1. Cor. 11.

Ibid.

Rom. 14.

que

que ad Ecclesiam, neque ad peccatores, quæ fuerant proposita Deo, commoda illa rediêre. Etenim qui nihil præter divina anathemata in sacrilegos Eucharistiæ profanatores, jactata in sacris litteris, crepabant, cuncta illius invitamenta sedulò prementes, eò spectabant, ut usu Sacramenti sensim antiquato, à Sponsi mensà convivas omnes amoverent. Contrà, qui toti erant in extollendis Eucharistiæ fructibus, & id studebant unum, ut magnâ hominum frequentiâ celebraretur mensa Christi, periculum illis erat, ne, quod servos fecisse parabola narrat. Evangelica, bonos juxta ac malos ad eam advocarent. Utrique veraces esse poterant: neutri tamen id dicebant, unde suam vim sacramentum, effectúmque omnem habere oportebat, altero semper partem alteram reticente. Quid factum oportuit? notavit hoc sapienter S. Franciscus Salesius Episcopus Gebennensis. Nihil reticendum erat. Horum minis adjungenda erant illorum invitamenta. Nimirum ita compellandi peccatores erant. Timete, dum acceditis; timete dum non acceditis, ad sacram mensam. Timete dum acceditis, si nuptiali veste, hoc est, gratiâ, non estis ornati. Timete, dum non acceditis, quoniam eâ soli Dei hostes excluduntur. Qui vobis est appositus, lethalis est animæ vestræ cibus, si eum fide non discernitis à vulgari. Verum considerate etiam, cibum

esse salutarem, sine quo nec Christus in vobis mansurus est, nec vos in Christo. Quapropter ad sacram hanc mensam dum accedítis, contremiscite. Est enim tremor ille religiosus, unum è necessarijs ad eò dignè accedendum. Sed multò magis, si non accedítis, contremiscite, quia parare ad id necessaria non curatis. Ita affari peccatores oportuit. Atque ita Patres omnes antiquissimi, cùm mentem eâ super re suam aperuêre. Ut agebantur illi divino spiritu, longè absuerunt ab eo, ut hæc duo divellerent, ac distraherent, quæ Christum copulata semper voluisse, non ignorabant. Probemur, ac judicemus nosmetipsi, ajebat Chrysostomus, nedum Christi corpus participamus, carbones ignis, hoc est cælestem iram in caput nostrum ac vindictam accersamus. Ita ille, non sine incredibili fidelium, qui auscultabant, pavore. Atenim, subjiciebat idem continuò, quæ tristitiam orationis haud mediocriter mitigarent, *hoc autem non dico ut non accedatis, sed ut temere non accedatis. Nam sicut temerè accedere periculum est, ita omnino non accedere, fames est & mors.* Adverto nonnullos ex vobis, ait Augustinus, subterfugere sacram Communionem, idque ex conscientiâ gravium delictorum. Ego autem ipsis denuntio (notate non leve sancti Doctoris decretum) si in eo hærent restrictè, pondus, & numerum noxarum ab illis

lis augeri, non levari, ac minui. *Hoc est enim reatum congregare, & remedium declinare. Quapropter hortor vos, fratres,* pergit Augustinus, *ut si quis ex vobis indignum se communione Ecclesiastică patat, dignum se faciat.* Ita sentiebant Patres, ita loquebantur. Quod autem illi generatim & universè, multò verius est hoc tempore, quo Christi præceptum, Ecclesiâ definiente, fideles omnes obligat certâ, ac privatâ communionis lege. Talis est Paschalis solennitas, ad quam nos comparemus oportet singulis quadragesimæ diebus, & celebrari aliter nequit à christianis, quàm Agni, hoc est Christi Servatoris esu. Cælestem enim vindictam intentare peccatori, si eò prorumpat temeritatis, ut nondum abdicatis flagitijs, accedat ad sacram synaxim, Christo præcipienti obtemperaturus, est dimidiatam tantùm operam ponere in eo instituendo, atque adeò ejusdem impœnitentiæ fovendæ locum dare. Significandum illi est Magistri præceptum, Magistri dico summi, verbis ijsdem quibus Paschalem cœnam discipulo cuidam suo edixit. *Magister dicit,* Matth. 26. *apud te facio Pascha.* Apud te, frater charissime, ita peccatorem affari nos convenit, apud te, aut potius in te ipso Paschatis mysterium impleri necesse est, quando tempus appetit quo Christus, *qui Pascha nostrum est,* 1. Cor. 5. vult, ac debet à te, sub typis Eucharisticis ac-

cipi; nondum ad id te comparâsti, & eam ob causam maturè res tanta nuntiatur, ad eam ut te compares, & compares seriò, promptè, verè. Tibi enim nihil hîc medium est. In peccatis dum perseveras, nec te paras ad sacrum convivium, aut Eucharistici Sacramenti violator sis oportet, aut desertor. Violator, si Pascha illud comedis, animo per sinceram ad Deum conversionem, non præparato. Desertor, si præparationis & conversionis defectu, Paschate illo indignum te facis. Contendere autem, in eas angustias injuriâ te adductum, hominis est, & Ecclesiæ Matris, & Christi disciplinam petulanter obtrectantis. Causari abusus, in quos conjicere te potest illud Christi & Ecclesiæ decretum, est purgare crimen crimine, quod in eo situm est, ut cunctis rebus, etiam sanctissimis, abutare. Ut ut est, en pœna, qua Ecclesia, ex acceptâ ligandi, ac solvendi potestate, pro suo jure, & ex Canonum præscripto, contumaciam tuam potest plectere. Nimirum cum, obstinatâ peccandi voluntate, aut pertinaci vetitæ rei studio, ipse te excludis, ac segregas à communione Corporis Christi, potest illa ut putre membrum resecare te; nec pati malum ad aliorum perniciem manare. Laqueos struere tibi, consilium non fuit, & te conjicere in periculum peccata peccatis addendi. Atenim, ut Mater, salutis tuæ studio fla-

flagrans, quod est christianis magis salubre, & sanctum, in officij partem vocavit. Ea propter vincla illa, queis teneris obstrictus, sunt tibi prorsus abrumpenda; servitio turpi exeundum. Eò communionis annuæ lex tendit. Ea propter, oculus, qui te scandalizat, eruendus; hoc est, commercium illud libidinis, vitæ tuæ probrum, dirimendum. In eóque suspicere te oportet annuæ communionis præceptum, quod te quodammodo compellit id ipsum amplecti, quod est in summæ felicitatis loco numerandum. Et verò quæ mens, quod Ecclesiæ consilium fuit in ferendis rigidis his legibus contrà peccatores obstinatos, qui mandatis ejus proculcatis, Pascha celebrare negligunt? id spectavit, ut necessitatem ijs imponeret; ut cogeret; &, quando ita sacræ litteræ loquuntur, compelleret quodammodo reluctantes, abstersis per pœnitentiam animæ maculis, sacrâ mensâ dignos se præstare. *Compelle intrare.* En utilis piaque vis, quam adhibebat olim peccatoribus ejusmodi. Quamquam enim peccatores, cùm non desinerent esse christiani, atque adeò ejus filij, hoc sibi de eorum religione spondebat, nunquam eò progressuros, ut ad Eucharistiam accederent animo non prius probato. Quapropter, pro suâ summâ in Christi corpus reverentiâ, pro religione, qua imbuti, ac perfusi erant, tametsi peccatores, ea faciebant illius *Luc. 14.*

recipiendi causâ, quod non fuissent aliàs unquam facturi. Ea in illis sese ostendebat morum emendatio, & disciplinæ severitas, ad quam capessendam res nulla potuisset eos promovere. Illa Dei corpus edendi necessitas, animus aliunde sacrilegos horrens morsus, hoc illos reducebat in viam; hoc cogebat rationem omnem inire redeundi cum Deo in gratiam; hoc cupiditates in ijs acerrimas restinguebat. Dicat aliquis; at inde etiam sacrilegia passim enata. Respondeo Ego, nihil reipsa tam sacrum, quod nefanda mortalium temeritas, & audacia non contaminet. Attamen constat, illud profanationis periculum non obstitisse, quin Christus fideles omnes ad esum astringeret corporis sui, idque sub mortis pœnâ sempiternæ, ejusdémque sponsam Ecclesiam, non acturam fuisse ex Christi Consilio, ac voluntate, si quo tempore Pauli anathemata in sacrilegos Eucharistiæ profanatores denuntiat, censurarum suarum metu eosdem non adduceret ad eam dignè suscipiendam. En gemini tamen scopuli, in quos hodierna impellit mundi perversitas, dum præcepta hæc duo non traduntur conjunctim. Qui homini nequam persuaserit, ut se pro christiano gerat extrinsecus, & accedat ad sacrum Altare, pulchrè operam posuisse se arbitratur: hoc si impetrat, & impetrat unum, laudatur hominis Religio. Ejusdem conversio ad Deum haud

haud dubia habetur : est explorata, & certa constantia. Atque hic primus scopulus. Parte ex aliâ flagitiosum hominem admonuisti sacrâ illi mensâ esse interdictum quandiu hæret in flagitiorum cœno, omnes officij numeros obijsse te reris, ac si confessus is indignitatem suam, removet se à Christi mensâ, est æquè tibi probatus, ac si *justitiam omnem implêsset.* Pergat nihilominus pravam viam tenere quam instituit, istuc toleras, istuc pateris. Credas abstinentiâ Eucharistiæ cætera omnia tegi, fasque illi esse libidini suæ habenas impune laxare. Quid abusu è priore nascitur mali, in ijs qui sibi salutarem subducunt cibum, tot esse cæteris offendiculo, qui quasi professionis jure, christianæ se fidei addictos nulla ex parte ostendunt, cùm certiore tesserâ christianus agnosci nequeas, teste Apostolo, quàm si inter Christi convivas, Christi cultor non infrequens spectêre. Inde fit, ut, per summam morum dissolutionem, imò per luctuosum quoddam præscriptionis genus, vix jam mirum accidat, cùm occurrunt ex utroque sexu, qui multos annos liberâ, voluntaria, & apertâ secretione, sacris sibi ipsi interdixisse videntur; & canones illi, legésque tam sanctæ, quæ tale malum olim plectebant, non sine aliquo Religionis probro, aut nullæ sunt, aut inutiles creduntur. Quæ rerum mutatio veros pastores angit, & perturbat dum

*Matth. 3.*

tot

tot mortales vident ſempiternum ad exitium præcipites ruere. Atque hæc omnia, quoniam flagitioſis hominibus non eſt qui ſatis declararet, quæ facere eos oporteat, quoniam non oſtenduntur illis officiorum partes omnes : quoniam id unum eſt curæ, offendiculum ut vitetur alio offendiculo. Malæ communionis offendiculum, vitæ irreligioſæ & impœnitentis offendiculo. Pravæ communionis offendiculo, vitæ irreligioſæ, & impœnitentis offendiculum; cùm ſignificare illis oporteat non ſat eſſe alterutrum è duobus tollere, ſed utrumque ſimul neceſſàriò cavendum. Peccatorum enim causâ, Domine Deus, non ſecus ac juſtorum, menſam illam tuam inſtruxiſti. Peccatores dico, non demerſos adhuc in flagitiis, ſed iis tamen expeditos, mutatos in melius, ac vitæ ſanctioris iter ingreſſos. Quandiu manſiſti in terris, divine hominum Servator, non es uſquam averſatus peccatorum menſas, nunc ratione longè diſpari, ſed eodem ſemper conſilio, peccatores à vitiis ſuis abductos admittis ad tuam; atque ut olim, cum illis accumbebas multò libentius, quàm cum Phariſæis illis vanâ ſuperbiâ tumentibus, ita affirmare auſim, (quæ cogitatio, Auditores hos meos, méque ipſum haud mediocriter ſuſtentet) nullos, animo lubentiore, à te jam admitti, quàm qui

qui reverterein viam, excusaque vitiorum tyrannide, tibi penitus adhæresçunt. Sed hi sinceri sint oportet, quod supra posuimus; & ab omni fuco, & fallacia remoti. At si mundani sunt, qui excœcant se ipsi, qui sibi plus æquo blandiuntur, reverentiâ illa; quæ eos removet à Christi Servatoris Sacramento; jam ratio non fuerit explicationis indigens; sed causa quæsita illis, & altera concionis parte detegenda.

PARS II.

MUNDANO spiritu solertius nihil est, Auditores Christiani, cum ad finem ut nos pertrahat, quem propositum habet; nihil versutius in eâ specie ac colore, quem vult, rebus inducendo, quoties mentis nostræ aciem præstringere amat, & in secernendis Domini viis fucum nobis facere; Causa enim nulla est speciosa, quam non proponat, qua non invitet, & alliciat. Quin & sæpè incautos inducit in eum errorem, ut arbitremur, honorem nos exhibere Deo, vel cùm ab eo recedimus. Tales sunt mundani illi, de quibus mihi nunc apud vos est habendus sermo; qui sibi religiosi cùm videantur, & in omnibus Religionis ductum sequi, se conjiciunt ipsi in fraudem; quique à directâ, & simplice veritatis viâ digressi, suam illam, si superis placet, animi demissionem, in crassum errorem vertunt. Mentem aperio. Aiunt, imò existimant, honoris ac reverentiæ

rentiæ causâ, recedere se à sacrâ synaxi, quoniam eâ se indignos judicant. Ego verò honorem illum, vanum in iis, ac futilem honorem esse contendo. Honorem illum, si ejus usus, & adjuncta spectentur omnia, falsum ac mendacem honorem esse. Addo denique, non congruere ullo pacto cum eo, quem ad hoc usque tempus præsetulerunt homines verè christiani, cùm se, secundùm Ecclesiæ leges ac mentem, ab Eucharistiâ semovêre nonnunquam. Quæ tria capita gravissima exponenda à me sunt, non ut eorum contundam ac frangam temeritatem, sed mundanum spiritum, qui eos excœcat, atque ut certam trahat in perniciem, vel in ipsâ eorumdem impietate, dolosam pietatis lucem ostendit. Aio vanum esse honorem. Cujus rei probatio est in promptu. Quid enim vanum honorem appello? eum videlicet, qui sterilis est, qui nihil efficit, nihil assequitur, ad nihil impellit, nihil agendum præcipit, quo, Christo ac sacramento ipsius, minus indignus fias. Qui hominem finit suis vitiis hærere; qui nec magis fervidum reddit, nec magis religiosum, & sanctum. Uno verbo vanum honorem appello, cujus hoc unum proprium est, ac peculiare, ut à sacrâ communione deterreat. Non est hic inutilis, planéque infructuosus honos dicendus? talis est autem eorum hominum bo-

bonos, ad quos attinet ſecunda hæc admonitio. Agnoſcent id illi ipſi, & confitebuntur ultrò, ſi ſibi æqui eſſe volent. Et verò ſi honor ille exhiberi creditus, vera cauſa eſſet ſacris dapibus abſtinendi, eorum mentem dum ſæpius afficeret, impelleret utique ad majora; &, ſi tantillam vim haberet, eà moveri ipſos, ſaltem oſtenderet eorum agendi ratio. Atqui nihil minus. Quo enim non agat honoris ille in Chriſtum ſenſus, eo ſi verè afficiantur? ad abjiciendum illum mundi amorem, quo tenentur, & redduntur, ipſorum confeſſione, cæleſti mensà indigni. Indignitate illà ſuà perculſi, probéque intelligentes, oriri eam ex funeſto, qui eos exedit, mundi amore, ex falſis ejus gaudiis, ex parùm religioſis, & periculoſis ejus oblectamentis, ex amotoriis ejus artibus, ex ejus vanitate ac luxu, quibus miſerè dediti ſunt, quid facturi tandem illi eſſent? privarent ſe profectò his oblectamentis; his voluptatibus ſibi interdicerent; illam reſecarent veſtium luxuriem; huic vanitati, his amatoriis artibus nuntium remitterent; hísque omnibus animosè Chriſto, & foriter datis, carnis ipſius eſu, ex indignis jam, inciperent fieri digni. Certa hæc ſunt & indubitata honoris indicia, quæ darent Chriſto, & dare eos par eſſet. Nihil horum tamen illi. Ac, ſi ex factis æſtimen-

mentur, eò nondum propendere sunt credendi. Quin & ipsi, si conscientiam eorum appellem, ultrò confiteantur, se ab eo procul abesse. Ergo falsum est, affici eos tantùm reverentiâ illâ, quantùm præseferunt, & à divinis mysteriis absterreri. Quæ igitur res? dix jam, Auditores, atque iterum dico. Pertinaci mundi & rerum omnium, quæ mundi nomine censentur, amore. Mundani sunt, & mundo illi, quem reprobat Deus; Christus non sapit. Mundo dediti sunt, plusquam Christo. Inde est, quòd Christum deserunt, mundo ut adhæreant. Species illa honoris, velum est, quo se obtegunt, & vitiosum sui ipsorum amorem exornant. At re quidem ipsâ vesanus eos mundi amor obstrictos tenet. Hinc iners illud animæ frigus: hinc languor ille, aut potiùs epuli cælestis fastidium.

Istuc ipsum est, quod Christus significare voluit in parabola illâ de invitatis ad cœnam; qui eò venire negligunt, quoniam aliæ mentem & pectus occupant curæ. Hoc tamen interest, inquit Augustinus, quòd parabolici convivæ veram certè proferunt causam; quæ convivio adesse eos prohibet. Contra homines mundani, de quibus agimus, affectatâ laborant ignorantiâ, sibique ipsi veram dissolutionis suæ causam occultant. Vano hoc prætextu culpam semper adum-

adumbrant. Sacra synaxi indigni cùm sint, satius esse ipsis ea se fraudare, in eóque se perinde amant, ac si Christo honorem præstent, sitque is mercedem eam ob rem persoluturus aliquando, quòd ut liberius ac tranquillius inconcessis indulgerent voluptatibus, ab sacro defluxerint altari. Eò enim usque horum cæcitas porumpit. Atque ut convincantur, ait Chrysostomus, (nullus hîc responsioni locus) honorem illum, si ad eos respicias, pro mero habendum prætextu, oblatis à Christo dapibus, quamvis ratius, nihilo tamen purius os admovent. Hoc est, cùm accedunt ad sacram mensam, ad id non se magis comparant, non se probant intentiore cura, non se mundo magis segregant, ac, si fas ita loqui, Christum accepturi apud se, non majores sumptus faciunt. Sibi videlicet in animum inducant, quod falsissimum est, in frequente Eucharistici panis usu, abjectâ curâ aliâ omni, meritum omne suppleri oportere. Pérque apertissimum errorem, quem tamen non agnoscunt, reverentiam quam exhibent divinis mysterijs, non majore sui custodiâ, non pleniore in Deum obsequio, non vitâ metiuntur emendatiore, sed temporis spatio, quod ab ijs unam inter & alteram communionem interjicitur. *Non munditiam animi, sed intervalla temporis longioris meritum putantes.*

Quod argumento ſit, eóque certiſſimo, ait ſanctiſſimus Doctor, non chriſtianæ demiſſioni, non ulli in Chriſti Corpus reverentiæ, ſed mundani ſpiritûs, qui eos faſcinat; præſtigiis illam communionis intermiſſionem eſſe tribuendam. Aio autem, Chriſtiani Auditores, magni intereſſe, ut prætextus is, quo ſe ipſi, tanquam præſidio, tuentur, detrahatur illis. Qua autem ratione? (attendite quæſo) non dando facilem illis aditum ad ſacram menſam, neque acceſſum ſuadendo, quandiu mundanæ ſervitutis compede tenentur; ſcio enim quid à chriſtianis exigat tanti myſterii dignitas; ac væ mihi, ſi in re longè ſanctiſſimâ, ſi in neceſſariâ ad eam præparatione, vel leviſſimæ diſſolutioni locum ullum aperuero. Sed ſi cogantur conſuetam orationem retexere, veriorem ſubſtituere, nec dictitare amplius, removeo me à Chriſti corpore, quia veneror illud, ac colo. Sed, removeo me à Chriſti corpore, quoniam ſemper liberius vixi, nec aſtringi me legibus iis velim, quas ad Evchariſtiam accedentibus Chriſtiana religio præſcribit; quoniam ſum mente ad res extraneas ſemper effuſâ, humi ſemper, mundanísque voluptatibus defixâ. Quoniam ignavus, quoniam iners ſum, & imbellis, nec valeo ſalutis causâ, aut agere quicquam aut aggredi. Quoniam in negotia

tia temporalia eo feror impetu, qui aridum pectus reddit, & exuccum, obductóque callo, cæleſtibus auxiliis aditum præcludit. Quoniam impetrare id à me non poſſum, pravos ut comprimam animi motus, mihíque vim inferam ullâ in re. Quoniam volo exlex vivere, atque ut libitum eſt animo meo, ſubigere, inquam oportet homines mundanos ea cuncta ut fateantur, dein oſtendere, quàm ſint inordinati eorum mores, & quantam Chriſto injuriam offerant inſtituti ab eo ſacramenti neglectu; facere ut intelligant, non Chriſtum modò iſtuc honori non habere, ſed & irritari, contumeliâ affici, & in ſemetipſos formidolosum illud anathema, quo Evangelica parabola concluditur, eoſdem accerſere. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Parata illis menſa mea erat, & inſtructa, at per varias cauſas adeſſe noluerunt ad condictam horam. Sed enim contemptum illum haud ferent impunè. Denuntio quippe illis, neminem unum ex iis ad epulas meas admiſſum iri. En unde periculoſum illis errorem eximas, quo cæcantur. Quoties, Chriſtiani Auditores, hæc Servatoris prædicto, quæ, ſi vultis, minas tantùm continet, impleta eſt proprio, ac genuino ſenſu; quótque chriſtiani, quoniam Euchariſtici panis uſum intermiſêre in

vita, arcano Dei judicio, eo caruêre in morte. Pergamus porro.

Dixi vanam esse reverentiam; addo jam & falsam, quoniam necessarias conditiones duas sibi adjunctas non habet. Altera est, dolor, isque acerrimus, ob sejunctionem à Christi corpore susceptus. Altera, desiderium illis ardens, ac sincerum. Geminæ conditiones à verâ in Christi Corpus reverentiâ nunquam divellendæ; à quibus tamen remotum se procul mundanus quisque, si se propius excusserit, reperiet. Dolor ob sejunctionem à Christi Corpore susceptus. Nam, si Christum, quantùm debeo, veneror, ac colo, si eum amore illo prosequor pleno reverentiæ, in quo tantopere mihi placeo, summum hujus vitæ bonum ponendum mihi est in eo, ut sim illi conjunctus. Conjunctum dico, præsertim sacramenti ab eo in id ipsum instituti, perceptione. Unde sequitur, oportere me, eandem ob causam, postremum malorum credere, ab eo sacramento sejungi, cujus communio, est meæ felicitatis pignus quoddam, aut etiam felicitas anticipata. Atque hoc ipsum est, quod probè intelligebat Chrysostomus, cùm diceret *unus sit vobis dolor, hac escâ privari.* Unus hic, imò unicus vos angat dolor, quòd escâ illâ, quæ Christi Corpus est, careatis, *unus dolor*; quid enim ad hanc cæteræ omnes dolo-

doloris causæ? igitur si tantùm veneror Christi Sacramentum, quantùm & par est, & videri volo illud venerari, nihil mihi molestius esse debet, nihil acerbius ad dolorem, quàm si vitalis ille cibus animæ meæ subtrahatur; nec jactura fuerit aut ægritudo ulla, quæ non lenius animum afficiat, ac pungat. Hæc cogitatio, sum à Deo meo sejunctus, afflictare, perturbare, percellere me, Auditores, haud aliter debet, quàm olim Esau, cùm se paternâ sensit hæreditate fraudatum. Atque ita ad Chrysostomi sensum, & mentem, ut christianus, accedo. *Unus sit vobis dolor hac escâ privari.* Quæ longè gravior ægritudo sit oportet, si mihi sum conscius, assignandam esse mihimetipsi sejunctionem hanc, & improbitati meæ; assignandam mihimetipsi, qui fœdâ libidine teneri me sinam obstinatè. Assignandam mihimetipsi, quoniam Christo, quod à me dudum expectat, dare non libet. Sed quanta fiat doloris accessio, sit tam funestæ sejunctionis calamitatem, ac pondus omne sentio? cùm exerebat olim Ecclesia disciplinæ suæ severioris aculeos in priores christianos, & segregabat olim ad tempus à sacra communione, quid agebant illi? quæ tunc mens eorum erat? si priscis Patribus fides, longè gravissimo mœrore demersi, nullum flendi, ac gemendi finem & modum faciebant.

Videbatur ipsis misera fors illa, temporariæ reprobationis genus quodam. Ita videlicet, quamquam à Christo sejuncti, suam Christo reverentiam, eámque veram, significabant. At mundani illix, de quibus agimus, ægritudinisne unquam, dolorísque tam religiosi morsum ullum sentire? eos ipsos appello ac testor, cùm sponte de sacrâ mensa secedunt, qua tranquillitate secessionem illa suam sustinent? qua se indolentiâ vident Aula convivali excluſos, & procul salutis auctore Deo? qua duritie mentis huic vitæ consuescunt, ut non cruciari illa, sed allevari etiam videantur. Ut est illis communio, in vitæ cursu nequioris, onus grave, deponunt illud abjiciúntque. Eadem turbat, aut fluxarum interpellat voluptatum dulcedinem. Iis ut fruantur continenter, ac pacatè, communionem prosus omittunt. Est quidam vitæ suæ modus figendus, est vis sibi ad communionem, inferenda. Ea in totum abstinere longè commodius est. An mihi persuaserint homines ita constituti, vero se Christum, & ejusdem sacramentum, honore prosequi? ac si istuc pugnent, non possim eorum testimonio, citrà injuriam, fidem abrogare?

Dixi falsum esse honorem, quoniam nullum comunionis desiderium adjunctum habet. Atque hoc alterum est, quo in eos

utor,

utor, argumentum. Observatote enim diligenter quod sum dicturus. Potest quidem debita Christo reverentia facere nonnunquam, ut recedam ad tempus à sacrâ mensa, at, si vera est, non debet illa extinguere, imò neque imminuere in me ejus desiderium. Contrà, quò mihi videor sacra mensa indignior. eo majore illius desiderio flagrare me necesse est aliqua ratione. Quid ita? quoniam liquet, desiderium illud indignitati meæ saltem perfugium esse. Etverò desiderii hùjus ope restitui studeo in ejus gratiam. Hujus desiderii præsidio, vias omnes persequor, quibus ad id perveniri posse confido; obices omnes perrumpo; eam in rem piè constituta perficio perquam accuratè. Quandiu teneor eo desiderio, adhuc in est in me vitæ principium, nec est quicquam tam difficile quod fieri à me non possit. Contrà, desiderium illud si desit, videri possum mortuo similis, nullo jam pietatis sensu reducente ad Christum, nullo ad pœnitentiam stimulante. Unde fit, ut indignitas mea omnis, non maneat solùm, sed & hujus extinctio desiderii, sit velut indignitatis consummatio; indignitatis inquam, consummatio, cujus horrendos effectus non dubitabat Ambrosius exaggerare cùm diceret, talis desiderii amissionem, nihil minus, quàm futuræ reprobationis augurium quoddam esse. *Do-*

*mine de hoc pane ſcriptumeſt, omnes qui elongat ſe à te, peribunt.* Quaſi dicat ſanctiſſimus Antiſtes, de Evchariſtico illo pane ſctiptum crediderim, Domine Deus, à te, tuòque conſpectu rejiciendos, qui tui, tuæque conjunctionis deſiderium abjecèrę. Ita priores etiam ſenſêre chriſtiani. Redeo ad eorum exemplum, vobis à me nunquam ſatis proponendum. Hinc enim cùm à divinis myſteriis amoti eſſent, ipsáque adeò communione, ſtudium oſtendebant tam ardens, ut in integrum reſtituerentur. Hinc iſtuc ipſum orabant tam vehementer, & ad ſacerdotum pedes abjecti obteſtabantur *per viſcera miſericordiæ JEſu Chriſti*, ut aliquid demerent de calamitoſo illo temporis ſpatio, quo ſibi Chriſto Servatore procul vivendum erat. Hinc ſanctos etiam Martyres deprecatores adhibeant, in eóque, ait Cyprianus, elucebat ipſorum in Chriſtum reverentia, eáque vera. Quid agit homo mundanus? ſatis habet ſe ſimilem eſſe illis, triſti illâ à Chriſto ſejunctione, nec valde laboret cæteris eos in rebus imitari; ſacræque Communionis deſiderium cum Communione ipsâ dum confundit, utrique pariter renuntiat, eáque deinceps in ſacramentum altaris eſt animi indifferentiâ, quæ haud uano illum pavore meritò percellat. Hoc enim ipſum eſt, Auditores Chriſtiani, quod tam dolenter deplorabant vetuſtiſſimi Eccleſiæ

Luc. 1.

cleſiæ Patres; quod ut ſæculi ſui plaga illis, & calamitas maxima videbatur, & Chryſoſtomus ſignificat tantâ orationis vehementiâ. Quis æquo animo ferat torporem hunc veſtrum, ajebat ille, Antiochenos ſuos alloquens, cùm de ſancto ſanctorum habetur apud vos ſermo. Hac in urbe veſtra ludi ſolennes ſi fiunt, eò certatim concurritur. Inſtructum & paratum eſt convivium cæleſte, nemo ſe commovet. Plenæ ſpectatoribus plateæ omnes, amphiteatra omnia referta. Deſerta eſt à convivis Chriſti Servatoris menſa. Fruſtra ibi aſſiduè conſiſtimus dona cœleſtia diſtributuri. Nemo è vobis accedit. Vos præſtolatur Chriſtus ipſe in æde ſua, & eſt in ea ſolitudo. Nunc oſtendit Chryſoſtomus, quo illi ſtudio conveniant, conciones ſuas audituri, dum intereà tam lentè, ac faſtidioſè pretioſum ſalutis pignus de pontificis ſui ſumunt manu. Nunc coarguit eorum animi duritiem in venerabile Altaris ſacramentum, divini adverſus homines amoris monumentum tam inſigne. Jam mala ijs proponit quæ ex præpoſterea illa reverentia, perverſóque illius uſu conſequi neceſſe eſt. Fingite animo & cogitatione, Auditores, verba etiam num apud vos Chryſoſtomum facere, quando ipſe ore vos alloquitur meo; aut Deo gratias agite, qui tunc eloquentiſſimo præſuli rationum ſuggerebat momenta, quæ infauſtos,

ſtos, at pernicioſos errores veſtros hodie confutent.

Denique dixi, & oſtendi jam ex parte, reverentiæ illi, quà ſe defendunt mundani Euchariſtiæ deſertores, nihil eſſe commune cum vetuſtioris Eccleſiæ reverentià in ſacroſanctum Chriſti Corpus. Aperta cauſa eſt. Primis enim illis florentis Eccleſiæ temporibus quoad peccator ſegregatus erat à communi fidelium mensà, duros pœnitentiæ labores, queis ſe ſponte devoverat, obibat alacriter. Neque verò pœnitentià illa, quà de loquor, mera ac nuda erat, ex Eccleſiæ lege, cærimonia. Abſtinentia, jejunium, cinis, cilicium, nunquam non illis fidi comites erant; ídque ut oſtenderent, quanto Chriſtum amore proſequerentur, cum acerbis his exercitiis ſubjicere ſe, ſuóque etiam incommodo, Chriſto Servatori tam generosè ſatisfacere haud recuſarent. Atenim, fateamur iſtuc cum pudore, non ſapiunt, non placent mundanis noſtratibus talia virtutis experimenta. Quantacumque in Chriſtum reverentià glorientur, aditum ad ejus corpus tanto non emunt. Ut innata illos mollities excœcat, pretio leviore rem longè pretioſiſſimam faciunt ſuam. Eò pœnitentiam revocant omnem, ut jam amplius non uſurpent divina myſteria; neque eſt incommodo illud pœnitentiæ genus, imò cupiditatibus mirificè lenocinatur, viamque majori liber-

libertati aperit, majoríque impietati; eò quippe falsa hæc evadit reverentia. Atque utinam fictum quoddam impugnem hoc loco, non verum malum, finem facio. Speciosam illam reverentiam in homine flagitioso eodem & hypocritâ, offensionis, & scandali genus quoddam esse, supereſt ut ostendam.

PARS III.

CONSTAT vulgò inter omnes, idquod ex se bonum est, tale non semper esse, si principium ejus spectetur, & origo, & est una ex humanæ prudentiæ legibus, ut res etiam saluber imæ, cùm è fonte corrupto manâsse noscuntur, sint suspectæ. Hanc autem regulam possumus, imò debemus, ad religionem, & officia pietatis accommodare. Nescio an animum unquam vestrum subjerit cogitatio, quæ mihi solida visa est, & cujus veritatem vobis melius quàm mihi perspectum iri confido. Nimirum cum de Ecclesiasticæ disciplinæ solutione, aut severitate inter Catholicos est disceptatum, homines quosdam impios, severitatis partes semper suscepisse, non quidem ut mores ad eam suos fingerent, ab eâ enim mente longè aberant illi; sed, quod animi est sibi non satis constantis, ut de eo argumento, aut disputare & ipsi possent, aut occultâ quadam utilitate ducti, severitatis nomen alijs consilijs suis, tanquam velum, obtenderent. Ita toties

puden-

pudendis libidinibus homines impliciti, corrupti ab omni parte, vani, demersi in sensus, amantes sui ipsorum, omnium primi, & studio acriore in speciem, reformationis patrocinium arripuêre. Ita fœminæ ex ante actâ, & fortassis ex præsenti etiam vita, notæ plus satis, quas ob præterita facinora silere certè par erat, omnium disertissimè in mores vitæ sunt depravatos invehi; deprehendere quiddam passim in Ecclesiastica politia aut perfectum minùs, aut minùs severum; habere semper in ore priscos Canones, quales vigebant primitus. At, nónne in laude ponendum est vitæ purioris, & disciplinæ emendatioris studium? utique, ait Bernardus; at quàm laudabile est in christiano, tam incertum, & dubium est, nequid gravius dicam, in homine flagitioso. Atque ex Christi præcepto, ab eo tanquam hypocrisi longè periculosissimà, cavere nos oportet. Quod autem Bernardus de integritate morum generatim, atque universè dixit, de sacrà Communione vidimus, & quotidie videmus propriè magis, & magis apertè comprobatum. Quid enim contigit? disputatum est, ut scitis, de vitijs quæ vel irrepsêre jam, vel irrepere possunt in frequentem Eucharistiæ usum; de facilitate, quà metuendum, ne facinorosi homines ad eam admittantur, de necessitate christianos quosdam imperfectos, quibus fructuosa non esset,

esset, ab eà removendi; de diligenti pastorum circumspectione, ac prudentiâ in eâ fidelibus dispensandâ; rectè hæc omnia, ac piè; nec est dubium, (animum quæso, animadvertite, quin, qui verè fideles erant, Dei gloriam & utilitatem dum spectant, ardori suo sincerè, ac fide bonâ habenas permiserint. Illud miror, homines ab ijs longissimè diversos, prophanos dico, & impios sæculi amatores, non dubitâsse immiscere se alijs, & ingressos in causam non suam, acriores se & vehementiores in exaggerandâ Christi Sacramento, ejúsque corpori debitâ reverentiâ, ostendisse. Illud miror qui inter prudentes rerum æstimatores non admodum religiosi habebantur, homines dissolutissimos, affectatè in frequentem usum Eucharistiæ, & majore verborum æstu, invectos esse; tulisse impatientius minima super eâ re laxamenta, seu vera seu ficta, in eamque se immisisse quæstionem, velut in negotium proprium ac suum. Istuc utique sum semper demiratus. Unde enim his ardor ille tantus? ut impij, quales eos esse ponimus, cætera christianorum officia flocci faciunt, & habent de eo sermonem, qualem viri integritate morum, vitáque perfectioris studio spectati. Utilitatis spe duci eos necesse est, &, quæ vestra perspicacia est, statim videtis, quò illi colliment: cùm facilè appareat, & constet, minimùm eos dum ita lo-

loquuntur, venire quodammodo in possessionem impietatis, non solùm tutò, sed si fas ita loqui, etiam honorificè. Sunt enim illi, quod jam diximus, homines ex illorum numero, quos describit Apostolus in suâ ad Timotheum Epistola, homines, inquam, in ipso fonte, atque origine corrupti, & quorum fides, est velut extincta. Homines, queis cuncta oneri cùm sint Religionis exercitia, excutere illa penitus, & abjicere studeant. Tamen quoniam eos non fugit Eucharistiæ sumptionem, habitam semper ut fidei christianæ notam, ac veluti tesseram, cui renuntiare apertè, genus sit Apostasiæ cujusdam non sustinendæ; aut existimationi consulant suæ, & jugum nihilominus excutiant incommodum, impietatem suam in pietatis velum convertunt. (Nescio verbis ne satis complectar quid velim) suffragantur huic dogmati, quo avertimur à Christo, timoris quodam & reverentiæ motu, ut quorum studium, ac sermonem imitantur, à christianis perfectioribus secerni jam ac dignosci non queant. Contendo autem, hoc impiorum hominum sermone, simplicibus & infirmis offensionis ansam dari, quid ita? attentionem vestram ad punctum temporis sustinete. Quoniam eò pertinet is sermo, ut bonam Communionem detrectet haud secus ac malam; fidelésque à sacrâ non solùm arceat mensâ, sed

&

& ab omni piâ Religionis functione. Dixi eò spectare, ut bonæ pariter, ac malæ Communioni impietas detrahat. Nam, ut rectè Chrysostomus argumentatur, si semper periculosum est, ne, dum falsam notas pietatem, veram adducas in contemptum, multò magis timendum ab eo, qui cùm sit mentis homo profanæ, de eâ sibi sumit ut judicet, nec magnopere laborat, alterane, debeat cum alterâ confundi; aut potius, qui alteram tantùm oppugnat, quia est alteri infensus. Et, non modò non studet, verum falso dignoscere, sed & id propositum habere videtur, ut verum, falsi adminiculo, profliget. Quod autem universè Chrysostomus de pietate in Deum, de Eucharistiæ sumptione meritò dixerim, idque habetur experientiâ ipsa exploratum. Si justa semper subest timoris causa, ne dum pravam vituperamus communionem, vituperemus etiam rectam, & piam, multò justior subesse debet, cùm, qui censorem agit illius, est mente perversâ, communionis, seu bonæ, seu malæ, admodum securus; pensíque nihil habet in hanc dum declamitat, in invidiam illam vocari. Et verò malignioris hujus zeli, quem impugno, quis est exitus? quem impugno, inquam, in hominibus impijs, qui eo, ad turbandas justorum mentes, abutuntur. Nempe ut in Ecclesiæ fiat sinu, quod in Jerosolymorum olim templo à summi Pontificis Heli filijs,

qui

qui à ſtatis ſacrificiis homines avocabant; quale ob ſcelus fuêre illi à Deo meritò rejecti. *Peccatum grande nimis, quia retrahebant homines à ſacrificio Domini.* Aut ſi vultis, ut renoventur facta Phariſæorum, quos ita Chriſtus, vel ob id ipſum, compellabat; *væ vobis, quia clauditis Regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Non inanis eorum hominum ſpecies & imago, qui cum obſtinata peccandi voluntate à divinis ſe removerint ipſi myſterijs, in quibus Regnum Dei, auctore Cyrillo, nobis apertum eſt, cæteros omnes ijs excludere ſi poſſint, velint. In id videlicet incumbunt, imò perficiunt, dum in frequentem bonorum communionem cenſuram immitem exercent, dum eos arrodunt, dum facta vellicant, dum minima in ijs carpunt vitia, dum nihil condonant, nihil non in crimen vertunt. Nolebat Auguſtinus, tam excellenti ſapientia vir, quotidianum vituperare Euchariſtiæ uſum, vituperat illum audacter temerarius mundi amator, ac vitæ ſpititalis ignarus. Optabat Tridentina Synodus, ut intermiſſus quotidie communicandi mos reduceretur. Non ſtat per mundanum hominem, quin abrogetur, funditúsque tollatur. Hæc cum dico, Chriſtiani Auditores, nolite exiſtimare, frequentem quamlibet Communionem probari mihi. Eſt Communio frequens, quam

1. Regum. Cap. 2.

Matth. 23.

quam deploro, sed Dei judicio permitto libens. Est Communio frequens, sed infructuosa; frequens, sed languida; frequens, sed non probabili exemplo; imò, quæ offendere potius alios possit, quàm prodesse. Tractabo fortassis aliàs hoc argumentum; faciámque ut intelligatis, mihi nunquam fuisse propositum, Communionem ejus generis excusare. Dixi permittere me divino judicio, frequentem Communionem: quantùm quippe metuam quicquam profari, quod talem excuset Eucharistiæ usum, ità tantùm prævaricari me putem, si Communionem frequentem, at fervidam, levissimæ perstringam vocis libertate: dedecorat illa Christum; hæc redit in ejus gloriam; atque ut in eum semper insurgam, qui vanam, ità impios homines, piam quoties ac sanctam, Christóque honorificam Communionem culpabunt, insectari non desistam. Quis dicat, quot homines justi, hac dæmonis fraude, sacris sint altaribus abstracti? quot Deo dicatæ virgines in suavissimâ sponsi sui consuetudine, & usu quotidiano turbatæ? quot Communiones, quæ cælestibus choris lætitiæ causâ futuræ erant, ab eo velut interdictæ? amplius dico, sacra Communione semel abdicata, sensim eò procedis, ut, ni sedulò caves, ab omni etiam piorum operum genere ex toto desistas. Atque hæc altera est Chrysostomi observatio. Posito

enim hoc falsæ, & malè temperatæ demissionis principio, quid non colligatur? ad quod Christianæ Religionis exercitium planè omittendum pia mens non inclinet? non es dignus, qui accedas ad Christi mensam; (ita Chrysostomus) at, an dignus es, qui Deum preceris, & invoces? dignus es qui excipias Dei verbum? dignus es, qui ad pœnitentiam, Deíque misericordis tribunal admittare? dignus es, qui cum Ecclesia divinas laudes concinas? dignus es, qui sacrificio, quod supremo Numini offertur, assistas? hæc ratio si valet, ea cuncta deserenda etiam erunt; & indignitatis tuæ cognitio, quasi Ecclesiastico fulmine percussum, ab omni te Dei cultu, christianíque hominis officio arcebit. *Sum, inquit, Communione altaris indignus; ergo & illâ quoque Communione quæ in precibus est. Ergo & illâ quæ in verbo Dei est.* Ita argumentatur sanctus Doctor. Atque ut nihil dicam de bonis, quorum simplicitas eâ fallaciâ deduci potest in errorem; en commodum, quod inde sibi facinorosi, & impii homines petunt. Libenter in omnia christianorum officia, verba illa accommodent, suum ad sensum exposita, pravéque detorta, *Domine non sum dignus*; atque ut iis abutuntur, ut, quamquam impij, humiles appareant, ac religiosi non communicando, ita progressi longiùs, valdè sibi gratulentur, fas si jam sit illis tem-

pla

plà noſtra non adire reverentiæ causâ; cuncta religionis onera deponere reverentiæ causâ; hoc verò mali genus eſt, quòd ferri à me non debuit; ignoſcite, quæſo, Auditores, orationis vehementiæ. Agitur Chriſti, agitur religionis ejus gloria. Leges ſanciant Eccleſiæ præſules & ſcita, ad emendandos communionis abuſus. Hæc ad eos cura propriè pertinet; ipſorúmque mandata ſemper, ut par eſt, reverebor; eidem malo medicinam quærant ſacerdotes, & Rectores animarum. Hæ partes illorum, eam ſunt in rem à Deo conſtituti. Operam eò ſuam privati conferant, pro accepto gratiæ modo. Verùm à ſe ipſi primùm auſpicentur, dein ſtudium in alios ſuum & curas derivent: hoc nobis valdè probabitur. At homines prophanos, è mundi ſuſpenſos legibus, divinis in rebus hebetes, & cæcos, fidei chriſtianæ fortaſſis exortes, de graviſſimis religionis capitibus pronuntiare temerè, ſtatuere de ijs ac decernere quidlibet; errores ſuos, quæſtum & utilitatem ſuam, impia dogmata admiſcere, hoc enimverò ipſum eſt quod ſemper improbabo, & apertiſſimè ſemper inſectabor. Incumbamus, fratres, eam in curam, (vos jam ipſos compello Dei viventis ſacerdotes, & ſacroſancti ejus Altaris miniſtri, quicunque tandem eſtis, ſeu cleto, ſeu religioſæ cuipiam familiæ ac diſciplinæ privatim addicti,) eam in curam incumbamus,

Luca. *ut præparemus Domino plebem perfectam*; & charitatis conjuncti vinculo, flagitiosos homines reducamus in viam. Excolamus justorum animas, vitiis ab omnibus purgemus, ut digni veniant Christi Sacramento. En in quo ponenda est opera nostra. En finis, qui nobis propositus esse debet; habetote enim pro certo, nunquam Ecclesiam puram, & integram, nunquàm christianorum mores ritè emendatos, nisi per bonum Evchatistiæ usum, fore. Argumentemur quantùmlibet; revocandi semper erimus

Joa. 6. ad ea Christi verba, *nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Contrà verò *qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum.* Vivet utique per gratiam in terris, olim in Cœlo per gloriam victurus. Amen.

* * *



IN

# IN PRIMA FERIA SEXTA QUADRAGESIMÆ CONCIO.

## DE ELEEMOSYNA.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. *Matth. 6.*

PRINCEPS CELSISSIME,

SI damnantur à Christo Servatore vani illi mortales, qui pravæ intentionis veluti tabe, actiones quasque sanctissimas vitiare solent atque corrumpere; qui id spectant unum in stipe pauperibus erogandâ, ut superbiæ suæ velificentur, veniantque in sanctimoniæ non vulgaris opinionem; quanto potiori jure, majorique animadversionis se-

*Ludovici XIV. frater unicus.*

veritate, immisericordes illos damnari convenit, qui tot egenorum gemitibus surdi, ad extremam pene inopiam redactis opem ferre, eorum egestatem ac miseriam sublevare non curant. Postremum enim hoc malum, annon priore gravius? ac, quid prosit, christiani Auditores, docere, in levandâ proximi calamitate, quid debeat vobis esse propositum, cùm, quid in eâ re facere vos oporteat, ignoretis; certè, si ex operibus istuc vestris judicemus, haud satis vobis persuasum esse videatur. Tametsi divina lex eleemosynam non imperet, an satis non sint insiti à naturâ sensus?

HÆC sunt, Princeps Celsissime, præclara illa virtutis semina, quæ nata tecum & adulta excoluisti jam olim tam studiosè. Si sunt dynastæ divini Numinis imagines quædam, ac, si misericordia præcipuus est divinitatis character, affirmare ausim in Regiâ Celsitudine tuâ pulcherrimos elucere excellentis hujus exemplaris colores. Videmus Principem beneficum, præcipuâ voluntatis inclinatione eò propendentem, ut bene de alijs mereatur, ut benignè alijs faciat. Principem liberalem ac magnificum, quem juvat dona sua dispensare, in eóque magnum se putat ut beneficijs non tenues minus, quàm magnos ornet & excelsos. Principem, qui comitate semper obviâ, facili affa-

bi-

tu, blando urbanitatis illicio, ore semper renidenti, vultu, in quo lenitas eminet, tantum ad se accedentibus fiduciæ addit, quantum ipsius Aulæ pompa, quantum generis splendor, quantum personæ dignitas & amplitudo, venerationis affert ac reverentiæ. Principem naturâ propensum ad misericordiam, ad aures calamitosis admovendas, ad eorum causam rémque ipsam tuendam semper paratum. Non sunt hæ laudes, Princeps Celsissime, de earum genere, quæ dynastis tribui per assentationem solent, &, quales eos esse oporteat, magis nonnunquam significant, quàm qui sint reipsa. Nihil dico quod centies jam ante non dixerint, dicántque quotidie propalam ut ego, & tam apertè quàm ego, qui mihi dicenti auscultant, & quorum voluntates arctissimis habes amoris vinculis tibi devinctas. Justa prorsus ac glorioſa possessio, quam certam tibi & stabilem hactenus fecit, faciétque magnanimitas illa, quæ se ostendit in omnibus; nobiles illi sensus, illa naturæ bonitas, aliæque tot virtutes heroicæ, quas admiramur, &, si per te licet id me profari quod muneris mei ratio, quod spiritalis utilitas tua postulat, Principem efficere debent non hominibus solùm, sed & ipsi Deo gratum & acceptum. Igitur de Eleemosynâ pauperúmque curâ verba facturus, istuc habeo præ cæteris, quòd mens in eo mea

cum Celsitudinis tuæ mente planè consentit; quòd rectissimis ejus studiis obsequor, quòd cum ea conspiro.

Videntur PP. antiquissimi eo in argumento eloquentiam suam omnem exhausisse. Vix unquam Chrysostomus sermonem habebat ad populum, quin excurreret in charitatis & misericordiæ commendationem; unde & eleemosynæ concionatoris nomen invenit. Sed priusquam proponimus quæ sumus hodie dicturi, præsidio cælesti firmanda est imbecillitas nostra. Quapropter sanctissimam misericordiæ Matrem id ut à Deo nobis exoret, Angeli verbis salutemus, *Ave Maria.*

NIHIL magis vulgare, christiani Auditores, quàm audire, qui de eleemosyna, de excellentia ac fructibus multa passim prædicent; de ejusdem præcepto ac necessitate rarus est, aut certè non valde jucundus sermo. Qui stipem pauperibus nullam erogant, istuc religioni vulgò non habent, nec peccatis annumerant in sacro pœnitentiæ tribunali. Qui vero libenter eam erogant, inquit Chrysostomus, stipem illam suam operibus adjungunt, quæ communi christianorum penso & officio sponte superaddi solent. Egenis subveniunt, at in eo tacitè plaudunt sibi ipsi, quòd præter consueta officia fiat à se nonnihil, in eâ se cogitatione amant

amant, eâ se oblectant; sive ut nihil dandi potestatem penes se semper retineant; sive ut dati tribuant sibi meritum omne. Constat tamen divinâ lege teneri nos ad egentium penuriam opibus nostris sublevandam. Lex autem illa adeò severa est, ut ex ejus observatione animæ nostræ salus pendeat. Non fraudat vos Deus eleemosynæ vestræ merito: at æquum profectò non est ut quo potest, sempérque potuit, eleemosynam vobis imperare, jus ei suum aut adimatis, aut adimere tentetis. Ut alterum, non negat, ita non debetis alterum in controversiam vocare. Atque ut eâ in re plenè vos, ut par est, ipsi submittatis, tria sunt vobis tenenda firmiter. Primum, eleemosynam non suaderi à Deo, sed præcipi. Alterum, non esse hoc vagum & incertum præceptum, sed quod circa rem certam versetur. Tertium, præceptum illud observandum ordinatè, atque ex charitatis præscripto. En concionis hodiernæ partitio omnis. Aio, eleemosynam præceptam esse à DEO, & in quo præceptum illud nitatur, docere constituí. Aio, materiam quandam assignatam à Deo & eleemosynæ destinatam; atque hanc statuere, ac definire propositum habeo. Aio denique, nonnullum in eleemosynæ largitione tenendum ordinem, quem pariter declarare consilium est. Tria autem illa doctrinæ moralis capita gravissima, ex ma-

ximè vulgaribus Theologorum principiis evoluere conabor. Neque enim existimetis singularem me & rigidam plus æquo doctrinam allaturum hoc loco. Cùm agitur obligatio gravis, quæ noxam involuat lethalem, nihil dictum oportet, quàm quod verum, & certò verum est. Præceptum, Materia, ordo eleemosynarum, totidem erunt hodiernæ concionis partes & capita.

PARS I. EST aliquod elemonsynæ præceptum. At qua re potissimùm niti, quando, qua in necessitate pauperis obligare illud dixero? hæc capita sunt totidem à nobis exponenda, quæquæ attentionem vestram omnem postulant. Esse aliquod eleemosynæ præceptum, constat utique inter omnes. Id disertè significat Christus in Evangelio, & est pœna proposita tam gravis, ut satis sit violatum illud à te semel, æternam ut animæ damnationem incurras; ut sententiam
*Matth, 25.* hanc inaudias formidolosam; *discedite à me maledicti.* At quo ituri tandem illi sunt? quibus suppliciis addicendi? æternis ignibus. *In ignem æternum.* Quid ita? quoniam,
*Ibid.* inquiet Christus, esurivi *& non dedistis mihi manducare. Infirmus & in carcere, & non visitâstis me.* Hoc est, quia in egenis, qui fratres mei, qui membra mea sunt viva, ad summam rerum inopiam sum redactus, nec facul-

facultatibus me vestris sublevâstis. *Nudus & non cooperuistis me.* Res mira, inquit Chrysostomus; hoc unum crimini datur in Evangelio; quasi hoc unum debeat venire in disquisitionem; eóque tantùm summi judicis Christi sit referenda severitas, ut divitum in pauperes duritiem & inclementiam olim damnet. Fieri autem non potest, subdit Chrysostomus, ut Deus ille, qui tam æquus est parte ab omni judex, ob neglecta consilia sua æternis suppliciis quemquam addicat. Est igitur à Deo datum aliquod eleemosynæ præceptum. Planè convincit, paucisque verbis quæstionem decidit hæc ratio. Pergamus porro, & videamus, qua potissimùm re nitatur eleemosynæ præceptum; hinc enim tanquam è divissimo fonte moribus vestris informandis necessariam lucem non solùm hauriam, sed & potentissima rationum momenta, queis vos excitem ad observandam legem tam gravem, & cujus violatio in tam horrendos casus sit vos immissura; qua, inquam re nititur eleemosynæ præceptum; hoc notatu dignum est. Duplici jure, respondet Angelicus Doctor, supremo, Dei dominio, & egestate proximi, quibus ex principiis deducitur obligatio tam gravis ut eleemosynæ præceptum, sit divitibus non merum præceptum, sed juris naturalis, ac divini præceptum: cujus onere potestas proinde nulla terrestris eximere

*Ibid.*

*Ibid.*

mere eos possit. Auscultate, nec finite perire vobis quicquam ex illa morum doctrina. Etverò, christiani auditores est bonorum vestrorum potestas ac dominatus penes Deum: est illorum proprietarius. Vos eorundem, factâ vestri cum Deo contentione, si rectè ratiocinabimur, œconomi duntaxat ac dispensatores quidam habendi. Hoc fides, hoc ratio demonstrat. Igitur cùm Dei sint bona vestra, dominii jure, debetis ea propter illi clientelare officium; debetis vectigal; debetis perenne servitutis vestræ monimentum. Ac quoniam penes illum est proprietas ipsa bonorum vestrorum, eorum fructus percipere eum oportet. Quid agit DEus? vectigal illud, fructus illos, pauperibus addicit & consecrat. Hoc est, cùm non deceat per se ipsum, ac pro se tributum illud exigere, per pauperes ipsos exigit, aut potius, pauperes, qui illud exigant, substituit suum in locum. Itaque eleemosyna, quæ charitatis officium est ac misericordiæ, prout pauperem respicit, est quoad Deum, clientelæ, est servitutis officium. Atque hoc ipsum est, quod præclara illa significat spiritûs sancti sententia. *Honora dominum de tua substantia.* Animum, quæso vos, advertite. Hominem jubet, bonorum, quæ sunt ab eo accepta, oblatione, Deum *honorare*; quod fit, inquit Leo Papa, cùm homo clientis & obnoxii tributa pensitat.

Tributa

Tributa honorifica, quando quidem DEO sunt honori; sed pauperibus, in quos ejusdem providentia ea transtulit, simul utilia ac fructuosa. DEus enim, iterum dico, suo loco pauperes constituit, suos veluti quæstores; estque Eleemosyna, ratio unica ac via, qua, quæ Deo divites debent, persolvant. Quapropter de pauperibus dum sermonem habet Petrus Chrysologus, valde honorificum iis munus attribuit. Eos appellat cælestis fisci præfectos, manumque pauperis spectari vult, ut ærarium Dei terstre. *Gazophylacium Dei, manus pauperis.* Cujus ergo criminis reos se faciunt, cùm pauperis divites obliviscuntur, cum debitam stipem subtrahunt. Peccatum illud nunquam fortasse tale vobis visum est, quale ego cogitatione complector, & scriptura ipsa significat. Aio, hominem divitem, qui Eleemosynâ pauperem fraudat, perduellem esse, qui domino tributum abnuit; superbum esse clientem, qui servitij jugique impatiens, justæ se subtrahit dominationi. Forma excellens, qua, hinc Dei præstantiam, inde, Eleemosynæ naturam agnoscamus. Ex his quippe duo deduco, quæ nec satis percipi, nec satis vehementer inculcari possint. Primum, Eleemosynæ necessariò humilitatem adjunctam esse oportere; ac non modò idoneum eam opus non esse animis inflandis, ut hominem potius contineat in-

tra

tra summissionis fines; ut secum velut habitare compellat & in tenuitatis suæ notitia versari. Quid ita? quoniam Eleemosyna, subjectionis est, datum divinæ majestati, testimonium. Non fert autem natura, ut se quis offerat ob jugum, quod gestat, servile, & ab ipsa fidei & obsequii sui professione decus trahat.

VIDIT hoc nimirum Abrahamus, cùm Domi suæ tres olim Angelos accepit pannoso tectos pauperum habitu ac veste. Notant sacræ litteræ, sanctissimum virum, excepturum novos hospites, abjecisse se, & provolutum ad eorum pedes, cùm tres adessent, unum duntaxat adorâsse. *Tres vidit & unum adoravit.* Quid hoc rei sit quærunt interpretes. Unúmne de tribus, an præter tres, quos cernebat, mente sursum erectâ, quartum, quem non cernebat, adoravit? sunt qui existiment, vel ab eo tempore patefactum esse illi ineffabile sactæ Triadis mysterium, & unius cultum, in trium conspectu velut quandam esse fidei professionem, qua Deum unum, tribus in personis agnoscere se significat sanctus patriarcha. Ita Augustinus non aptè minus, quàm ingeniosè. Videtur tamen Hieronymi genuina magis expositio; malímque cum eo dicere, Abrahamum conspicatum tres pauperes, prono corpore DEum adorasse; quoniam

cœnâ

cœnâ hospitali peregrinis tribus appositâ, tributum Deo quoddam pensurus erat è suo censu. Quasi fuisset Abrahamo propositum ostendere, quo ex fonte Eleemosyna, ad quam se accingebat, proficiscerctur, & exemplo suo docere, quo animo nos eam ipsos erogare oporteat. *Tres vidit & unum adoravit.* Hoc enim est, inquit Chrysostomus, quod primùm debet venire in mentem, cùm egentibus impertimus è re familiari. Est enim Eleemosyna divini cultûs species quædam. Hic primus sensus, quem in nobis edere, quo fidem pectus nostrum implere necesse est. Hic primus, inquam, Religionis sensus in Deum. Quid hac Eleemosynâ paro? supremum in me DEI dominium sum agniturus. Deo sum testaturus, ipsum, & Deum, & creatorem meum esse, Ita se res habet domine DEus; & eam ob rem deserto & abjecto pauperi subvenire consilium est. Cùm ejus calamitatem levabo, nihil dabo utique tibi; quid enim dedero tibi, ô DEus meus? ditior es, ego infirmior. Atenim vel ex eo ipso fateri volo infirmitatem meam; volo vel ex eo confiteri, tuas esse possessiones meas omnes; nihilque habere me, quod tibi vectigale non sit: ita, inquam, affectus sit oportet, quisquis Eleemosynæ præcepto satisfacere vult, ut christianum hominem decet.

Hinc

Hinc & aliud consequitur, Eleemosynam, si restrictè præceptum observes, respondere facultatibus & earum quantitati oportere. Deus enim, christiani Auditores, qui cuncta temperat ac regit ex sapientiæ suæ legibus, qui *cuncta in mensurâ & numero & pondere disposuit*, tributum illud à vobis exigit, pro bonorum vestrorum, quanta quanta est, ratione. Non hoc terrenis principibus usuvenit: politicis sæpe rationibus, quas ipsa firmat necessitas, adducti, gravia tenuioribus imponunt vectigalia, dum locupletiorum opibus parcunt. At Deus, cujus lex est nulli subjectâ necessitati, & apud quem nullum & conditionis discrimen, nihil remittens de suo jure, unóque habens ordine mortales omnes, tributum imponit in bona vestra omnia, in magnâ vivitis rerum copiâ? copiosum à vobis expectat vectigal. Est autem hominis sibi plus æquo blandientis, aut potius fallentis seipsum, levia quæque dum & minuta pauperibus erogare, cùm suppetit unde illis affatim, & copiosè tribuatur. Error istic est, inquit Ambrosius, divitem christianum compellans; *non est Eleemosyna, è multis pauca largiri.* Quam in rem & hoc addit sanctissimus Doctor; *non ergo quid fastidio expuas, sed quid Religionis affectu & studio conferas, pensandum est.* Quasi dicat, non est eleemosyna, operis quædam accessio, & gratuitum munus, sed

sed nomen, quod in te transcripsit. Neque satis est dare pauperi domûs tuæ rejectamen, aut nescio, quæ luxûs tui frivola temerè projecta, aut efflagitationis data importunitati, quod feciſti fortassis hactenus; quoniam ita agere cum conditore tuo, partiri bona tua cum eo tam malignè, est DEum non curare, est contemnere. *Non ergo quid fastidio expuas.* Vultis autem quæ sunt illi debita dissolvere? colligite vosmetipsi, facultates opésque vestræ quid ferant consideratæ. Ad sanctissimam rationis æquitatem eleemosynas vestras exigite. Videte num justitiæ, num legis præscriptioni respondeant ex æquo, num sufficiant, num largæ, num plenæ illæ sint. Hoc enim vobis metuendum est, auctore Ambrosio, ne, dum mercedem speratis ob datum, pœna irrogetur ob minus datum. *Metuendum est enim ne plus plectaris ob retenta, quàm compenseris ob data.* Quæ est autem sæculi nostri, etiam inter christianos, labes & intemperantia? liceat mihi per vos, Auditores, patefacere illam hoc loco, & ante oculos vobis proponere ad pudorem, si vultis, non infructuosum: quænam est, inquam, injusta divitum nostrorum ratio? nimirum cuncta illi, præter eleemosynas, bonorum suorum fructibus metiuntur: familiam, vestem, habitationem, instructum & suppellectilem volunt, pro censûs annui ratione;

ac sæpe longè extra rationem illam sumptu & magnificentia prodeunt. Quò enim mundana non progreditur intemperies? solius eleemosynæ impensas studet nemo annuos ad reditus accommodare; quamquam ea res una necessariò id postulet. Enimverò bonisne suis divites eleemosynas metiuntur? ecquam proportionem & comparationem habent impensæ factæ in egenos, & ea, quæ tot alias in res profundunt? hoc est, suntne divites tam magnifici in Eleemosynis erogandis, quàm superbi in vestibus; quàm splendidi in mensâ; quàm profusi in ludo; testes eos ipsos appello. An maxima pauperes habent ab iis egestatis subsidia? an stant per eos prochodochia? an per eos minuitur tot ægrorum mœror? an per eos tot vinctis succurritur? sit quispiam fortunis eversus; sit vexata provincia; inclinet in casum pia quæpiam domus; an spes in ijs præsentis auxilij locanda? an non è contrariò, à fortunæ mediocris hominibus, quæ Dei benignitas est, majora petuntur rebus egenis præsidia? quot hac in urbe primariâ homines pij ac religiosi, quibus, præter necessaria ad vitam tolerandam, cùm, aut fermè nihil, status suppeditet, ita tamen rem familiarem temperant, ut è necessariis illis facultatibus haud pauca superent, unde aliorum tenuitas sustertetur? dicamne? quot pauperes majorem

in

in pauperes præstant charitatem, quàm principes, quàm opulenti illi, qui primas in mundo sedes occupant, & sunt à DEO bonis terrestribus cumulati.

Attamen lex generalis est & absoluta, ut cujusque fortunis Eleemosynæ respondeant; ac fide constat, nos ex ea proportione tanquam regula, esse à Deo judicandos. Bona vestra cum Eleemosynis vestris, aut Eleemosynæ vestræ cum bonis vestris ad ejus tribunal compositæ, hæc sunt christiani Auditores, quæ, aut innocentes vos facient, aut reos. Quid ita? quoniam cùm legitimus is sit omnium dominus, quo pluribus vos donis ornavit, eò jure suo potiore, tributum ob illa clientelare exigere à vobis potest, quod & admonet ratio ipsa. En primum præcepti Eleemosynæ fundamentum, Dei videlicet supremum in homines dominum. Quodnam alterum? egestas & inopia proximi, cui subvenire, nos ex justitia & charitate, Deus jubet. Adeste animis. Ex justitia, hanc enim ob causam, eámque unicam, ad præcellentem illum prosperitatis gradum vos Deus evexit. Est enim illa detrahenda vobis opinio, non re minus ipsâ factisque vulgatis, quàm falsa est solâ mente & cogitatione spectata; vobis, si opibus abundatis, vobis, inquam, solis, vos abundare. Abhorret hoc à Dei sanctissimis consiliis, abhorret ab ejus instituto.

Divites estis; quibus? iis, quos tristis egestas premit. Si nemo egeret in terris, audeo dicere, Deum, qui supremus est conditionum omnium moderator idem & arbiter, his possessionibus ac fortunis nunquam vos aucturum fuisse. Qid igitur & spectavit & spectat? ut sitis in curandis pauperibus, ipsius vicarii, adjutores, ministri. Hoc spectavit: eam vobis provinciam destinavit, quæ multò vobis glorioſior, multò pluris, quàm opes vestræ omnes, vobis facienda. Quantum est enim nobis homunculis, Dei præpotentis vicarios & administros esse? percipite quid velim. Si Deus per semetipse, nullius interpositu, pauperum curam suscepisset, eorum egestati consulens, necessaria suppeditâsset abundè, atque eo modo qui Deum decet. Vos igitur supremi Numinis adjutores, & vicarij cùm sitis, quo par est modo vos illis subvenire? prorsus ut Deum decet. Ea est cura quam in vos transtulit: ea provincia, quam tradidit. Pauperes voluit è charitate pendere vestra, ut hæc subjectio, mutui usûs ac societatis inter vos & illos vinculum quoddam esset. De reliquo, hinc colligo Eleemosynam, merum non esse, nec gratuitum charitatis fructum; si quidem pauperi tantùm datis, quod accepistis pauperi, quod accepistis in pauperis utilitatem necessariò cessurum. Hinc colligo, si pauperibus non prospicitis, si eorum egestatem

statem non levatis, aut non levâstis prout fert conditionis vestræ ratio, non modò contumeliis afficere vos ac deformare diviniam providentiam, sed & extinguere quodammodò atque delere: quamobrem? quoniam quantum est in vobis, imperfectam eam facitis ac vitiosam; quoniam pauperum in eam querimoniis locum datis; quoniam à vestrâ immisericordiâ ansam sumunt multiplicem ac speciosam de eà obloquendi, ei obtrectandi, verbis eam contumeliosis & impiis conscindendi, eam de cælo detrahendi.

Atenim creditis, Deum, gloriæ suæ non indormientem, nec surdum probrosis criminationibus, queis in eum, per sordidam avaritiam vestram, utuntur illi, non effecturum, ut eæ in vos vestrúmque caput recidant, flagellis immissis eò sæpe gravioribus, quò sunt vobis minus cognita. Non loquor de casibus illis adversis, quibus premuntur, eo permittente, diuites adeò immisericordes ac restricti. Nihil dico de luctuosis illis domorum eversionibus, de plagis illis ab justo pauperum ultore ac vindice, nec opnatò inflictis. Si fortunis vestris parcit nonnunquam, eò magis vobismetipsis, eò magis animis vestris metuere vos oportet. Pauperes obliviscimini: sunt qui non obliviscantur. Vos evexerat Deus ad eorum subsidium: sufficientur

vestrum in locum, qui sint eorum tutores ac patroni: sed locum apud pauperes vestrum in terris occupando, paratum vobis apud Deum, locum pariter vendicabunt.

Ex charitate. Quinam ah! sunt calamitosi illi, quorum hodie causam agimus? non illi ipsi, quicunque tandem estis, Auditores, non illi ipsi fratres vestri sunt? non illi *caro sunt vestra*, hoc est, homines ejusdem, ac vos, naturæ? non, Dei, ut vos filij, ad eandem ut vos, gratiam, ad eandem, ut vos, gloriam vocati? non sunt cohæredes, ut vos, Christi? quî fieri autem possit, inquit Joannes Apostolus, ut, cùm sitis tam arctè illis, & nexu non uno, conjuncti, vestram illis benignitatem, premente fortunâ, ac misericordiam claudatis? aut, si arctis in rebus opem non fertis, amore & *charitate Dei* quis vos ornatos dixerit? quod si divino amore excidistis, in hostibus utique suis habet vos Deus. Si estis Dei hostes, ergo ob præceptum ejus aliquod violatum; idque aliud esse nequit quàm eleemosynæ præceptum. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Gen. 37.

Rom. 5.

1. Joa. 3.

Neque existimemus, præceptum illud non pertinere nisi ad graviores quasdam ac rariores rei familiaris angustias. Cùm dico,

tum

tum justitiæ, tum charitatis lege teneri nos ad proximorum inopiam levandam, quid intelligi volo? inopiam illam vulgarem, quæ nobis passim obvia est, aut, quæ latens in occulto, moveret nos haud dubiè, quantumvis vulgaris, si in ea vestigandâ & cognoscendâ, plus operæ poneremus. Est enim & alius non minus evidens error, omnibúsque humanitatis legibus contrarius, si quis sibi in animum inducat, eleemosynæ legem in summis extremísque rei familiaris angustiis severam tantùm esse. Præter has, sunt & aliæ graves, & frequentiores angustiæ, christiani Auditores; ac, si fas sit in gravibus illis angustiis non subvenire pauperibus, quomodò Christus, cùm tot reprobos olim condemnabit, eorum damnationem, voluntariæ pauperum oblivioni, ut præcipuæ illius ac potissimæ causæ, & quàm meritò tribuat? súntne tot divites adeò immisericordes, pauperem ut conspiciant inopia enectum, in extremo penè versantem discrimine, ac jamjam animam agentem, & opem ferre poscenti, ac salutem non curent? súntne tot ærumnosi in terris, tam deserti, tam bonis destituti? hinc Theologi colligunt, verba Christi non intelligenda solùm de penuriâ extremâ, sed de eâ, quæ in oculos frequentius incurrit, cúique subvenire, cùm est situm in nobis, jubemur, æternæ damnationis pœnâ pro-

posità. Adeò, ut ex mente Theologi doctissimi, (floruit 15 seculo superiore) qui statueret, aut reipsa statuit apud se, nonnisi extremam pauperum inopiam levare, graviter eo ipso peccet, pœnaque teneatur sempiternâ. Quoniam is est erga Deum ita affectus, ut divinæ legi voluntas ejus directè adversetur.

Acerba vobis, divites mundani, acerba & luctuosa prorsus dogmata, quæ & terribile illud in vos anathema jactatum à Christo plus satis confirment; *væ vobis divitibus*, Quid ita? quoniam opulentia illa vestra habet plerumque alterutrum ex his duobus? ut aut cupiditatis sitim & ardorem accendat habendi, ne dum extinguat; aut in sensus, suique ipsius amorem altius immergat. Hi duo sunt vestræ in pauperes immisericordiæ fontes; quandiu enim cæca vos avaritia tenet, nulla non re accrescere vultis rem vestram, nullâ diminui: opibus opes, possessionibus possessiones cumulari, semper accipere, nunquam dare. Quid dico? vel si spoliandus pauper, et, quæ misero superant paucula quædam, rapienda hostiliter, tantùm abest ut fortunæ prementis injuriæ propulsentur; si opprimendus idem ille, ad diram, quæ vos exedit, famem explendam, quid non fit, tantùm abest ut jacenti & abjecto amica & benefica manus porrigatur? non jura proculcantur sancti-

Luc. 6.

sanctissima? quæ vis, quantumlibet iniqua & aperta, non adhibetur? quæ sævitia, quæ barbaries tam immanis non expromitur? aut cùm toti sitis in corporis obsequio, in titillandis sensibus toti, vestra tantùm attenditis, vestra tantùm vos movent non aliena. Conflictetur ille cum rei familiaris angustiâ, vitámque trahat ærumnosam: langueat hic porrectus in paleâ, ac morbis penè confectus: hæc sobolis numerosæ clamoribus lacerata pectus, sentiat dolores omnes natorum, nec possit assiduis eorum quæstibus aliter quàm sterili fletu respondere; ut sunt externa vobis hæc mala, nec ad vos aspirant, modicè vos tangunt. Modò voluptates non desint, quæ sensibus vestris lenocinentur: modò benè & commodè sit corpori vestro; his contenti estis, &, cæteris ne desit quidpiam, haud vos admodum sollicitat ea cura. Atenim curæ sunt illi Deo; & veniet dies, cùm eorum coget vel invitos meminisse; cùm ad purgandam providentiam suam, vendicandique pauperis causâ, meritas à vobis pœnas reposcet: cum par pari referens, quales vos sensêre inopes, talem vos illum judicem sentietis, hoc est, misericordiæ prorsus expertem. En, christiani Auditores, quæ privatim ac diligenter attendere & considerare vos oporteat, noxísque pœnitentiæ sacramento abstergendis, annumerare.

En unum è graviſſimis chriſtianorum officiis, in quo Rectorum animarum vigilantiam & ſeveritatem meritò requiram; Dei ſi quidem gloria & proximorum utilitas agitur. Attamen cùm vobis perſuaſum ſit de eleemoſynæ præcepto, nôſſe jam cupitis quæ illius materia eſſe debeat; hoc ipſum docebit pars concionis altera.

QUI Eleemoſynæ præceptum firmis rationibus conſtituit, non aſſignatâ illius ac fixâ materiâ, id unum perficit auctore doctiſſimo Pariſienſis Eccleſiæ Cancellario Gerſone, ut infirmis & anxiè religioſis hominibus ſcrupulum injiciat, turbétque; duris & immiſericordibus det imprudens auctoritatem peccandi. Turbat, inquam, ille & ſollicitat non ſatis firmas hominum mentes, quæſtionis implicans difficultatibus, queis expedire ſeſe non valent; duris & inhumanis dat auctoritatem peccandi, vanas rationes ſuggerens, quibus divinam legem ejuſdémque vim eludant. Perinde facit, addit ille idem Doctor, ac ſi pauperi nomina transferat in divitem, ſed nomina quæ fundo careant pignoratitio; nomina litigioſa & impedita, quibus haud dubiè pauper excidet, divite, quaſi pro jure ſuo, ſolutionis onus ſemper detrectante. Expedit autem, imò neceſſe eſt, ejuſmodi malis occurri. Atque hæc ſunt quæ apud Theologos

logos eam in rem reperio. Docent illi, in communi pauperum necessitate, divitum superflua eleemosynæ materiam esse oportere. Hoc primum ponunt illi, idque firmissimis rationis ac fidei placitis subnixi. Hærent quippe in disertis illis Apostoli verbis, *vestra autem abundantia inopiam illorum suppleat.* Quod autem abundantiam Apostolus vocat, aliud nihil est, quàm superfluum illud ipsum de quo loquimur. Stant unanimi Patrum judicio, qui de superfluo illo semper loquuntur, tanquam de bonis, quorum divites sunt tantùm velut depositarii ac dispensatores; tanquam de bonis, quæ retinere nequeant miseris & extremis temporibus, citra summam injustitiam, atque ut Ambrosius sentit, citra furtum; hæc enim est sancti Doctoris mens, cujus doctrina, in iis quæ ad mores attinent, est perquàm accurata, nec severa immodicè. *Non enim majus crimen est habenti tollere, quàm cùm abundas, indigenti denegare.* Stant Aqinatis ratiocinatione, ab ipsâ rerum naturâ, ductâ, & primo illo ordine, in quo creatæ à Deo fuerant. Primitus enim, inquit Angelicus Doctor, hoc est, priusquam esset homo per peccatum nudatus primigeniâ illa sanctitate, quæ desideria, affectúsque ejus omnes ita compositos tenebat, communia erant bona omnia; quæ, si postmodum partiri homines voluit,

2. Corint. Cap. 8.

voluit, id spectavit, ut & peccato constitueret modum, & pravam hominis cupiditatem comprimeret. Partitio autem illa, subdit idem Sanctus Doctor, non esset Deo tribuendum opus, si aliorum superflua, non essent cum alijs communicanda. Et verò, si ritè res æstimentur, superfluum nihil est conditum à Deo; ac quod eo nomine censetur, non est per se & absolutè superfluum dicendum. Aut, si vultis, quod diviti superfluum est non est pauperi. Diviti superfluum est pauperi necessarium. Est hoc utique providentiæ mysterium Auditores, & ejus quæ est infinitè sapiens. Mysterium providentiæ, quod evolvit Apostolus, dum ad Corinthios scribens, ostendit, Deum ea ratione ac viâ primam illam ac beatam restituisse bonorum æqualitatem. *Vestra autem abundantia illorum inopiam suppleat, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est, qui multum, non abundavit; & qui modicum non minoravit.* Quemadmodum de Mannâ scriptum legimus, quod ita in populum hebræum viritim dividebatur, ut alius alio plus minusve non haberet, seu multum collegisset, seu parum. Ultra progreditur D. Thomas, ac contendit, divitis interesse, ut fuerit ita à Deo constitutum. Quamobrem? quoniam si diviti superfluum suppeteret non præstandum pauperi, & cujus ratio non esset reddenda jam

super-

superfluum illud non modò non esset donum cæleste, sed ab irato Numine accepta res, utpote quæ maximam saluti moram & impedimentum esset illatura. Verè enim hoc dixero, nihil saluti & esse, & esse posse magis formidandum bonorum superfluitate, eorum præsertim, quorum dispensatio vitiosi sui ipsius amoris est arbitrio permissa. Dei ergo in divites misericordis ac providentis fuit, adimere ipsis potestatem, qua procul dubio fuissent abusuri, nec superfluum concedere illis, quàm ut id ipsum cum egenis partirentur. His principijs Theologi nituntur. Ut ut est, inter omnes convenit, superflua bona, eleemosynæ materiam esse, vobisque ea in pauperes erogandi, prout eorumdem necessitas postulat, impositam esse legem. Numquam autem deerit ejusmodi necessitas ac penuria, pergunt Doctores; abundè semper calamitates aderunt, quæ superfluum illud exhauriant, si modò divites ab officij sui religione non declinent. Atenim quid esse dicam superfluum illud? en gravissima & scitu perneccssaria quæstio, quam & evolvere hoc loco, operæ pretium erit non leve. Si Theologos consulo, quid pronuntiant? hoc superflui nomen complecti quidquid necessarium non est ad statum & conditionem moderatè & honestè continendam. In eo hærent. At, vel inde ambitio, luxus,

cupi-

cupido, voluptas ad eleemosynæ legem abrogandam arma mutuantur. Ex eâ enim superflui definitione causæ finguntur non perrumpendæ solùm legis ipsius, sed & penitus abolendæ; quas si non evertimus, nihil agimus. Accipite ergo, Auditores, quid immisericordiæ suæ avari & ambitiosi homines obtendant. Ipsis si creditur, superflui nihil habent. Facultates eorum omnes necessariæ sunt ad vitam in suo & pro statu suo sustentandam. Respondeo ac dico, duo super eâ re esse perpendenda. Alterum, qui si status ille. Alterum, quid sit eo in statu necessarium. Qui status? Christiani, an ethnici proprius? verus an commentitius status? finitus an limitibus carens? Deúmne auctorem agnoscat, an cæcam cupiditatem? hic enim est difficultatis nodus. Si status est limitibus carens, solis superbæ mentis tuæ cogitationibus subnixus, cujus errores ab ethnicis etiam ipsis fuissent damnati, cujus fastus immoderatus in scandalum vertat & opprobrium Ecclesiæ; ah! jam intelligo, quî fieri possit nihil ut superfluat in bonis tuis; quî fieri possit, ut necessaria etiam desint. Nam ad status illos tuendos, vix sufficiant opes immensæ. Nunquam satis est tantùm abest ut aliquid redundet. Hoc, inquam, intelligo. Verùm haud satis intelligo, quomodo Christianus cùm sis, ab erogandâ pauperibus

eleemo-

eleemosyna, tali te vendices excusatione. Etenim si status ejusmodi probentur; si fas sit eos retinere, præcepto eleemosynæ quid fiat? aut potius, quid pauperibus fiat? aut potius, quid pauperibus fiat, quorum causâ, est præceptum illud hominibus datum? unde superfluum ad eos alendos petatur? an assiduè eam in rem miracula erunt patranda Deo?

Sed omitto scrutari status illos vestros & propius inspicere. Tales eos esse libenter credo, quales eos vobis fingitis, quales credere eos jubet præsumptio vestra. Spectemus tantùm quid in iis aut necessarium vobis, aut superfluum videri possit. Superfluum, ut minimùm, appello, quod vobis; non dico præcisè inutile, sed & est apertè noxium. Ac ne verbis rem augere videar, ex iis statibus vestris ea tantùm sumo, quæ eorum intemperantiam, vitia, flagitiaque omnia fovere solent; atque hæc satis mihi sint, ut in iis superfluum esse demonstrem. Superfluum appello, Auditores, quæ nequitiæ vestræ, quæ pudendis libinibus illis quotidie impenditis. Tolle idolum illud quod colis penè religiosè, & superfluum erit. Superflum appello, mundana fœmina, quæ expendis, imò profundis in sexcenta corporis ornamenta frivola, quæ luxum tuum alunt, & erunt olim fortasse æternæ reprobationis tuæ causa.

Am-

Amputa luxuriem illam aliquâ ex parte, & superfluum erit. Superfluum appello, quæ dare non dubitas, in ancipites ludi casus; ludi inquam, qui non oblectat, sed mentem tenet, afficit, turbat vitæ ordinem, & quod gravius est, opes frangit, æternum animæ tuæ exitium affert. Omitte ludum, & tibi jam superfluum erit. Quid? habes unde acerrimis maximéque effrænatis appetitionibus tuis suppedites quæcunque postulent; & persuadere vis nihil esse apud te superflui? superfluum in rem quamlibet suppetit, non suppetit in pauperes erogandum. Hæc sunt, Auditores christiani, quæ ex muneris mei ratione, declarare hoc loco debui, & ut attentè consideretis etiam atque etiam rogo.

At, non licet superfluo illo uti ad amplificandam augendámque fortunam? En, christiani Auditores, en lapis, en scopulus, ad quem offendunt divites omnes mundani. Illa crescendi, assurgendi, quemvis ad locum perveniendi cupiditas, citra modum & satietatem ullam. Dicat aliquis, an damnanda cupiditas illa est? loquendum enim accuratè, & ad acerrimam Theologiæ normam voces omnes dirigendæ. Loquamur utique, quando ita lubet, ex strictis ac rigidis Doctorum placitis. Favebunt illa mihi, nec metuo, ne, quam trado, doctrinæ vim usquam infringant. Nihil dico de ijs qui

qui sacerdotijs & dignitatibus Ecclesiasticis cùm sint ornati, quòd è sacris superat redditibus, ponere vellent in parandâ sibi fortunâ splendente. Non ignorant illi, quibus fulminibus error ille sit ab Ecclesiâ pertussus; sciunt doctrinæ moralis solutionem hondum eò usque progressam, ut eâ in re eorum ambitioni aliquantum & cæcæ obsecundaret cupiditati. Sciunt, qua severitate minus rigidi, magisque indulgentes Theologi disseruerint de usu superflui illius, quod, ut pauperes nulli sint, ad divites non attinet sacerdotiis præditos; neque illi nescij sunt, profanum quemvis illius usum, Doctorum omnium consensu, sacrilegium esse. Quòd si jam quæratis, quò igitur illa sacerdotiorum multitudo, quæ tam acriter consectantur, quæ tam studiosè ambiunt; aucto si quidem officiorum pondere, ad illam honoris & gloriæ, quàm spectant, amplificationem, nihil illa conferunt; idipsum est, Auditores christiani, in quo invita versetur oratio. Malim rem omnem conscientiæ ipsorum permittere, quàm perstringere eorumdem mores vocis libertate, quæ vobis haud satis probetur, ut illorum minus fortasse conducat utilitati. Revertamur itaque ad propositum & quæstionem universam. Estne injusta & mala, cupiditas altiorem ad statum assurgendi? non semper, christiani Auditores, aut, si vultis, non est

perfese mala. Verùm attendite ad conditiones, quæ requiruntur, ut talis non sit; & videte è desideriis omnibus, queis teneri homines possunt, num sit ullum quod à periculo, & plerumque à pernicie propius absit? volo licere tibi amplificare statum tuum. At qua ratione? ex Religionis tuæ sacrosanctis legibus. Liceat tibi, exempli gratiâ, magistratum illum dato pretio comparare, si modò iis virtutibus es instructus, quæ ad illum gerendum sunt necessariæ; si divinam in eo gloriam potes promovere; si est è publicâ re. Cur enim reipublicæ, imò divinæ ipsius gloriæ detrimento, evehas te ad altiora? quot tamen videre est, qui se ita attollant? Dei intererat, ut vir ille nulla religione, nulla probitate præditus, nulla in alios auctoritate, nulla potestate valeret. Attamen quoniam opibus affluebat, ad summos quosque honorum gradus ascendit. Hunc excludebat à negotiis omnibus gerendis, ab omníque rerum administratione, inscitia ipsius, animus hebes ac rudis, sed quoniam natus erat in locuplete domo, tantum sibi sumpsit, pro eâ opinione quam habebat de seipso, ut in subselliis sedere, pronuntiare, sententias ferre non dubitaverit. Atenim, si neuter animum induxisset augere statum suum, neutri superfluum, unde satis feciissent eleemosynæ præcepto, defuisset. Sed hæc hactenus, de iis enim longum sit dicere. Volo,

Volo, christiani Auditores, fas vobis sit augere statum vestrum, modò intra æquos modestiæ fines vos contineatis, nec cupiditas feratur infinitè. Quid ita? non solùm quia nihil est Evangelicæ doctrinæ magis contrarium, quàm infinita illa crescendi libido, quæ per se sola, Bernardo teste, flagitium est; verùm etiam quòd inde consequeretur, eleemosynæ præceptum, non nisi commentitiam quandam & inanem deinceps legem fore. Cùm enim tunc possent divites, pro suo jure, parci, abstinentes, tenaces esse in omnibus, liquet, nullum fore superfluum in terris; adeóque præceptum eleemosynæ nihil fore præter umbram quandam veteris legis, quæ majores nostros alligavit, quoad sæculi simplicitas arctos fines terminósque eorum ambitioni constituit, certæque affixit conditioni; sed quæ vim omnem amisit, ex quo pravis mundi legibus homines imbuti, magna spectare, magnam sibi fortunam parare didicerunt. Dicite, quæso, Auditores, consectarium hoc defendine ullâ ratione possit?

Volo fas vobis sit augere statum vestrum, modò pariter crescant eleemosynæ vestræ, & ponatis velut principium, partem illas esse, eámque necessariam, statûs vestri. Verùm hoc peto inprimis (mandate sedulò memoriæ hoc axioma) statum ut vestrum augere non liceat, nisi postquam pauperum

miseriis fuerit à vobis subventum, & quantùm cum nova illa fortuna eorum miseriæ consistere poterunt. An est æquitati res magis consentanea? quid? assiduâ longâque parsimoniâ id laboras, christiane Auditor, ut te promoveas, ut amplo te colloces in statu, ut beatus sis, dum interea pauperes ingens malorum examen premet. Cùm tuum esset venire iis subsidio, in eo totus eris avidè ut colligas, ut pares; & eorum velut insultans calamitati, fortunæ recentis splendorem ac pompam magnificè ostentabis. Non ita, Deus meus, non ita erit, dicere te, si christianus es, oportet. Scio quid à me postulet charitas proximi: nihil est necesse ut ditescam, ut altiorem provehar in statum, at necesse est pauperes ali. Mihi igitur ante omnia curæ erit, illis ut subveniam, ac quandiu egere eos videbo, quæ bonis meis superfluent, erunt mihi depositi loco, quod erogandum in eos, servandum tradidisti. Ita, inquam, loqui te decet; ac si necessitas urget extrema, non superflua modò, sed & statui tuo necessaria profundes. Quid ita? quoniam statu tuo charior tibi esse debet proximus, ac, si quid amputandum de statu tuo, ut fraternæ saluti consulatur, hoc enimvero est, quod perferre vos oportet, imò, ne frater pereat, ultrò amplecti. Ita omnis Theologorum schola.

Cùm extremam autem dico proximi ne-

cess-

cessitatem, non eam intelligo tantùm, quæ corpus, sed quæ bona, famam, libertatem respicit. Quid velim planum facio. Non te fugit, calamitoso illi, ni quid pecuniæ contribuatur in ejus redemptionem, annos haud paucos languendum in carceris pœdore. Non te fugit, puellam hanc, ni maturè succurratur, pudicitiæ naufragium esse facturam. E necessariis, etiam ad statum, utrumque subleves, oportet. Quamobrem? quoniam est utrobique necessitas extrema. Sic censeo. Et hæc mea opinio non nata & profecta est è schola morum severiore; eorum ipsorum est quibus doctrina solutior attributa magis est, & crimini magis data.

Quot sunt ah! christiani Auditores, quot sunt dogmata, de quibus nondum satis persuasum est illis, qui christianam Religionem profitentur! *video quid dicturus es*, inquit Augustinus in ps. 38. (Ac fateor prætextum hunc unum morari me posse, nec facilè labefactandum, ni jam res confecta sit à sanctissimo Doctore) *video quid dicturus es, filijs servio*: est alenda familia: sunt liberi matrimonio copulandi: unde colligis fas esse tibi bonorum superflua retinere. *Sed hæc vox pietatis*, Respondet Augustinus, *excusatio est iniquitatis.* Sic est, Auditores; causa illa, quantumlibet speciosa, nunquam vos excusaverit apud Deum. Sint li-

beri nec ne matrimonio copulandi, si superfluunt bona, debentur illa pauperibus, ex christianæ legis charitate. Est enim hæc lex vobis lata, nec habet quicquam, quod cum cæteris officiis vestris non rectè consistat. Sunt locandi liberi? at, non sunt pauperes oblivisCendi. Si familia contigisset partu numerosiore fœcunda, curas tuas natos per omnes dispensares utique, nec ullâ in re paterna sedulitas desideraretur. Paupere illo, quem vides, auctum te crede, & habe pro familiari filio. Egregia enimvero laus, nec satis commendanda praxis, cùm quis pauperes, qui Christum nobis exhibent, adoptat, & liberis suis ascribit. Sed incidimus in dura miseráque tempora; nemo non laborat ex annonæ difficultate; an non igitur prudentis est prospicere in futurum, annuósque fructus recondere. Istuc prudentia suadet, sed carnalis, sed vitiosa, sed exosa Deo prudentia. Nemini non malè est. Esto. Res ita se habeant. Quanquam si extremam duntaxat speciem sequor, haud ita facilè fortasse concesserim. An unquam enim fastus, & vestium luxuries, quàm his temporibus, major? & quis scit an non eam ob causam pœnas nobis irroget Deus; Deus, inquam, qui, ut sacræ litteræ loquuntur, pauperem superbum odio habet. Verùm esto, inquam, acerba sint & calamitosa tempora. Quid inde conficitur? si malè

est

est omnibus, an pauperibus est bene? ac si mala, quæ pauperum sunt, divites ipsos premant, quo loco res pauperum esse dixerimus? quorum autem est sublevare qui graviora perpetiuntur, si non eorum qui leviora? igitur recténe argumentaris cùm dicis, quoniam est calamitosa tempestas, fas esse tibi superflua tua bona asservare; quoniam, vel ob id ipsum, citra lethalem noxam, non licet, & lege privatâ teneris illam pauperibus impertiri. Terret vos moralis hæc doctrina, eóque spectare videtur, ut cunctis divitibus æternam importet damnationem. Sed satis mihi sit respondere cum Gersone, non damnari divites per hanc doctrinam, sed, quoniam doctrinam hanc non amplectuntur, divites damnari perse ipsos. Et verò Epulonis Evangelici damnationem, aliam in causam non refundit Christus. Inde autem efficere, divites omnes damnandos, est malè sentire de proximo; scrutari velle divina consilia; temerè ac malignè de aliis judicare. Simus officiorum retinentes, inquit Augustinus, & ejusmodi argumenta nunquam in alios colligemus. Cùm erimus charitate in proximum & misericordiâ prædíti, reperiemus eo in genere nobis haud inferiores, imò fortassis etiam superiores. Ut ut est, nolite, christiani Auditores, nolite abuti bonorum vestrorum superfluo, ac quoniam illud à vobis Deus exigit vestram

ad salutem, cavete, quæso, ne illius usus in æternam damnationem vestram cedat. Cogitate linquendum olim superfluum illud; & postquam Deo juxtà & hominibus exosos tenacitas vos vestra reddiderit, adventante tandem morte, dimittendum; contrà, si charitati, ut par est, maturè dedatur, animæ vestræ saluti profuturum. Cogitate, nulla re vos magis impetraturos à Deo bona etiam temporalia, quàm si bona cum egenis vestra communicetis. Ita Christus
Luc. 6. disertis verbis. *Date & dabitur vobis.* Absolvamus. Præceptam eleemosynam esse, &, quæ sit ejusdem materia docuimus; qui sit ordo in eâ eroganda servandus, jam accipite.

PARS III. CERTO ab ordine perfectionem res omnes trahunt & commendationem suam; ac cùm id agit spiritus sanctus, verbis ut declaret, Deum cuncta sapienter, atque, ut Deum decet, molitum esse, satis habet dicere, *in mensurâ & numero, & pondere eundem* omnia *disposuisse.*
Sap. 11. 12. Quin & ipsa charitas, regina virtutum, ordo si desit, jam virtus non sit. Etverò sponsa in maximis donis à sponso acceptis numerat, quòd ordinaverit in se charitatem. *Ordinavit in me charitatem.*
Cantic. 2. Atenim, quærit Augustinus, quid est charitas ordinis indigens? nonne illius est, ordine cuncta disponere ac dispensare?

sare? non est ipsa potius ordo & rerum omnium norma? sic est, respondet sanctus Doctor, ordinata in sese est vera charitas, neque id boni est extrinsecus aliunde quærendum. Sed est falsa charitas, quæ habet hoc proprium, ut ordinem ac modum nesciat. Hinc, pergit Augustinus, sponsa, quæ est animæ christianæ typus, dona duo excellentissima Deo accepta refert. Alterum, quòd charitate ipsam instruxerit; alterum, quòd in ipsâ ordinaverit charitatem. Ita ille interpretatur hæc verba, *ordinavit in me charitatem.* Quod autem Augustinus de charitate generatim & universè, de eleemosynâ, quæ charitatis pars quædam necessaria est, privatim dicendum. Igitur in eleemosynâ tribuendâ servandus ordo, idque ex Theologorum placitis, primùm pauperum, quibus debita, deinde divitum, quibus præcepta est, respectu. Videte, Auditores, ne quid vobis pereat è tam salutari doctrinâ.

Dico servandum esse ordinem quemdam, pauperum, quibus debetur, respectu. Nimirum quoad voluntatis propensionem eleemosyna, aut, ut planius loquamur, voluntas ipsa largiendi eleemosynam, debet esse generalis & universa, hoc est, debet ad pauperes universim omnes extendi, nullo secluso. Unum enim aliquem ubi primùm excludetis, jam non inerit verus charitatis

spiritus. Colligat oportet hæc virtus in corde vestro, inquit Chrysostomus, quidquid est inopum in mundo & calamitosorum hominum, ut sunt reipsa divino in pectore collecti. Ibi, *in visceribus*, ut ita loquar, charitatis Dei, videbat Paulus mortales omnes collectos, ac videri nobis debent omnes curis nostris pariter digni. *Cupio vos omnes in visceribus Christi JEsu.* Adeò ut si posset charitas vestra patere tam latè, quàm proximorum miseriæ, optetis miserijs omnibus levare orbem universum, atque his Apostoli verbis compellare egenos omnes. *Cor nostrum dilatatum est; non angustiamini in nobis*; en quippe veræ charitatis & christianæ misericordiæ forma ac veluti character.

*Phil.* 1.

2. *Cor.* 6.

Quid dico misericordiæ christianæ? an non Judæis olim ipsis hanc legem imposuerat Deus, & cùm eleemosynam largiri pauperibus jubet, annon in ijs ipsorum etiam inimicos vult esse comprehensos? *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit da ei aquam bibere*; his significans, eleemosynam nullis finibus circumscribi oportere, atque ut loquitur Chrysologus, cùm divinæ sit æmula misericordiæ, tam in inimicos, quàm in amicos profundendam, quemadmodum *Deus solem suum super injustos, non secus ac super justos oriri facit* ac splendescere. *Si esurierit inimicus tuus ci-*

*Prov.* 25. 21.

*Matth.* 5.

*ba*

*ba illum.* Quod si id Deus fieri voluit eâ in lege, per quam odisse inimicos, aut ex ijs certè aliquem, ut patres explicant, fas fuisse videatur; quid à nobis exigat, qui peculiari ac propriâ obligamur eleemosynæ lege, statuendum vobis permitto. Atque ex eo colligamus, quæ sit nonnullorum hominum cæcitas & error, qui, vel in ipsâ eleemosynarum distributione, cupiditates suas & naturalem voluntatis propensionem duces sequuntur; qui his, quoniam sunt ipsis gratiosi, benignè faciunt; illis, quoniam ipsis non sunt accepti, nunquam gratificantur; qui honori ducunt & gloriæ, aliorum subvenire paupertati, dum interea in aliorum malis aut callet pectus, aut friget; hoc est, qui in erogandâ stipe, pravo sui ipsorum amori, in negandâ, naturali proximorum odio obsequuntur; hoc enim *spiritualibus* etiam ipsis incogitantibus usuvenit, hiccine est Evangelij spiritus? assuescamus. Auditores, christiana opera christiano ritu ac modo efficere, nec eorum bonitatem iniquitatis permistione vitiari sinamus atque corrumpi. Eleemosynam ita largiri, non est virtuti operam dare, sed profanam eam facere. Si pauperibus Dei causâ subvenio, paratus sim oportet ad iis indiscriminatim subveniendum, nullo prorsus excepto; ad Eleemosynam erogandam ubi ubi se necessitas ostendet, ac pro necessitatis modo, quem mihi

*1. Cor. 2.*

mihi Deus monstraverit; adeò ut, rem universè sumendo, si major inimicum egestas premit, præferre eum cuivis debeam. Hoc docet Evangelica lex quam profiteor; si non sum ita animatus, speciem tantùm charitatis habeo, non charitatem ipsam. Quas enim Eleemosynas largior, nullius sunt apud DEum meriti; & in iis premendis, quas nego, bis pecco. Quid ita? quoniam in illis, naturæ meæ propensioni, in his odio meo naturali obsequor, & gravissimo christiani hominis officio desum. Non quòd non liceat aliquando, imò expediat eâ superre, rationem habere nonnullam; in eo assentior sapientibus morum Magistris, quòd existimem affines ac domesticos externis vulgò præferendos. Qui nullâ prorsus ratione emergere valent ex egestate, iis, qui aliquod adhuc in labore & industriâ perfugium habent. Qui toti sunt in promovendâ Dei gloriâ & animarum salute, iis, quos propria utilitas & salus occupatos tenet. Illa præcipuè causâ S. Ludovicum olim permovit, ut in viros sanctissimos Dominicum & Franciscum ætatis Apostolos suæ, tam largus esset atque munificus. Nulli rei pepercit, eos ut protegeret & adjuvaret, quos habebat pro defensoribus Ecclesiæ, pro fidei propagatoribus, ac divini Verbi dispensatoribus indefessis. Non satis nunc fortasse probetur pars illa Regiæ pietatis; at erat

erat, opinor, Ludovici pietas nihilo solida minus, quàm nostra. Eleemosyna ita ordinata, pauperum, quibus debetur, respectu, reliquum est ut divitum, quibus injuncta est, habitâ ratione, pariter ordinetur. Placet autem istuc ad capita omninò quinque revocare, ne abutar patientiâ hac vestrâ.

Prima lex esto: largire Eleemosynam de bonis propriis ac tuis, non de alienis, ut fit quotidie; non de malè partis, & quæ conscientiam gravant. Injustitiam quippe Deus horret; etiam in sacrificiis & holocaustis detestatur. *Odio habens rapinam in holocausto.* Largiri pauperibus ex alieno, inquit Chrysost. est furti nostri conscium & participem Deum facere velle. Cùm sit Eleemosyna, auctore Paulo, velut hostia, quæ Deum nobis propitium reddit, *talibus enim hostiis promeretur Deus*; offerre illam nos oportet putam ab omni parte, neque Eleemosynam cum restitutione unquam confundere. Sunt enim hæc duo valde, ac necessariò, distincta, nec potest Eleemosyna restitutionem supplere, nisi si forte hæc sita non fuerit in nostrâ potestate. *Isai. 61.* *Hebr. 13.*

Altera lex esto: quæ pauperibus ex justitia debentur, prius reddantur, quàm quæ ex mera charitate; est enim Eleemosyna nonnulla, christiani Auditores, quæ justitiæ pars est quædam. Cùm dissolvitur, verbi

bi causâ, quod pauperibus debetur; quod reposcit famulus pauper, opifex pauper, mercator pauper, aut dives quidem ille, sed qui è divite fit pauper, ob dilatam diu solutionem. Jubet autem divina lex, huic Eleemosynæ generi primum tribui locum, ab eâque ordiendum necessariò. Sedenim fateamur istuc necesse est, Auditores, divitibus hodie multis non sapit hæc morum doctrina, neque auditur admodum libenter. Scitis quid fieri soleat. Mercator ille, opifex ille, qui instat & urget parumper, arcetur ut molestus & odiosus interpellator, jubetur bene sperare annos integros, & post multas dilationes, per quas sunt fortassis res ejus penè fractæ, quod est partum jure quàm optimo, ægrè illi datur, ac velut indebita res, & quæ gratiæ datoris sit apponenda. Quot eò adducuntur occulto etiam privatæ cujusdam utilitatis studio, quod hîc non expendimus, dum rationem suam nummariam videri volunt angustiorem, & clam hominibus esse rerum suarum statum; quamquam non id assequuntur illi ut sit clam Deo. Ut ut est, non sine causâ istuc attingo. Ac tametsi plura his non addam, est qui, aut quid dicam, aut quid velim, satis intelligat.

Tertia lex esto: Eleemosynæ non temerè projiciantur ac fortuito; sed modo tribuantur & ratione. Alioqui malè illas

sæpe

sæpe collocaveris. Alter accipit, quoniam illum tibi sors objecit. Alter excluditur, quoniam vestigare hominem, quoniam nosse curæ non fuit. At fortasse poterat is, cujus inopiam levas, carere tali levamento; eique quem repellis, nihil non desit fortasse, & est ad summas egestatis angustias adductus.

Quarta lex esto: Tribuantur eleemosynæ palam, cùm palam est, esse te prædivitem, & in magnâ vivere rerum abundantia. Quamobrem? ut bono aliis exemplo præluceas. Ut observes Christi præceptum; *luceat lux vestra coram hominicus, ut videant opera vestra bona.* Annon enim publicæ offensionis ansam præbent atque scandali, divites quidam, quos nescias, an, & ubi pauperibus subveniant? ad eos non pertinet illa Christi sententia; *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Falsa in iis hæc fuerit humilitas.

*Matth, 5.*

*Matth. 6.*

Quinta ac postrema lex esto: dentur eleemosynæ, quo tempore conferre illæ ad salutem possunt, non expectato mortis, aut etiam mortem subsequente tempore. Atque hoc ipsum est, ad quod pro rei gravitate non possum vos satis adhortari. Cujus enim valoris ac meriti fuerint apud Deum eleemosynæ in extremo spiritu datæ? quem ex iis fructum percipiatis comparandum cum eo, qui, dum vita manet, percipia-

cipiatur? an amorem Deo tuum satis significas, si cum ipso bona partiris, quæ possidere amplius non potes; quæ mors rapit; quæ jam non sunt propriè tua. Vulgò dicitur, multa dedit ille moriens; nihil dedit, inquio ego; at reliquit, & reliquit id unum, quod retinere, & quia retinere non poterat. Servavit illud ad supremum usque tempus, ac, si auferre secum potuisset, non Deo, non pauperibus quidquam fuisset ex eo sperandum. Etverò, quò et eleemosynæ illæ omnes? quæ commoda ex illis expectanda? est enim Catholicum dogma, christiani Auditores, eleemosynas vestras omnes nihil conferre ad salutem posse post interitum vestrum. Possunt quidem animam levare flammæ lustralis pœnis, at sunt, obitâ morte, opera, quoad salutem, supervacanea; quoniam de salute vestrâ jam est actum. Lata sententia est, nec ullus superest appellationi locus. Attamen in eo maxima, quoad vos divites, vis eleemosynæ posita est, ut ad salutem vestram conducat. Si dives ille pauperibus partem ipse bonorum largitus esset vivus, quæ in morte testamento legavit, saluti utique fuissent illa; potentissima gratiarum impetrassent auxilia; orassent pro eo, quemadmodum sacræ litteræ loquuntur; neque enim tam dicendi sunt orare pro nobis pauperes, quàm eleemosynæ ipsæ. Con-

clude

*clude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te.* Oret pauper nec ne, semper sine eo orat eleemosyna: at frustra post mortem oret illa conversionem tuam, cùm nulli jam sit conversioni locus. Frustra divinam tibi misericordiam imploret, cum præteritum erit misericordiæ tempus. Quid inde consequitur? insigne illud Pauli documentum *dum tempus habemus, operemur bonum.* Si Deum, si nos metipsi diligimus, dum tempus suppetit, bonis operibus insistamus. Non quod improbem quæ fiunt in morte, & ab iis avertere vos velim. Sit procul à me tam aliena mens. Sanctior erat mos ille veterum christianorum, qui Christum scribebant hæredem, vocabantque in bonorum suorum partem, quàm ut à me damnetur. At meminerimus longè gravioris esse ponderis opera pia, quæ à sanis & valentibus fieri possunt. En tempus, christiani Auditores, quo tempore majorem gratiarum copiam effundit in vos Deus, potentioraque vobis præbet ad agendam pœnitentiam adjumenta. Valet autem maximè ad flectendum Numen sequestros adhibere, qui vestram causam agant, qui interponant sese, & ad conversionis salutisque vestræ opus perficiendum, illum impellant. Mirum videri solet, cùm repentè redeunt in viam homines quidam flagitiosi; cum impii, abdicatis vitiis, Deo

Eccleſiaſt. 29.

Gal. 6.

se penitus dedunt; cùm cæci, & in suis obfirmati flagitiis, resipiscunt tandem, monitisque cælestibus docile præbent pectus; cùm depositâ nequitiâ vetere, ceu quodam miraculo, sancto demum exitu, vitam, flagitiosè ac dissolutè traductam, finiunt. Mihi verò res mira non accedit, si modò pauperes, benignos in se ac misericordes, eos Senserè. Implentur nimirum scripturarum oracula; id spopondit Christus servator; is eleemosynæ promissus fructus. Patranda sunt eam in rem miracula; at eleemosynæ sua merces ut constet, Deo miracula sunt in promptu. Remittat is necesse est sua jura: jam fulmen librantem manum sustineat: verùm eleemosyna divinæ justitiæ, si fas ita loqui, vim affert; &, cùm est è re vel pauperis, vel, bene de eo meriti, divitis, nullum est tam legitimum, nullum tam Deo charum jus quod non ille remittat libens. *Non vidi justum derelictum,* *Psal. 36.* aiebat olim Regius Vates; affirmare ego possum, non vidisse me ullum divitem, benignum in pauperes ac misericordem, in quo non se ostenderent certi quidam gratiæ cælestis effectus, qui me summâ jucunditate perfunderent. Contrà verò divites illos avaros, duros, immisericordes, vulgare est, christianæ fidei exortes, exleges vivere; consenescere in vitiorum cœno, peccatisque suis tandem immori absque

que ullo pœnitentiæ sensu. Quoniam secundùm legem illam latam à Deo, *judicium sine misericordiâ ei qui non facit misericordiam.* Prævertamus, christiani Auditores, judicium tam formidabile: exsuscitemus omnes in nobis christianæ charitatis sensus; & frequentibus eleemosynis; paremus amicos, qui ad *cælestia tabernacula* aditum nobis aperiant; Amen. *Jacoc. 2.* *Luc. 16.*



# IN DOMINICA PRIORIS HEBDOMADÆ CONCIO.

*DE TENTATIONIBUS.*

Ductus est JEsu sin desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm jejunâsset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit. *Matth.* 4.

REX CHRISTIANISSIME,

NEmini profectò non mirum videri debet, Dei filium, qui, ut ait Joannes Apostolus, in *hoc apparuit, ut dissolvat opera Diaboli*, vim ejus omnem sentire nihilominus, hostilésque inferni tentatoris incursus sustinere voluisse. Verùm causas ob quator, easque graves, ut animadvertit Augustinus, &

*Jon. Ep. 1. 3.*

& ſumptas omnes à nobis ipſis, eó Chriſtus ſe ipſe demiſit. Fragiles eramus atque imbecilles, & tentationibus ſuſtinendis non ſat idonei; fragilitatem voluit & imbecillitatem noſtram firmare. Timidi eramus & imbelles, timidis voluit & imbellibus animos addere. Inconſulti eramus ac temerarii; facere voluit prudentes & circumſpectos. Rudes eramus & ſacræ militiæ prorſus ignari; docere voluit, qua ratione & modo communis mortalium noſtis debellari poſſit. Hoc autem ipſum eſt quod egregiè præſtat in hodiernâ cum dæmone luctatione. Nam, ex Gregorii mente verbísque ipſis, tentationes noſtras ſuis tentationibus vincendo, longè fortiores nos reddidit, quemadmodum & id, obeundâ morte, perfecit, ut mortis noſtræ frangeret aculeos, acerbitatémque omnem mitigaret. *Juſtum quippe erat, ut tentatus noſtras tentationes ſuis vinceret; quemadmodum mortem noſtram venerat ſuâ morte ſuperare.* Fecit ut animoſiores eſſemus & audaciores, tali exemplo timidum pectus ſtimulante. Nihil quippe magis pungere & excitare nos debet ad pugnam, quàm Chriſti ſummi Pontificis noſtri, *per omnia*, ut Paulus Apoſtolus loquitur, *tentati*, propoſitum nobis exemplum. Fecit, ut vigilantiores eſſemus & cautiores, cùm ſecurum à metu neminem eſſe oportere

*Greg. hom. 16. in Evan.*

*Hebr. 4.*

oſtendit, cùm non ſit ipſe Chriſtus Servator idem & Deus, ancipitis belli ac pugnæ immunis. Denique ſcientiores nos fecit & peritiores, cùm armis inſtruxit, queis tuenda ſalus noſtra eſt, & ſpiritualis hujus militiæ leges omnes præſcripſit. In eo, regi ſapientiſſimo ſimilis, qui imperii ſui hoſtes ut repellat, & conjuratas acies diſturbet ac diſſipet, non ſatis habens milites colligere, mandare gerenda, exercitibus ipſe ſe ſuis ducem præbet, præſentiâ firmat, ſapientiâ regit, bellicum ardorem injicit fortitudine, obicibúsque nullis, nullis periculis impetum ejus tardantibus!, certæ victoriæ eſt illis ſemper & obſes & pignus. Quod ſi terreni regis exemplum tantùm valet, quod eſtis toties experti, quid non valeat ſupremi Regis exemplum? ſanè gravius tractari à me argumentum non poteſt hoc loco, & attentione veſtrâ dignius. Ex præceptionibus autem illis excellentiſſimis, quas hodierna continet Evangelij lectio, circa modum & rationem, qua tentationibus obſiſtere nos oportet, duas potiſſimùm ſeligo, in quibus, ut naſcuntur & cadunt ex ipſo ſacro textu, hærere conſtituí. Altera, cæleſtem hunc Magiſtrum, non ſecedere in deſertum, ubi & tentarur, niſi divini ſpiritûs inſtinctu. *Ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur.* Altera, non tentari eundem, niſi poſteaquam je-

ju-

junii & corporeæ castigationis armis se ipse muniit & instruxit. *Et cùm jejunâsset 40. diebus & 40. noctibus, accessit tentator.* Ex his consectaria duo deducentur valde utilia ac necessaria. Divinam opem per Virginem Deiparam prius implorare nos oportet. *Ave Maria.*

Ut ut est à Deo statutum in secretiore sapientiæ suæ consilio, circa illam cælestium auxiliorum præparationem, quam Augustinus prædestinationem appellat, tria sunt aperta, & ex fidei christianæ principiis fixa & rata; ad vincendam scilicet tentationem, gratiæ cælestis auxilium necessarium esse; tentationem esse nullam, quam vincere gratia non valeat; Deum denique, datam ut liberet fidem, tentationis æstu jactatos, nunquam non gratiæ suæ præsidio tutari nos ac confirmare. Absque gratiæ cælestis auxilio vinci tentatio non potest: est illud constitutum adversus Pelagii errorem. Vinci autem cùm dico, victoriam illam sanctam intelligo, de qua Apostolus his verbis; *qui legitimè certaverit.* Victoriam, quæ est spiritûs christiani fructus, quæ Deo grata est & accepta, ob quam beari hominem oportet in cælo. Tentationem enim aliâ vincere tentatione, vitium vitio, peccatum peccato, vindictæ, v.g., appetitum, utilitate, voluptate utilitatem, voluptatem ambitione, hominis est victoria illa mun- *2. Timo. 2.*

dani, nec est divinæ gratiæ ullâ ex parte ascribenda. Atenim tentationes illas omnes, ipsúmque adeò mundum, mundíque regnatorem vincere Dei causâ, hoc ipsum est quod gratiæ, quod fidei nostræ debe-
1. Joa. 5. tur. *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides vestra.*

Addidi tentationem nullam esse, quam non superet gratiæ cælestis auxilium; & est gravissimum aliud fidei dogma, cujus Joannes probationem affert sanè luculentam, cùm ait; *vicistis eum*, tartareum vi-
1. Joa. 4. delicet mundi principem; *quoniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo.*

Igitur Deo injuriam is faciat: qui tentationem insuperabilem putet, dicátque (quod dicitur tamen tam crebrò,) non possum huic cupiditati obsistere, relinquere pravam hanc consuetudinem, cohibere hanc & illam animi propensionem; est ejusmodi sermo, ex Bernardi mente, infidelis potius, quàm hominis infirmi. Quid ita? quoniam cùm ita loquimur, aut solas vires nostras attendimus, & eo sensu enuntiatum verum est; at infideles sumus, qui vires nostras à Dei viribus seiungamus; aut adesse ponimus divinæ gratiæ auxilium, & eo sensu, non falsa solùm, sed & hæretica est propositio; quoniam fides docet, cælesti nos auxilio subnixos, nihil non posse.

posse. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

At, urgente tentatione, sempérne suppetit auxilium illud cæleste? hoc ipsum nunc exponi à me debet, & concioni nostræ veluti substernendum; in quo animis vestris nulla difficultatum ambage implicatis, nullâ offensionis ansâ cuiquam datâ, affirmare ausim, quidquid inest in quæstione de divinæ gratiæ auxiliis gravissimum, enucleandum à me & explicandum esse.

Sic est, Auditores christiani, ídque fides etiam docet; non permittit unquam Deus ut supra vires nostras tentemur. *Fidelis Deus qui non patietur tentari vos supra id quod potestis.* 1. Cor. 10. Est autem hæ potestas per gratiam tantùm. Non deest igitur illa quantùm est in Deo, non solùm ut vincatur, sed ut sit etiam fructuosa tentatio. *Sed faciet cum tentatione proventum.* Ibid. Ita Apostolus. Qua de re nihil est quod dubitemus, ni Deum nobis fingere libeat nullâ providentiâ, misericordia nullâ præditum. Quamquam ita se res habet, est tamen error non minus hodie vulgaris, qui & in hominum plerumque moribus ac vita se prodit; auxilia videlicet illa, qualia, quando, & quoties volumus, semper nobis præsto esse. Quo ex errore cùm pernicioſa multa consequantur, eo liberare vos, operæ non leve pretium duxerim. Ut vo-

bis aperiam quid velim, universum tentationum genus bifariam divido. Aliæ voluntariæ sunt, in quas sponte nos immittimus, contra Dei mandatum. Aliæ, quibus implicamur & irretimur conditionis nostræ necessitate quadam ac veluti fato. Aio, in prima tentationum specie expectandum nobis non esse, ut à Deo, ni ex occasione nos subducimus, adjuvemur; in idque non sperandum certamini, sed fugæ necessarium nobis auxilium; atque hoc primum erit concionis hujus caput. In altera tentationis specie, contendo necessarium certamini auxilium frustra nobis datum iri, ni constitutum habeamus certare fortiter, & quemadmodum ipse Christus, carnem castigando. Hoc alterum erit concionis hujus caput. Habet utraque solida, vitæ cum virtute degendæ, præcepta.

PARS I.

QUæcumque causa necessitatem nobis afferat vitam periculis objiciendi, constat, idque in primâ fundatum est charitatis, quam nobis ipsi debemus, lege, fas esse numquam, animæ salutem in discrimen adducere. Eandem autem in discrimen adduci liquet, atque adeò peccari à nobis, quoties in tentationis periculum sponte nos ac temerè projicimus. Mentem meam planam facio. Nemo homo est, qui in se & extra se, non habeat quosdam tentationum

num fontes, qui sint illius proprii. In se cupiditates & vitia. Extra se objecta quædam & occasiones cavendas ac vitandas illi privatim, & sunt ipsi totidem peccati invitamenta. Rectè enim de tentatione dicatur, quod de gratiâ dixit Apostolus, *ut divisiones gratiarum sunt*, quæ ab uno & eodem sanctitatis spiritu proficiscuntur, & queis Deus, qui *operatur in nobis*, ad conversionem ac salutem nostram utitur, quamquam diversè, ita multiplex esse ac diversum tentationum genus, quas nobis tentator objicit ad perniciē ruinamque nostram. Sat nota cuique est pars illa debilior animæ, qua nos sæpius adoritur; acsi paulùm circumspicimus nos metipsi, facilè discernimus non tentationem mòdò, quæ prævalet in nobis, sed & ipsa, quæ gravioremnobis illam reddunt, adjuncta. Nam, ut animadvertit Chrysostomus, quod est uni casûs & prolapsionis causa, fieri potest ut non sit alteri periculosum. Quin & sunt, quos, cùm nulla turbent, aut impellant quantumvis gravia scelerum offendicula, res perlevis. pro præsenti mentis affectione, labefactet, ac posternat. Hoc qui scit, nec se periculo subtrahit, in tentationem, me auctore, se immittit volens, contra Dei mandatum. Contendo autem, christiano tunc non expectanda gratiarum auxilia parata à Deo ad pugnandum, ad tentationem

1. Cor. 12.

1. Thes. 2.

su-

ſuperandam. Contendo, non poſtulare illa à Deo quaſi pro ſuo jure, imò ne expectare quidem poſſe. Longius progredior, addòque nihil hæſitans, Deo, ex ordinariæ providentiæ ſuæ ratione. conſtitutum, ea, ſi poſcat, omnino negare. Quid afferri à me poteſt efficacius, ad homines illos tam confidentes, errore cognito, in tutas chriſtianæ prudentiæ vias deducendos.

Ita prorſus eſt, Auditores chriſtiani; quisquis in tentatoris laqueos infert ſeſe temerè & contra Dei mandatum, expectare non debet illa gratiarum præſidia, quibus tegimur, quibus pugnamus, quibus, hoſtiles impetus ſuſtinemus. Etverò quo nomine ac titulo ea poſcat, aut expectet à Deo? juſtitiæ? non jam gratiæ, non jam Dei dona fuerint, ea ſi debeantur. Fidelitatis? nunquam ea Deus ſpopondit. Miſericordiæ? obſtat illi voluntariè nimiâ ſuâ confidentiâ, & divinam à ſe miſericordiam avertit. Igitur quandiu hærere certum eſt in eo ſtatu, divino præſidio illo & auxilio, quod, quaſi pro ſuo jure, ſibi vendicare poteſt, deſtitutus jacet. Gratiam illam dico, quam victricem Auguſtinus appellat, quoniam eâ, tentationem vincimus, adjutrice. Plus dico; non ſolùm gratia illa victrice confidere tunc homo non debet, ſed & habere pro certo, non affore gratiam illam.

illam. Quid ita? quoniam idipsum Deus testatur, nec est in sacris litteris quicquam, quod planius apertiúsque significetur; Deum, ut peccatoris temeritatem plectat, corruptis ejus desideriis illum permittere. Nec dicas, fidelem Deum esse, ejusdèmque fidelitatem, auctore Paulo, sitam in eo, ut non *patiatur supra id quod possumus*, *nos tentari.* Fateor, fidelem esse Deum. At duo sunt valde inter se disjuncta, non sinere nos tentari supra vires nostras, virésque Deum sufficere quas lubet, cùm nos ipsi in tentationis aleam sponte conjicimus. Aliud ex alio non sequitur; ac sine ullo fidelitatis suæ dispendio, gratiam illam Deus meritò neget, quam nullo jure nostro speramus. Fidelis in promissis Deus: at ubi, & quando gratiâ se suâ spopondit adjuturum eum, vexante tentatione, in quam is se prudens aç volens immisit? ut rectè, atque ex fidei principiis argumenteris, dicendum sit, vice versâ, & ita colligendum; fidelis Deus; certò futura sunt ejus promissa; igitur eum hominem deseret, qui se tentationi volens objicit; cum disertis istuc verbis significet & affirmet. Divinæ autem fidelitatis non minus interest impleri formidosum illud, *qui amat periculum, in illo peribit*, quàm lætam hanc & solatii plenam vocem, *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Sed ne in Dei mi-

1. Cor. 10.

Eccliſ. 3.

nis ac promissis diutius versetur oratio nostra, rem ipsam æstimare libet ex sese. Qui temerè & ultro in tentationis illecebras se conjicit, qui sciens prudénsque, tentationis fovet causam & invitamenta peccati, satin, verecundè divinam opem & roget & expectet? si ex gloriæ meæ studio, respondeat meritò Deus, si ex officij necessitate, si charitatis impulsu, si casu & fortuitò, in hunc scopulum incidisses, adessem haud dubiè periclitanti, vel si ad te tutandum, naturæ leges essent, edito miraculo, violandæ. Etverò cùm in ganeis olim ac lustris christianæ virgines exponebantur ad libidinem, aderat illis comes cælestis gratia. Cùm ex officio, regum ethnicorum aulas ac palatia ipsâ subibant prophetæ sanctissimi, aderat illis comes cælestis gratia. Cùm, divino monitu, relictâ eremo, latebrísque suis solitarij, in urbium dabant se frequentiam, ut corruptissimos homines ad obeundam pœnitentiam hortarentur, aderat & illis comes cælestis gratia. In illis & pro illis eadem gratia pugnabat. Inclytas eadem victorias reportabat, quoniam dux illis aderat, salutis ipsorum & tutor & obses Deus. Nihil erat quod metuerent. At nunc per catissas valde diversas, tutos ipsi vos traditis in ea cuncta, quibus nihil habet mundus magis periculosum vobis, & ad mores vestros depravandos magis accommodatum. At nunc

ut

ut obsecundetis naturæ propensioni, necessitudines colitis flagitiosas & impias, amicitias plenas offensionis & scandali; congressus, quorum licentiâ Angelis ipsis, si fas ita loqui, labem possint inferre. At nunc, seu pravâ dominante cupiditate, seu ex impotentia quadam, domi vestræ contagiosos homines perfertis, dæmones familiares ac domesticos, in id semper intentos, ut vos inficiant, ut venenum, quo sunt imbuti, in animos vestros spargant. At nunc, leviculæ vanæque voluptatis studio, concurritis ad spectacula, cœtus illos initis, qui mentibus possunt vestris maximè insanabiles plagas imponere. At nunc, ut detestandam expleatis curiositatem vestram. Nulli tam profani, nulli tam lascivi, nulli tam impij libri sunt, quos non pervolutetis indiscriminatim. At nunc, fœmina mundi legibus addicta, ex innatâ sexui tuo vanitate, amas & studes ostentare te ubique; laudari ubique; videre & videri; ornate cœtus omnes; dare te spectandam cum omni elaborati luxûs apparatu; atque ita cùm sis animata, Deum tibi præsidio fore confidis? ajo ego retracturum manum suam, nec prohibiturum quin prolabare; ac quamquam, consilijs omnino profanis, vitare detur fortassis quod, judice etiam mundo, flagitium est, non vitabis multos alios casus, qui minus oculos quidem feriant, sed non minorem

ani-

animæ peſtem importent. Ajo, gratiæ cæleſtis auxilia non eſſe præparata ad vos inibi fulciendos, & continendos à lapſu, nec aſſutura eadem, quandiu vos hærere continget in locis illis lubricis, quos dixi. Iſtuc affirmo ut longè certiſſimum axioma, quod & regulæ tres morum inſignes, experientia, ratio, fides validiſſimè confirmant. In eo vobis & mihi ſtandum: ad id mores vitaque omnis componenda. Hoc ſi verum eſt, inquit Bernardus, quod credere videri vultis, Deum ex ſe paratum ſemper & expeditum ad opem nobis ferendam, ad nos tuendos, ſeu, cum ſponte, & contra ejus mandatum, animam offerimus in diſcrimen, ſeu, cum imprudentes in ſtructas inſidias delabimur, næ ſancti omnes conſilijs, eâ ſuper re, uſi eſſent valde præpoſteris, cautionésque adhibuiſſent admodum inutiles; homines illi, vitæ ſanctimoniâ tam inſignes, qui nobis proponuntur ad imitandum; homines, inquam, illi in rerum cæleſtium ſtudio exercitatiſſimi, magno in errore verſati eſſent, ſi tentationes conſectanti, ſi excitanti de induſtriâ, ſi ſe in ijs amanti, peræque ac formidanti, & ab ijs refugienti, auxilium præſto eſt cæleſte. Fruſtra profectò mundo mundíque illecebris procul, ſacris receſſibus incluſi latebant atque abditi, ſi in quotidiano profanorum hominum uſu, eáque morum corruptelâ, æque certò Deus, & patrocinium

um ejus præpotens affuturum creditur. Quid erat quòd Hieronymus tantopere exhorresceret seculi pompam? cur ferebat tam molestè, quod & ipse testatur, vel solam Romæ recursantis imaginem? debuisset omissâ solitudine, repetere eosdem cœtus; reddere se, citra metum ullum, iisdem matronarum circulis. Cur experientissimus ille vitæ spiritalis magister, summus ille Ecclesiæ Doctor, vult sacram Virginem sibi interdicere certis quibusdam rebus, quæ in noxis vulgò non censentur; condictos dico furtivósque congressus, crebras concursationes salutandi & visendi causâ; tecta & ambigua verba; joculares, ac mysteriorum plenas litterulas; tenerioris amoris, & nascentis amicitiæ data familiariter indicia? cur hæc, inquam, omnia in flagitijs numerat? cur mala, quæ ex his solent consequi, formidare jubet Eustochium, si certo præsidio & remedio semper præsenti firmati imbecillitatem nostram non ignorat? denique cum in theatralem licentiam & spectacula studio tam acri Patres invehi videmus, cum vetare eadem ac prohibere, ex sponsione in baptismate factâ, dicendi essent profectò res verbis exaggerasse; tam vehementes illorum cohortationes in vanis essent eloquentiæ pigmentis, nec satis sobrijs Rhetorum declamationibus ponendæ. Sed de his sentite prout libido erit, Auditores; sanè dis-

ficile factu est, Patres omnes in errorem abductos; ac quoties conscientia, divinâque lex agetur, plus sanctorum, quàm mundi mundanorúmque omnium, apud me valebit auctoritas. Quippe & verba & vitam omnem ex divini spiritûs nutu & impulsu moderabantur; nec fuit, nec erit spiritus ille errori unquam obnoxius. Sed, ut res magis pateat, altè illa est & fonte ab ipso repetenda. Cur Deus gratiæ suæ donum homini illi negat, qui se ipse in tentationē immittit? quoniam videlicet ejusdem gratiæ honos agitur. Cujus rei rationem affert Tertullianus valde expeditam ac solidam. Alioqui enim gratiæ cælestis auxilium humanæ temeritatis fundamentum ac prætextus fiat. Accipite quid velit Tertullianus. Quantumvis munificus sit ac liberalis Deus, ita eum gratiæ suæ præsidia temperare decet, ut illorum dispensatio non sit nobis superbæ securitatis ac fiduciæ causa. Istuc liquet. Si sciam autem, in ipsis etiam tentationibus in quas me immitto contra Dei voluntatem, opem mihi certam Deum laturum esse, jam nullam cautionem adhibeam; jam mihi non opus sit Consilij, christianæque prudentiæ dono; quid ita? quoniam seu quæram, seu fugiam occasionem peccandi, æquè fortis & invictus fuero. Ita gratia, quæ me attentum & humilem debet reddere, socordem reddat necesse est ac superbum. Quid agit Deus?

Deus? cùm me occupatum videt errore in suam etiam sanctitatem tam injurioso, gratiæ me suæ præsidio nudat, atque adeò labem illam eluit, quæ ipsius providentiæ potest aspergi, licentiæ ac temeritati meæ paratum in eâ præsidium esse. Hoc ipsum egregiè Cyprianus significat his verbis, quæ diligenter à vobis observata velim. *Ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos faciat, non ut præcipites tueatur.* Quasi dicat, cavete existimetis, fratres, illud gratiæ cælestis robur, quo vinci tentatio in nobis, aut juvare nos debet ad vincendum, voluntati esse & arbitrio nostro permissum. Penes Deum sunt dona illa servatque; at quibus? christianis sapientibus ac providis, non cæcis, imprudentibus ac remissis. Quos ijs impertit? homines justos; qui suæ virtuti diffidunt; qui circumspiciunt se propius. At audaces illi, qui temerè semper & inconsultò feruntur, tantùm abest gratias ut accipiant sibi consultò selectas, ut eos pravis ipsorum desiderijs & cupiditatibus permittere, justitiæ genus quoddam arbitretur.

Quid enim agit christianus, cùm dominantis cupiditatis impulsu, tentationi non occurrit venienti? cognoscite. Dum sese agit in tentationem, Deum ipsum periclitatur ac tentat; quod flagitium est maximum, & ex Patrum Doctrinâ, primum violat Religionis officium idque directò. *Non tentabis* Matth. 4.

*tabis Dominum Deum tuum.* Plecti autem gravius non potest noxa illa, quàm si illius auctor à Deo deferatur. Ita eâ super re disputat Angelicus Doctor. Ex scripturâ, inquit ille, tribus modis tentari potest Deus. Primùm, cùm miraculum ab eo poscimus minimè necessarium. Sic Pharisæi illi de quibus Lucas. *Alij autem tentantes eum, signum de cælo quærebant.* Rogant, prodigium ut aliquod edat in aëre. Quamobrem? tentandi causâ. Deinde, cùm certos DEI potentiæ fines ponimus. Hócque ipsum est quod Juditha Bethuliæ civibus exprobrat, cùm obsessi ab Holofernis exercitu, de urbe jam dedenda victori cogitabant. *Qui estis vos qui tentatis Dominum? constituistis terminos miserationis ejus?* denique cum non agimus cum Deo bonâ fide, sincerè ac rectè. Ita Judæi illi, qui Christo Domino numisma offerunt, urgéntque ut pronuntiet, Cæsari pendere tributum oporteat nec ne. *Quid me tentatis hypocritæ?* en tres, ex D. Thoma, Deum tentandi modi. Qui autem tentationi sese objicit, cælesti gratia plus æquo confisus, fit triplicis hujus noxæ reus. Ac primò quidem miraculum haud necessarium poscit à Deo. Quid ita? quoniam cùm nihil ipse, quo se tueatur, agat, spem suam omnem in unius Dei præsidio reponit; &, cùm gratiâ non utatur, qua est instructus, eam, qua caret, otiosus à Deo &

*Luc. 11.*

*Judith. 8.*

*Matth. 22.*

de-

deſes expectat. Gratiâ qua fruitur, eſt gratia neceſſaria ad fugam, nec eâ utitur. Gratia, qua caret, eſt neceſſaria ad pugnam; confidens nihilominus Deum pugnaturum ſecum, offert ſe ultro in diſcrimen. Quid eſt omnia divinæ providentiæ decreta ſubvertere, aut ſubverſa velle, ſi hoc non eſt? poſtulat naturalis rerum ordo, ut occaſione decedat, quando eſt id in eo ſitum, nec placet decedere; ſed Deum adeſſe ſibi vult, atque ita firmare præſidio non vulgari, ut non pereat. An non miraculum, idque omnium maximè inutile, ſibi poſcit? ſi Sodomâ juſſus egredi Lotus, celerique fuga ſe proripere, noluiſſet impijs mœnibus pedem efferre, ſed obſtinatus tentare fortunam & caſum urbis, Deum oraſſet, uti ſe, per miraculum, ultrices inter flammas incolumem ſervaret, qua putatis aure precationem hanc excepturum fuiſſe Deum? qua par eſſet eam excipi? atqui ſic vivimus, Auditores chriſtiani; volumus in locis, in quibus impurus ignis latè graſſatur, peculari Numinis beneficio, eo nos non afflari. Volumus adire, audire, videre omnia, vocari in rerum omnium partem, Deíque ſcuto tegente nos, nullis telis penetrabiles eſſe. Sedenim reducturus in ordinem & ſuperbiam noſtram compreſſurus, meritò dicat Deus quod olim Loto: *nec ſtes in omni circa regione.* Effuge nefandis urbibus, & circum poſitâ regione. *Gen. 19.*

Omitte commercium illud, quo tui mores depravantur, *nec ſtes.* Neceſſitudinem illam, quæ tibi exitio eſt, abrumpe, *nec ſtes.* Huic ludo, qui & fortunis, & animæ tuæ certam perniciem affert, nuntium remitte, *nec ſtes.* Exi, fuge, & fuge citò. Nullum à me miraculum expecta. Per me jam non ſtabit quin pereas, ni ſapienti promptáque fugâ malum impendens prævertas, *nec ſtes in omni circa regione.*

Et verò cùm Chriſtus, ex tentatoris voluntate, citra periculum ullum, è Templi poſſet faſtigio dejicere ſe in terram, atque ita ſuperbum hoſtem, non ſine ignominiâ, fugare, ſatis habet opponere verbum illud, *non tentabis Dominum Deum tuum.* Quid ita? mirum iſtuc videri non debet, inquit Auguſtinus; quoniam communis ille mortalium hoſtis, *non omnipotentiâ Dei, ſed hominis erat juſtitiâ ſuperandus.* Ut Patres eâ de re loquuntur, redolere nonnihil credas pelagianum dogma; ſed ſanæ ſunt & Catholicæ ſententiæ eorum omnes, quoniam non gratiam ipſam, ſed gratiæ miraculum excludunt. Atque hoc ipſum eſt, quod ſanctos omnes ad ſe & facta ſua omnia tam attentos, tam timidos, tamque circumſpectos fecit. Nos verò, quibus videlicet DEI conſilia magis perſpecta ſunt quàm ipſimet Deo, in fiducia longius provehimur. Ne dubita, inquit *ſpiritus mendax, mitte te deorſum.*

*Matth. 4.*

*3. Reg. 22. Matth. 4.*

*orsum.* Mitte te audacter hanc in abyssum. Da te in illius hominis consuetudinem; arctius stringe hujus necessitudinis vincula. *Angelis suis Deus mandavit de te, & custodient te in omnibus viis tuis.* Ita nos affatur, & sumus illi dicto audientes. Animum nobis inducimus, Angelos nobis auxilio venturos, hoc est, cælestia gratiarum auxilia in nos affatim demittenda. Tum abscindimus rerum omnium respectum, ut majore confidentia vias ineamus maximè periculosas; cúmque respondere nos oporteat cum Christo, non periclitabere Dei uti potentiam, *non tentabis*, alea nulla est, quam non subeamus haud cunctanter; volumus Deum facere nostrâ causâ, quod Filij causâ non fecit; miraculum poscimus, quod sibi ipse, ut sic dicam, negavit. Neque hoc satis est. Quo tempore peccator temerarius ac præfidens, Dei potentiæ periculum facit, eò progreditur, ut & ejusdem misericordiam periclitari audeat: non eam quidem, ut Sacerdotes Bethuliani, certis finibus includendo, sed ultra constitutos à Deo terminos proferendo. Hæc enim misericordia, inquit Augustinus, ijs unis debetur, in quos tentatio desævit non voluntaria: & eam illorum etiam esse volumus, qui tentatori aditum aperiunt, qui eo familiariter utuntur, qui eum retinent, qui eum fovent. Quasi sint penes nos gratiæ cælestis auxilia, & ijs *Psal. 90.*

uti liceat noſtro arbitratu. Ecqui autem ſumus, res nobis ut tanta permittatur? *qui eſtis vos, qui tentatis Dominum?*

Judith. 8.

Denique fictè Deum & ſimulatè tentamus, cùm ejus auxilium imploramus, ſæviente tentatione, qua tamen ut liberemur metuimus; quam excutere nolumus. Meritò nobis Deus dixerit, quod Phariſæis olim Chriſtus; *quid me tentatis hypocritæ?* rem enim unam oramus, ſed ore tenus, dum aliam optamus. Petimus, tentatorem ut repellat à nobis, & ad eum ultrò, & contra ejus mandatum, accedimus. Dicimus, habe, Domine, imbecillitatis noſtræ rationem, nósque dæmonis violentiæ, ex ejuſdem inſidijs ac laqueis actutum eripe. Attamen, quæ fœda eſt noſtri nobiſcum pugna, tentatoris in noſmetipſos partes agimus; exercemus in noſmetipſi, ut præclarè Gregorius Magnus loquitur, præcipuum ac fatale illius miniſterium. Quid eſt fictè ac ſimulatè agere cum Deo, quid eſt eidem inſultare, ſi hoc non eſt? en, chriſtiani Auditores, ſinite enim moralem hanc doctrinam aptare me vobis præcipuè, en quod excuſationem nunquam habeat apud Deum. Cùm flagitia vobis veſtra exprobrantur, excuſatis conditionis veſtræ ſortem; contenditis, Aulam, in qua vivendum vobis eſt, omnibus tentationum procellis obnoxiam regionem eſſe, tentationum, inquam, quæ nec vitari, nec

Matth. 22.

vin-

vinci ullâ ratione queant. Ita loqui soletis. Ita rejicitis in causas extraneas, quod vobis ipsis est tribuendum. Sed purgandus semel est Deus eâ in re, quæ tantopere ad ejus providentiam attinet. Vanum hunc prætextum convellendo, cogendi estis consuetum sermonem retexere, animique tandem vestri recognoscere pravitatem. Est Aula, fateor, tentationum sedes; tentationum, quæ caveri vix possint, tentationum, quibus vel fortissimi quique succumbant. Sed quibus? ijs videlicet, qui eò non sunt à Deo vocati; qui ibi ambitiosè nituntur ad altiora; qui eò per cuniculos clandestinásque molitiones sese inferunt: qui id spectant unum, ut terrestrem aliquam fortunam adipiscantur: qui in eâ hærent contra officij, contra professionis, contra conscientiæ leges. Est ijs Aula tentationum sedes, de quibus quæritur, quid ibi agant rerum; cur ibi commorentur; de quibus dicitur, hîc sunt, cùm istic esse oporteat. Uno verbo, est ijs Aula tentationum sedes, quos eò Dei *spiritus non duxit.* An *Matth. 4.* ea est ratio vestra? an ex eorum estis numero? in Aula, fateor, penè necesse est ut pereatis. Est illa rapidus torrens qui vos auferet; quî enim illi obsistatis absente à vobis Deo? at estis in Aula divinæ providentiæ ductu ac vocatu? tenetis ibi generis vestri gradum? receptum ibi munus persolvitis? eò ventitatis à Principe delecti? vos causa

ibi aliqua detinet, eáque neceſſaria? non jam tentationis genus eſt ullum quod vinci à vobis non poſſit. Fide enim conſtat, non parata ſolùm vobis à Deo auxilia ad eas ſuperandas, ſed & hæc eadem gratiarum auxilia parata vobis à Deo, ejus eſſe naturæ, ut vos in Aula etiam ipsâ ad chriſtianam ſanctimoniam promovere valeant. Igitur, ſi vos perire contigerit, Aulicas non debetis tentationes accuſare; ſed vosmetipſos, ſed ignaviam & infidelitatem veſtram, quando & id admonent diſertis verbis ſacræ litterræ: *perditio tua, Iſraël.* Etverò nónne media in Aula, tentationibus nequicquam obſtantibus, excellentiſſimæ ſemper eluxêre virtutes? nónne victoriæ relatæ ibi ſunt glorioſiſſimæ? quot ibidem ad virtutem inſtituti mortales? quot & hodie inſtitui poſſint? in muneribus non laborioſis minus quàm ſplendidis, obſideri continuò hominibus avidis, tectis, pravâ ſemper aliquâ cupiditate concitatis; dies noctésque aliorum controverſias dirimere; omnium querimonijs patientes aures admovere; mandare; conſultare; deliberare; publica negotia gerere; hæc & alia multa, Dei causâ, ex Dei ſuſcepta voluntate, non ſatis ſint ad vitæ ſanctimoniam maximè inſignem adipiſcendam? ſed qui ſit mali hujus plerumque fons, cognoſcite. Nimirum in Aula, ubi vos detinet officij religio, ſæpe procurritis ultra offi-

*Oſe.* 13.

officij fines. Etverò an in officijs ponitis tot animi vestri contentiones, tot coitiones ac fœdera clandestina, in quæ vos immittitis; tot consilia, quæ cogitatione informatis? tot ægritudines quibus vosmetipsi conficitis? tot discordias ac lites, quas in vos concitatis? tot animi motus, queis vosmet absumitis? tot curiosa & inania, quibus vos pascitis? tot negotia, in quæ vos ingeritis? tot oblectamenta, quæ conquiritis? addamus & quiddam magis proprium ac peculiare, & eo in argumento aliquantisper commoremur. In officijs numeratis hanc & illam conjunctionem, cujus vinculum est sola cupiditas à vobis utique frangenda? versari assiduè cum eâ personâ, à qua, cùm animus eò & naturæ ferat propensio, vobis utique sit discedendum. At nequeo. Nequis? ego verò sic statuo, quisquis ita loquitur, (absit verbo invidia) *spiritui sancto* mentiri, & cæ- *Act. 5.*
lesti gratiæ contumeliam facere. Vultis à me convinci, & ita convinci, nihil ut pateat supereſſe, quod licentia & impietas opponat. Non id ago, christiani Auditores, pudorem vobis ut imponam, sed ut fratres, quorum salus mihi vitâ meâ antiquior esse debet, fraternè doceam. *Non ut confundam vos.* Favet temporis opportunitas, & animi vestri præsens affectio: certum est illâ, Deo ad id ipsum incitante, abuti. Argumentum ea suppediat vividum, forte, vobis in- *1. Cor. 4.*

ex-

expectatum, & quod satis sit ad damnationem vestram, si causam ex eo non arripitis in salutis semitam redeundi. Attendite, & in vos metipsi sedete judices.

Sunt inter vos, atque utinam non major sit eorum numerus, sunt inter vos hoc ipso tempore, certis quibusdam vitiis ac peccatis ita dediti, ut desperent vincula, quibus tenentur, posse unquam abrumpi. Qui nunc petat, ut, salutis æternæ studio, discedant ab hac & illa persona, petatis, si iis fides, quod fieri nulla ratione possit. At divortium illud erit ne supra vires & potestatem vestram, cùm primùm ad arma vocabunt jussa Principis, cujus obedire & parere voluntati, honoris omnes loco ponimus. Testor illos ipsos. Estne vel unus in iis, qui ut fidem præstet & obsequium suum, non jam sit ad proficiscendum paratus, & ad id quod amat deserendum? ad primos belli rumores pro se quisque dat militiæ nomen, ac profectionem adornat. Nulla vincula tam arcta, quæ eum teneant; nulla sejunctio, quam sibi facilè non imperet, cujus tædia certum illi non sit tolerare. Istuc si revocem in dubium, offendam vos utique, &, cum ponitur à me pro certo, commendari vos creditis, & habetis gratiam. Non confero jam quæ à vobis mundana lex exigit, cum iis quæ præcipit lex divina. Scio, cùm mundanæ legi

legi obedientes eritis, amorem illum non ejiciendum imo pectore; quem Deo tamen dari oporteat. Et sanè quidem æquum est, Deum discerni à terrestribus dynastis: plus illi, quàm his tribui. Hoc unum inde colligo, Deo vos injuriam facere, cùm situm dicitis in vobis non esse, ut illius consuetudine careatis, quæ est vobis certa flagitii causa; ut saltem ad tempus, & vos ipsos periclitandi gratiâ, damnosum fugiatis conspectum. Etenim an vos illa morabitur, cùm vocabit ad se militatis gloria? qua celerirate concurretis, imò advolabitis ad primum, qui & honori habebitur, Principis nutum? an vita dignus judicetur, quisquis hæsitet parumper? an prodire deinceps audeat in publicam mundi lucem? non ille ludus fiat & fabula? fateamur quod res est, Auditores christiani, nimis homines imminuêre divina jura, imò nimis abiecêre. Est hominibus obsequendum? impedimenta nulla sunt, quæ non superentur: officia nulla quæ non deserantur; atque id meritò, quoniam ita fieri vult lex divina. At, si Dei ipsius agitur gloria, nihil non obstaculo est; nullæ non occurrunt difficultates, nec satis est ad eas superandas animi. Vel ii ipsi, ad quos attinet obsistere huic malo, quantumvis divinæ gloriæ studio flagrent, vanis coloribus fucum sibi fieri patiuntur, imò in iis inveniendis ingenioſi

sunt,

sunt; quo doctrinæ suæ rigorem temperent. Auditur ab iis homo mundanus; probantur ejus rationes: laudantur: indulgetur: comperendinatur. Occasio, quamquam proxima: non jam ei voluntaria esse dicitur, cùm eam omittere non potest salvâ existimatione suâ. Quin & eo judice, quantumlibet corrupto, decernitur, num reipsa veniat in discrimen existimationis, atque ita veniat, ut hominis existimatione Dei gloria præponderetur. Pronunciatur fas ei esse commorari eâ in occasione, aut cogi non posse, dimittere illam, si fieri id non potest honestè; res permittitur ejusdem arbitrio, aut potius cupiditati, & vitioso ipsius amori. Ea cuncta conquiruntur argumenta, quæ favere ei quodammodò possunt, ne videlicet absterreatur. Quid multa? hominis errori datur auctoritas: alitur libido: in æternam utriusque perniciem consilium vertit. Eò enim semper redeo quod primo loco proposui; frustra sperare nos gratiam necessariam ad pugnandum & obsistendum tentationi, cùm voluntaria illa est, & est situm in nobis ut fugiamus. Quin & frustra etiam detur gratia illa necessaria ad pugnandum in tentationibus necessariis, ni parati reipsa simus ad pugnam ineundam. Quo autem modo? eo maximè quo Christus, voluntariâ videlicet carnis castigatione.

Ut

UT rectè intelligatur quod ſecundò loco propoſui, ponendum adhuc inſigne illud principium, in quo humanæ prædeſtinationis myſterium omne quodammodo vertitur, & concionis hujus initio jam evolui magnâ ex parte; at multò dignius cogitatum videatur & expreſſum validius his Cypriani verbis: *ordine ſuo, non noſtro arbitrio, virtus ſpiritûs ſancti miniſtratur.* Senſus eſt, auxilia gratiæ cæleſtis, non ex electione noſtrâ, multò minus ex arbitrio & voluntatis inclinatione pendére; ſed dari certo ordine præſtituto divinitus, ex quo nii temperentur, inutilia ſint illa prorſus neceſſe eſt. PARS II.

Eo ex principio tria colligimus fuſa penè infinitè in morali doctrinâ, ex quibus ad vitæ noſtræ rationem accommodatis, conflatur & efficitur æquabile illud officiorum temperamentum, quæ nobis obſervanda ſunt, ſi divinis conſiliis reſpondere volumus, & ſaluti noſtræ proſpicere.

Prima concluſio. In tentationibus & periculis quibus nos objicit ſors hominis calamitoſa, objicit, inquam, invitos ac neceſſariò Deus, cujus fidelitas nunquam deſideratur, paratus ſemper eſt ad nos auxilio gratiæ ſuæ juvandos: at vult eâ nos uti, & pro ratione ſtatûs illius, ad quem vocavit, & pro ratione finis illius, ad quem eadem eſt nobis gratia conceſſa. Id enim-

enim propriè Cyprianus significat. *Ordine suo non nostro arbitrio.* Scitis autem, Auditores, nos, ut christianos, sanctam, sub Christo duce, militiam profiteri, nec esse quemquam ex nobis, qui hujus veluti characterem non præferat. Ex quo consequens est, vitam nostram omnem, quemadmodum sacræ litteræ significant, militiæ genus quoddam esse oportere. Pugnandum spiritui cum carne, rationi cum pravis cupiditatibus, fidei cum sensibus, interiori homini cum exteriori, nobis denique nobiscum ipsis. Ac si aspiramus ad veram christianorum gloriam, quæ in solidis est posita virtutibus, videtur Paulus magister ille insignis, ad eas nobis tradendas submissus à Deo, alias nullas agnoscere quàm veluti militares. Metaphoram enim adhibens, quam revereri nos oportet, quando auctorem habet Deum ipsum, vult fidem in clypeum, justitiam in loricam, spem in galeam nobis cedere, sexcentis epistolarum locis admonens, arma illa spiritualia nobis induenda.

Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei.* Iis utendum nobis esse; quod ni fiat, bona illa omnia, quæ aut possidemus, aut possidere nobis videmur, nihil esse aliud, quàm mendax boni simulachrum. En status noster. Quid agit Deus? gratiarum auxilia nobis præparat ad statum illum accommodata. Gerendum nobis est bellum difficile, periculosum;

sum: non dat auxilia pacifica, ut olim Adamo; neque enim illa nobis conveniant; sed auxilia ad certandum, ad tuendum, ad oppugnandum, ad resistendum necessaria; quoniam hæc sola nobis congruunt. Sunt tentationes velut assultus & impetus quidam dæmoniŝ; dantur ad eos repellendos illa gratiarum præsidia. Igitur qui gratiâ cælesti confidens, paratus non est ad resistendum, ad certandum, seipsum obliviscitur, gratiæ genus sibi promittit commentitium & inane: omnibus Dei consiliis obnititur. Is est tamen admodum vulgaris error, atque utinam non noster. Gratiarum volumus auxilia, quæ nos in periculis omnibus tutos præstent, sed nullo labore parta. Gratiarum auxilia, quibus non interpellatur vitæ mollis & otiosæ dulcedo; cùm Deus ea esse velit, quæ nos impellant ad agendum, quæ laboriosæ & assiduæ exercitationi nos addicant. *Ordine suo, non nostro arbitrio, virtus spiritûs sancti ministratur.* Vitæ mollioris otium quæritur. Hoc sibi vel pietate in mediâ, tot homines pii ac religiosi proponunt; eò contentis studiis feruntur, amore sui ipsorum vitioso fucum ipsis faciente. Atqui ego, inquit Christus, vitam illam umbratilem, delicatam & actionis expertem non agnosco; cùm nihil doctrinæ sit meæ magis contrarium, & iis solis, qui vim inferunt sibi ipsi,

Regnum cæleſte promiſerim. Eo enim conſilio pugnam ipſe, ut dux & anteſignanus veſter, non ſubterfugi; ac pro pace bellum intuli in orbem terrarum. *Non veni pacem mittere ſed gladium.* Quod argumento eſt, eòque aperto, in diſcipulis ſuis nolle niſi magnanimos, indefeſſos, ad victorias cumulandas inſtructos & expeditos. Quieſcitur in cælo: certatur in terris. *Non veni pacem mittere ſed gladium.* *Marc. 16.*

Altera concluſio. Prima diſciplinæ militaris lex jubet, opes hoſtis debilitari ac frangi. Si enim patcis, ſi indulges, ſi non tractas hoſtiliter, tibi ipſe certam perniciem & exitium moliris. Quis eſt autem hoſtis, inquam, potentiſſimus, quem gratia debellandum habeat in nobis? caro videlicet noſtra, fateamur illud neceſſe eſt, ni cæcare noſmetipſi volumus; caro illa peccatrix, quæ nihil præter prava deſideria concipit; caro illa, concupiſcentiæ ſemper ancillans; caro illa, in divinam legem ſemper contumax. En, Apoſtolo Jacobo auctore, maximè formidandus hoſtis, & à quo frequentius impellimur ad peccandum. *Unusquisque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ.* *Jacob. 1.* Eò magis metuendus hoſtis, quòd nobis magis intimus, & eſt aliqua pars noſtri, eò magis metuendus hoſtis, quòd eſt inſitus à naturâ illius amor. Eò magis invictus hoſtis, quòd nos non adoritur niſi blan-

blandiendo. Hic ille est, inquit Chrisostomus, subjiciendus, domandus hostis, Quâ autem viâ? voluntario corporis cruciatu, si gratiam volumus de tentatore triumphare. Aio enim, christianum hominem, qui vexationis hujus spontaneæ usum nullum habet, qui carnem curat molliter, qui voluptate, qui cunctis vitæ commodis illam afficit; qui cum eâ semper conspirans, indulget illi ac fovet in omnibus, fidénsque gratiâ cælesti, animum inducit, sufficere illam ad salutem, ignorare eam profectò, nec primis Religionis, quam profitetur, rudimentis esse imbutum. Quid ita? quoniam prima, Bernardo judice, gratiæ cælestis actio, qua firmari christanus debet, & salus ejus in tuto poni, sita est in eo, ut concupiscentiam extinguat, carnem macerando. Longè tamen hac doctrinâ discrepat ratio tua, christiane mollis, & in sensus imos demerse. Vires addis illi & robur, ne dum debilitas ac frangis: auxiliaris illi, ne dum resecas, queis præpollet. Quid multa? cùm adjuvandâ sit gratia adversus tentationis illecebras, tentationem adjuvas contra gratiam ipsam; hanc per illam evertis. Igitur nihil est quod speres, fore ut gratia superior evadat; nisi si duo postules, quæ pugnant inter se; ut gratia & concupiscentia simul in te dominentur. Aut, ut Deus, singulari miraculo, gratia-

rum ſuppeditet auxilia, queis, carne non ſubacta, ſpiritus vincat. Atenim ſemper meminiſſe vos oportet, non hominis arbitrio & voluntate, cæleſtia dona diſpenſari, ſed ex ſapienti & certâ ſupremi Numinis diſpenſatione. *Ordine ſuo, non noſtro arbitrio, virtus Spiritûs ſancti miniſtatur.*

Etverò qua ratione ſancti omnes tentationibus obtêre? quæ ſtratagemata, quas artes adhibuere? voluntariam carnis afflictationem. An non eâ mente ſanctiſſimus propheta cilicium horrens induebat, cùm inter aulicas delicias, regalémque pompam, profanæ cogitationes obſtreperent, & invitum traherent ad prava. *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent induebar cilicio.* Non eam in rem Paulus Apoſtolus durum exercebat imperium in corpus, aſſiduæque ſubjiciebat ſervituti? *caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* Quid? num & alia apud nos, quàm apud Apoſtolum cæleſtis gratiæ forma? ineſt ne nobis promptior quàm Davidi ſpiritus, aut rationi magis obediens caro? aliæne nobis tenduntur inſidiæ? aliane nobis ineunda certamina; aut ſumus fortiores tot eremorum cultoribus, Deo ſingulariter dilectis? nemo in iis unus, qui, ſemota carnis maceratione, gratiæ robore confiderit. Sejuncta tamen carnis afflictatione, quid dico? dum vitam exigimus jucundam, facilem, commodam, imò

*Pſal. 34.*

*1. Cor. 9.*

imò voluptariam ac mollem, nihil non audemus sperare nobis atque spondere? non putat Hieronymus, infinitâ meritorum congerie gravis, esse se resistendo, ni Deo corpus mactet; nos confidimus futurum, ut cunctis mundi illecebris, violentissimísque dæmonis contatibus obsistamus, corporibus nostris vitioso nostri ipsorum amori penitus mancipati-. Hilariones & Antonii, viri illi planè cælestes, au velut terrestes Angeli, vigiliis, inediâ, cæterísque austerioris disciplinæ laboribus conficiunt se generosè: quamobrem? quoniam artem aliam non norunt, qua fœdæ restinguantur cupiditatis ignes, & nefaria ejus tela repellantur; nos confidimus fore, ut illam prorsus extinguamus, ea cuncta supeditando, quæ ad eam retinendam vel maximè conducunt. Joannes Baptista, in ipso penè conceptu, sanctitate donatus, qui & meritò dixerit secum velut natam gratiam esse, eâdem non miritur, nisi quantùm eam, aut potius, quantùm per eam, & cum eâ se exercet in perfectissimæ abnegationis operibus; nos in peccato concepti, peccatis obruti, gratiæ cælestis præsidio, victorias nullâ pugnâ partas, pugnas citra vim ullam, sanctitatem, citra pœnitentiam ullam, aut pœnitentiam citra ullam corporis afflictionem nobis spondemus. Verum enimvero, concludit Hie-

ronymus, si res ita se habeat, non vitæ modò sanctissimi præcursoris, sed & eorum omnium qui ejus vestigiis insistêre, risu potius, quàm admiratione præconiisque nostris sit digna. *Si ita esset, an non ridenda potius, quàm prædicanda esset vita Joannis!*

Ita ratiocinabantur Patres illi vetustissimi, quos Deus in salutis semitâ duces nobis esse voluit. Mirum igitur videri non debet, christianos, *secundùm carnem*, ut Apostolus Paulus loquitur, *ambulantes*, crucis Christi, & ejusdem *mortificationis* inimicos, ingruente tentatione, animo esse tam debili. Ne quærite, cur obsistant illi tam rarò: cur tam sæpe succumbant; cur tam difficilè resurgant post lapsum. Sunt hæc utique tribuenda delicatiori eorum & molliori vitæ rationi. Ac si videas homines corporis sui amantes plus æquo, nec obsequi tamen pravis concupiscentiæ motibus. inter maxima gratiæ miracula istuc meritò numerare licet. Nusquam mihi persuasero, ajebat Tertullianus christianos alloquens sæviente Tyrannide, nusquam mihi persuasero, carnem in voluptatis altam sinu, eam esse, ut cum cruciatibus, atque adeò cum ipsâ nece, congredi possit atque luctari. Quantumcumque ardorem & impetum in Dei causâ, suaque fide tuendâ christianus præferat, semper diffidam, aut potius desperabo fieri posse, ut exquisitus-

*Rom. 8.*
*1. Cor. 4.*

simas epularum delicias, ut vestium mollitiem, ut pedestris & equestris comitatus fastum, cum carcerum pœdore, cum rotarum & equuleorum tormentis unquam commutet. Atletam oportet, ut pugnæ sit idoneus, ad palæstræ disciplinam se exercuerit longa voluptatum, quæ sensus titillant, abdicatione, constantique durissimorum laborum patientia. His enim vires parantur. Haud aliter christianus, venturus in arenam illam, in quam sua illum vocat Religio, seipsum prius periclitari ac probare debuit dura corporis vexatione, quæ illum paraverit ad quælibet, idque animo imperterrito, perpetienda. Quod autem Tertullianus ait de persecutionibus, quæ fuêre velut publicæ & exteriores Ecclesiæ tentationes, merito jure de interioribus christiani cujusque, privatisque, tentationibus dixero. Debent illa superari gratiæ cælestis auxilio. At frustra confidimus, gratiæ quantumvis potentis adminiculo superandas illas esse, ni carnem, quod fons & principium illarum est, domitam habeamus; & ea de re quisquis judicat secus, in errore versatur & aberrat. At, in quo sita est illa carnis maceratio? ad quid illa ex mundanorum hominum usu revocatur? hæc quarta est & postrema conclusio. Ne postuletis ah! christiani Auditores, vobis ut ostendam in quo apud mundanos homines

consistat virtutis hujus exercitatio, cùm vix nota sit illis, cùm despicatui habeatur, cùm ab ea nemo eorum non adhorreat. Verùm quamcunque illius speciem sibi illi fingant, manebit semper oraculum illud Apostoli, *Galat. 5.* *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Ut ut erit ea de re eorum sententia; manebit semper, conditionem esse nullam, in qua necessaria non sit illa carnis crucifixio, quoniam nullà est non proposita tentationi. Quantumvis refugiant illi ab eo fatendo, ex sola flagitiorum experientia, agnoscant necesse est vel ingratiis, Dynastas, Principes, divites, ea carnis mortificatione magis indigere, quoniam tentationum procellis, iisque violentissimis, nulli sunt magis obnoxii. Quæcumque tandem eorum mentes occupaverit opinio, certè confitebuntur, quò quis tentationi magis expositus est, eò magis ea mortificationis lege teneri. Si essemus Religione præditi, quam postulat à nobis Christus, regulæ illæ, quæ in Evangelio continentur, satis superque, quamquam generales, officii nos nostri commonefacerent. At quoniam pravus nostri ipsorum amor dominatur in nobis, &, quæ summa est nostra in nos indulgentia, vix unquam adducimur, levissimam ut pœnam ipsi nobis injungamus. Quid agit Ecclesia? mandatum illud generale privato definit ac restrin-

restringit, hoc est, quadragesimæ jejunio; hinc nostram imbecillitatem, inde nostram necessitatem attendens; veteres Patriarchas, sed multò magis exemplum Christi sequuta; utens concessa sibi à Deo potestate, leges ad filiorum suorum institutionem condendi; confidens, si tanto tenemur carnem nostram macerandi studio, quantùm satis est ad vincendam tentationem, non modò nihil præceptum illud nimis rigidi habiturum, sed & ultra præscriptos ab eo fines progressuros nos esse; quoniam infinitis in locis experiemur, ad appetitionum nostrarum extinguendum ignem satis illud non esse. In sacro illo jejunio instituendo, hoc spectavit Ecclesia. Quid autem postmodum contigit? malum invectum est nunquam satis deplorandum, quando tot mortalibus præbet occasionem peccandi. Cùm salutari illo instituto dominatum in nos suum dæmon & caro debilitari sentirent, illud ut abolerent, vim omnem adhibuêre. Mandatum hoc apertè opugnarunt hæretici. Ab aliis jus, factum ab aliis est in controversiam vocatum. Contenderunt illi, legem ejusmodi cùm nobis imposuit, legitimæ potestatis fines egressam Ecclesiam esse; quasi ei Christus auctoritatis illam suæ hæredem ac depositariam instituens, non dixerit *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Agnovere hi potestatem *Matt. 16. 19.*

tem Ecclesiæ, sed negarunt præfractè, latam unquam ab eâ legem, & illâ nos astrinxisse; quasi non aperta sit traditio, & ante secula duodecim non sit eum in modum loquutus Augustinus, *in aliis temporibus jejunare consilium est, in quadragesimâ, jejunare præceptum.* Quot etiam Catholici impii, & planè Religionis inanes, insurrexêre in tam utilem, tamque firmo fundamento nixam praxim, non jus, non factum disceptando, sed utrumque contemnendo, præceptum ipsum constanter, & impunitate offensionis & scandali plenissimâ, violando, non colore, non velo ullo inobedientiam illam suam obtegentes; quid dico, & an sunt pro Catholicis agnoscendi? an sunt honestandi titulo, quem inhonestant, quo se indignos reddunt, cùm jubeat Christus, inter Ethnicos, inter extraneos ac profanos homines eos habere. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* *Matth. 18.*

Denique in paucis his fidelibus, qui Ecclesiam observant, & videntur scitis & decretis ipsius subjecti, quot solenne illud præceptum attentare audent, & quibus modis? falsis interpretamentis, quæ favent vitiosæ ac corruptæ naturæ. Fictis causis, à necessitate, si Deo placet, petitis, quas & mollities sola suggerit. Vanis immunitatibus, quas, aut impetrant, aut largiuntur

giuntur ſibimetipſi. Vanas dixi immunitates, atque ut intelligatis quàm verè, tria mala, quèis infici ſolent, dum ea monſtro, notare vos velim. Ac primùm videntur immunitates illæ certis conditionibus, non perſonis ipſis vulgò attribui; quod argumento eſt, eóque apertiſſimo, neceſſitati eas non dari. Etverò nónne mirum eſt, ſtatim ut quis, aſpirante votis fortunâ, ſtatum eſt adeptus amplum & honeſtum, nullâ jam, ſi ipſum audias, jejunij lege teneri. Abundare ex eo excuſationibus, quæ eum moleſto levent onere; ex eo deficere vires, nec per corporis conſtitutionem, nec per valetudinem licere jam quod factum ab eo eſt, & faceret in mediocri fortuna, intra clauſtra monaſtica, aut vitæ rationem amplexus ad Evangelicas leges magis exactam. Deinde qui ſe jejunij lege magis immunes putant, ijs ipſis multò facilior eſt ejuſdem obſervatio: divites illos dico, qui circumfluunt & abundant rerum omnium copia; quibus ad vitæ commoditatem ac jucunditatem nihil deficit. Amplius dico, atque hoc tertium eſt ex notandis. Qui fictam imbecillitatem magis excuſant, majorem ſibi vim ipſos inferre neceſſe eſt, ad jejunii legem ſervandam, quoniam majores inediæ fructus capere ij poſſunt. Quoniam enim ſunt hi vulgò? homines ſceleribus non ſolùm obruti, ob quæ pœnas habent Deo dependendas, ſed &

lon-

longa peccandi consuetudine constricti, atque adeò iterandis lapsibus, à quibus cavendum est inposterum, magis proni. Homines mundo impensius addicti, infinitis negotiis, per vitæ conditionem, impliciti; quorum oculis objiciuntur innumeræ res, quæ sunt peccati totidem illis invitamenta. Homines palatini, quos Aulæ strepitus, varii-que motus, quos mores & placita, quos clandestinæ artes & curæ, quos mollitia, quos voluptates ejusdem ac pompæ nobilitas in maximè periculosas occasiones immittunt. Fœminæ juniores, tot vesanis circumsessæ amatoribus, qui eis adulantur, qui laudes, ac penè divinum cultum tribuunt, qui sermones, qui blanditias adhibent, qui assiduè cum iis versantur, hoc est, qui earumdem pudicitiam attentant, qui fatales nectunt laqueos, queis improvidæ mentes capi se atque irretiri facilè nimis permittunt. Hi, inquam, omnes peculiari ac propria jejunii lege tenentur, nec sunt tamen, qui se ea magis immunes existiment. Jejunium amandant ad septa monachorum. Atenim si apud monachos jejunii lex magis viget, non est iis utique magis necessaria. Quamobrem? quoniam aliunde secessus, & quotidiana vitæ religiosæ exercitia, tutos magis à periculis eos præstant.

Ah! memineritis, christiani Auditores, tentationem nunquam à vobis superandam, quan-

quandiu carni obsequentes eritis, nec comprimetis inordinatos ejus motus & appetitus. Memineritis, in divina lege nullum à Deo poni conditionum aut ordinum discrimen: aut, si ponitur, non vestrum, aut statûs vestri respectu, ad laxandam, sed ad restringendam potius legem, discrimen poni. Memineritis, vos eodem, quo reliqui, baptismo tinctos esse; ac, quò vos altius fortuna supra mortales cæteros evexit, eò plures vobis hostes superandos; eò scopulos plures vitandos; proindéque, quo locupletiores estis, & excelsiore positi loco, eò magis animæ vestræ vobis metuendum, ac connitendum, ut sit illa in tuto. Præter jejunium & pœnitentiam, Dei verbum & opera pia eam in rem conferte. Dei verbum, quando divinam hanc sementem, unde lux & vires à vobis petendæ, spargunt hac sacra tempestate Christi ministri majore studio. Opera pia, quoniam adest tempus, quo fervorem Ecclesia suum intendit, aut potius in eam incumbit curam, ut fidelium fervorem omnem excusciter. His fidei armis instructi, vivetis salutis securi; frustráque obnitente, quantumvis dolosa ac subtili tentatione, frustra recurrente sæpius tentationis molestia, vim & violentiam suam omnem dæmone frustra adhibente, tenebitis Domini vias, quæ & cælestem ad gloriam vobis aditum tandem apetient. Amen.

IN

# IN FERIA SECUNDA PRIORIS HEBDOMADÆ

# CONCIO.

## DE JUDICIO EXTREMO.

Cùm venerit Filius hominis in majestate suâ, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes. *Matth.* 25.

GEminos agnoscimus Christi Domini adventus, nobis ab Ecclesia propositos, ut fidei nostræ capita duo gravissima, in quibus & religio omnis christiana vertitur. Venit quippe ad nos Deus ille idem & homo, cùm carnem assumpsit, rursúmque veniet, mortales omnes suum ad tribunal vocaturus. Primo in adventu, humani generis servato-

vatorem agit : judicem aget in altero. In illo, naturam induit patibilem & fluxam : in hoc, apparebit ſolio ſuſſultus, & redivivi corporis ac beati ſplendore veſtitus. Cùm primùm prodiit in publicam hominum lucem, ore prodiit, amabile quiddam, & manſuetudinem ſpirante ; *ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Matth. 21. Cùm deſcendet iterum in terras, dabit ſe ſpectandum vultu ſummè terrifico, manúque non brutum fulmen librante. *Ecce dies Domini terribilis.* Joël. 2. Denique mortales artus poſtquam circumdedit ſibi, credas, inquit Chryſoſt. hebetatum *humanitate*, planéque extinctum divinitatis ſplendorem ; cùm ſedebit pro tribunali, omnes humanitatis ærumnas & incommoda ; divinitatis abſorpta ſplendore, nemo non exiſtimet. *Cùm venerit in majeſtate ſuâ, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.*

De formidoloſo illo adventu, verba apud vos hodie facturus, chriſtiani Auditores, terrorémque illius injecturus, quà poſſum, non refixa cælo ſydera, non defectionem ſolis ac lunæ, non terrarum omnium deflagrationem, non illam confuſionem elementorum, quæ novum rebus, æternúmque chaos inducet, animis veſtris ſubjiciam. Pro monſtris illis ac ſignis cæleſtibus, quæ naturam omnem attonitam habebunt, & aderunt tantùm ſub ſeculorum omnium finem, ſimpliciora, præſentiora, & naturæ magis conſentanea,

tanea, atque adeò ad animos permovendos magis accommodata, vobis exhibere constitui. Volo æstimari à vobis divini judicij severitatem, ex judiciorum quorundam, quæ tantopere extimescitis, & sunt vobis quotidie subeunda, severitate. Volo testimonijs vos vestris convincere, nec alias adhibere probationes, quàm quotidianos vestros sensus. Est argumentum hoc concionis planè insolens ac novum. Sed habebit, opinor, quod vos afficiat, quod vos moveat. Virgo sanctissima, cum summa illa dies venerit, cælesti vindictæ dies destinata, non jam fuerit tempus, auxilium tuum implorandi. At nunc & es commune peccatorum omnium perfugium, certissimáque salutis nostræ tutela. Eam ob causam, opem tuam imploraturi, Angelicis te verbis salutamus. *Ave Maria.*

QUantacumque sit Deum inter & res creatas distantia, Deum tamen, & quæ sunt in Deo, aciémque nostram fugiunt, ex iis quæ cernimus, nemo est, auctore Apostolo, qui non agnoscat. *Invisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Hanc Pauli regulam sequutus, ajo ego, quantumcunque Dei inter se & hominum judicia distent, metienda illa his, scrutanda, introspicienda, nec cognoscenda modò, sed & metuenda esse judicia. Postu-

*Rom.* 1.

latis

latis à me, ut Apoſtoli quondam à Chriſto, formidoloſi hujus judicii præſagia quædam ac ſigna: *& quod ſignum adventûs tui?* Accipite duo, quæ & complectuntur ſummatim apud vos dicenda. Cenſuram videlicet hominum, quam ut caveamus non eſt in nobis poſitum. Cenſuram conſcientiæ propriæ, quam ut vitemus, non eſt in nobis poſitum. Judicia, quæ de nobis alii, judicia quæ de nobis ipſi pronunciamus. Judicia, quæ de nobis alii pronunciant, & cenſuram appello mundanam. Judicia, quæ de nobis ipſi pronunciamus, & propriæ conſcientiæ cenſuram appello. Planum facio quid velim. Conſtat nos à DEO judicandos aliquando, atque hoc ipſum Chriſto propoſitum erit in ſecundo ſuo adventu. Atenim non expectato illo Chriſti Servatoris adventu, & judicium in nos ſuum homines exercent, & judicium in nos ipſi noſtrum exercemus. Judicium in nos ſuum homines exercent; &, quanto illud opere formidemus, quis dicat? hoc primum eſto de divini judicii ſeveritate præjudicium, & primum concionis hodiernæ caput. In noſmetipſi judicium exercemus, &, an eſt quicquam, quo magis perturbemur, quàm illo conſcientiæ noſtræ judicio. Alterum de divini judicii ſeveritate præjudicium & concionis hodiernæ caput alterum. Igitur ex utroque illo judicio, externo ac *Matth. 24.*

domeſtico, conjecturam faciamus, Auditores chriſtiani, de ſummâ divini judicii ſeveritate; aut potius ex humani judicii metu, ex propriæ conſcientiæ laniatu, divinum judicium vereri diſcamus, atque, ut par eſt, formidare. Cuncta hæc locum aperient rebus, quarum commentatio, veram ſolidámque habebit utilitatem.

Hominum de nobis extimeſcimus judicia, &, quod amplam pudori, cogitationibúsque noſtris materiam ſuppeditet, non eorum ſolùm iniquitatem ac malignitatem, ſed multò etiam magis veritatem extimeſcimus; eorundem libertatem pati non poſſumus, ægrè ferimus ſinceritatem, exactam & rigidam ſeveritatem veremur; ac ſicubi inter ſeſe conveniunt illa in iis quæ famam noſtram inquinare, & vocare nos poſſint in odium, tunc enimverò eorum obruimur pondere, tunc ſummam eorum conſenſionem ſuſtinere non valemus. Ut paucis cuncta complectar quæ ſum primo loco dicturus, metuimus hominum cenſuram, & metuimus, quoniam ſæpe nimium æqua; quoniam libera; quoniam ſincera eſt; quoniam neſcit ignoſcere; quoniam dum paulatim creſcit ac manat, fit è privato publicum de nobis judicium. Habetis in his, chriſtiani Auditores, conjecturas totidémque aperta probationum genera, queis Deus animos veſtros ad illud ſubeundem parare

velle

velle videtur. Auſcultate dicenti, hincque quantum in vobis erit, & argumento, quod tractamus, & Religionis veſtræ ſanctitate digna colligite. Sæpe fit, ut quodam, ſi ſuperis placet, mentis robore, nobis ipſi perſuadeamus, negligere nos hominum ſermones ac judicia, blandaque felicis hujus libertatis cogitatione, quaſi eam tandem eſſemus adepti, nos paſcimus ipſi nonnunquam. Verumenimvero ſi tantillum excutimus & tentamus nos ipſi, ſtatim agnoſcimus quanto in errore verſemur. Quid multa? eſt in optatis cenſuram illam hominum contemnere, &, quantumvis eam contemnamus reipſa, aut contemnere videri velimus, ſatis ſentimus, non contemni, ſed metui. Hinc ægritudo illa & perturbatio animi, in quam incidimus, cùm nominatim petimur, & cenſuræ in nobis aculei defiguntur. Hinc tam graviter afflamur, pungimur, offendimur. Hinc vel leviſſima delatio, tam acres in nobis indignationis, iræ, vindictæ motus excitat. Quod argumento eſt, eóque aperto, illam de nobis hominum cenſuram, non uſquequaque à nobis contemni. Etverò ſi norimus nonnunquam, quæ ſit hominum de nobis opinio, quid ſentiant illi, quid loquantur inter ſeſe privatim, in ſummâ utique mœſtitiâ verſemur. Si, quo tempore tranquilla mens eſt, & nobis fortaſſe placemus ipſi vel maximè, oſten-

dat quiſpiam, quo loco, ac numero apud homines ſimus, ſatis hoc fuerit, ad nos dejiciendos de gradu, & longè acerbiſſimam ægritudinem movendam. Ita quies, & vitæ noſtræ tranquillitas omnis, pendet ex errore noſtro, & ex ignoratione opinionis, quam habent homines de nobis, de factis, de virtutibus noſtris. Dematur gratus error, è beatis erimus repente miſeri. Verè ergo dixerim, nos etiam invitos, hominum reprehenſionem vereri. Atque ita rem habere, inquit Chryſoſtomus, poſtulat divinæ providentiæ ratio. Quid ita? quoniam ut mittam cætera bona, quæ huic timori, quamquam humano, debentur accepta, aut potius ut mittã cætera mala quæ prohibent homines in officio continendo, ut mittã ſcelera, quæ committantur haud dubiè, ni timor ille, velut repagulum quoddam obſiſtat, ſaltem liquet, per eum aſſurgere nos ad divini judicii timore: per eum ſentire nos, per eum præcipere, ac cognoſcere divini judicii ſeveritatem. Nam, ſi aliqua, non dico Religionis, ſed rationis ſcintilla ſupereſt in nobis, ita ratiocinari, ita nobiſcum ipſos cogitare oportet. Si hominum de me judicia pungunt me tam graviter, quid faciat Deus ipſe Judex? ſi tantopere extimeſco cenſuram hominis, qualis ego ſum, imbecilli, quid, cum ſupremum illud Numen, infinito diſtans à me intervallo, vitæ meæ cenſuram peraget? ut ſim paulùm obtempe-

rans gratiæ cæleſti, ſervorem meum omnem, ſola hæc exſuſcitet cogitatio, Apoſtolíque Pauli cogat exemplo, timoris ac tremoris vitam degere non immunem. Scio, Paulum, nobilioribus actum momentis, cùm generoſæ fiduciæ plenus, in ea verba prorumperet; *mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer aut ab humano die.* 1. Cor. 4. At ſolius erat Apoſtoli, talis oratio. Præterquam quòd enim ſuâ ſe ſanctitate tuebatur, adverſus iniquas hominum ſententias, ut fuerat tertium ad cælum raptus, hauſerat ipſis in fontibus, fidei dogmata, atque adeò nihil neceſſe habebat, attendere ad humana judicia, ut divina animo penitus inſiderent. Nobis verò voluptariis hominibus, nobis fœdæ carnis mancipiis, nobis demerſis in terrena, mirum non eſt, opus eſſe eo adjumento; &, quoniam nobis proprium illud eſt, eo uti nos oportet, atque ita nobiſcum loqui. Sic eſt, magni mea refert cogitare, homines vitæ meæ cenſores eſſe. Magni mea refert non obliviſci, omnium oculos, quisquis ſum, aut, quidquid id eſt quod ago, in me eſſe conjectos; illos in me, quaſi pro jure ſuo, cenſuræ ſuæ aculeos emittere; magni mea refert meminiſſe, eâ cenſurâ tam crebrò commoveri me, turbari, pudefieri, frangi, abjici, quoniam hæc mihi ſunt monita totidem, quoniam hæc docent, quid mihi facto ſit opus, ut tutum me præſtem

ab ſupremo illo judice, qui me ſuum ad tribunal eſt vocaturus aliquando, & de ſalute meâ in omnem pronuntiaturus æternitatem. Si enim tantùm metuo judices illos terreſtres, quibus non ſum obnoxius, qui de me pronuntiant nullâ auctoritate, nullo ſuo jure; quid ſentire me par eſt de DEO judice, cuius ſanctitatem veneror, cuius potentiam ſummam formido; ac ſi mihimetipſe vim infero, ſi me factaque omnia circumſpicio tam diligenter, ut hominum judicia declinem, quid me facere oportet, quæ cura adhibenda, qua lege non temperanda vita omnis, ut ſupremi huius judicis, cuius *in manu ſortes meæ ſunt*, vultum ſubire ſecuro liceat, & rationes cum eo putare. Ita me ipſe inſtituo; ſalubribus his præceptis, ita me imbuo; ita à terrenis ad cæleſtia aſſurgo. Progrediamur, graviora multò & validiora dicturi.

*Pſal. 30.*

Quantumlibet vana ſint hominum judicia, non tam eorundem iniuſtitiam ac malignitatem, quàm veritatem extimeſcimus. Cur enim cenſoria illa & iniqua iudicia, cùm ad noſtram notitiam veniunt, tam graviter pungunt, aut pungi nos iis ipſi ſinimus? fateamur iſtuc ſincerè, quoniam videntur nobis nimis vera. Minus nos turbent, ſi ſint minus vera; prorſus negligantur, ſi ſint apertè falſa. Lædunt, quia ſunt nimis certa; quia nimiam in hominum

animis

animis fidem & inveniunt, & invenire debent; quia nihil ſuppetit quod iis opponamus. Etverò in judiciis omnibus apertè iniquis, quæ à prava animi cupiditate, quæ à vindictæ appetitu ſunt profecta, facilè abſolvimus noſmetipſi. Conſcientiam noſtram teſtamur & notam veritatem; ac præclaro utriuſque teſtimonio contra temeritatem & injuſtitiam ſuſtentamur. Ateſt cenſura quædam hominum æquorum, recta, incorrupta, integra: cenſura, quam, nulli tribuendam cupiditati, liquet. Cenſura, in qua inſignitæ quædam apparent veritatis notæ; cenſura, nemini non probata; atque hæc ipſa eſt, ad quam trepidamus, ad quam pallemus. Lucem his aliquam afferamus. Odimus, inquit Auguſtinus, non calumniam ſolùm, quæ nos falſo notat crimine, ſed veritatem ipſam, quæ coarguit; offendit nos, illa & exacerbat vehementius, quàm calumnia ipſa, quæ crimina nobis affingit. Habemus quippe unde obteratur calumnia, & proteruo ori pudor imponatur. At veritas, dum peccata convincit, nobismetipſis & pudorem imponit. Seneſcit calumnia paulatim, & diuturnitate vaneſcit. Veritas, quæ mores noſtros caſtigat, pulſis tenebris emerſa, ſeſe aperit in dies, ſimul & vitæ noſtræ opprobria, nec locum ullum defenſioni relinquit. Triſtis, divini judicii ſpecies & imago. Nam, quod ait Hieronymus,

in hocce judicio, non verenda judicis maiestas, non vis & potestas infinita, non splendor & amplitudo, sed eiusdem veritas terrorem nobis incutere debet. Veritas, inquam, illa, quæ in nos insurget, quæ accusabit, quæ convincet, quæ condemnabit, quæ nos mutos & elingues reddet. Non debilis illa mortalium, sed invicta, immota, irreprehensa, immortalis Dei veritas; veritas illa, quæ nec rejici, nec ambigi, nec eludi à quoquam possit. Uno verbo veritas illa, Deus meus, quæ ad solium tuum semper assistit, & eam ob rem *veritas tua* in sacris litteris appellatur. *Et veritas tua in circuitu tuo.* Hoc, enimvero, inquit Hieronymus, hoc mihi est unicè metuendum. Nam hominis veritas & judiciorum eius, quantumlibet firma sit & potens, infirmari à me fortasse, quantumvis aperta, videatur, obscurari à me fortasse possit, argutiis certè, multiplicique prætextu labefactari. At contra Dei veritatem quid agam? quid dicam ego peccator, ego vermis? è centum peccatis, quæ mihi illa obiiciet, ne unum quidem purgavero. *Si voluerim contendere cum eo, non potero ei respondere unum pro mille. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, pravum me comprobabit.* Extet in me cælestis huius justitiæ vestigium aliquod, aut radius, delebitur humana illa iustitia, evanescet, divinæ veritatis lumine collu-

*Psal. 88.*

*Job. 9.*

colluſtrata. Ah! Domine, Deus, concludit vir ſanctiſſimus, ah! Domine, cuius lux altiſſimas abyſſos ſcrutatur, cuius poteſtati nemo mortalis obſiſtat, quàm verenda, ſed quàm terribilis eſt veritas tua! eſt utique, chriſtiani Auditores, inter Dei & hominum veritatem diſcrimen ingens & multiplex; at divinæ veritatis eſt hoc maximè proprium, ac peculiare, quòd nos dum judicabit, os nobis occludet. Dum condemnabit, dum expellet & proiiciet à ſeſe, in miſeram dirámque neceſſitatem adducet, ut invitâ & coactâ iniuſtitiæ noſtræ confeſſione, latam in nos damnationis ſententiam comprobemus. Etverò veritatis tuæ ſolius eſt, Domine Deus, talę in homines imperium exercere. *Et veritas tua in circuitu tuo.* Revertamur ad hominum judicia.

Ut eorum veritatem metuimus, ferre non poſſumus licentiam. Cenſuram vellemus ſaltem revereri nos: vellemus moderatiorem in nos, aut magis timidam: nos Deus ut retineat in officio, liberam eam eſſe permittit & audacem. Fruſtra quippe nobis ipſi placeamus; fruſtra nos amemus, nunquam hominum iudicia coercebimus, nunquam linguas. Fruſtra ſperemus parcendum dignitati noſtræ: vel ſi celſiore ſimus in loco poſiti, nobis non parcetur. Quid dico? imò quò fuerimus altius evecti, eò ſæpe minus parcetur. Eâ loquendi libertate

fruſtra offendetur ſuperbia noſtra : acceptæ dolor iniuriæ foras erumpens, aut iracundus animi tumor, acrius punget obtrectatores, & excitabit ad vitam noſtram propius excutiendam. Fruſtra reperiemus cupiditatum noſtrarum fautores, homines abjectos, qui vitiis noſtris ultro blandiantur, ac plaudant; prout aperient ſeſe, coarguentur apertè vitia noſtra. Pro uno adulatore, cenſores Deus mille excitabit, quos offendent flagitia noſtra, nec de iis tacebunt. Pro uno qui veritatem tenebit captivam, & ſilentio premet, centum ora, non ſine dedecore & probro noſtro, vulgabunt. Quid autem hoc rei eſt, inquit Chryſoſtomus, niſi divini judicii ſpecies & forma? quid libertas, aut, ſi vultis, licentia illa, vel etiam mundanorum judiciorum impunitas, cui nemo in hac vitâ nos eximat, &, quod ſacræ litteræ teſtantur, vitari multò minus poteſt in morte; illa hominum cenſura, cui velimus nolimus, ſeu vivi, ſeu morti proximi, permittimur, quæ non generis, non dignitatis, non fortunæ rationem habet ullam, quid nobis, inquam, denuntiat præter Dei judicium, & quod in eo eſt fortaſſis tolerabile minus, magisque grave?

Volo rem planius & apertius explicare, Auditores; percipite, quæſo, diligenter quod ſum hoc loco poſiturus; habebit hæc hypotheſis unde animi veſtri afficiantur. Si

dum

dum verba apud vos facio, pectoris vestri tenebras supernæ lucis radio discutiente, pateant mihi quæ sunt in vobis magis intima & occulta; neque hoc satis est; si jubeat Deus exprobrare me vobis palam & in os, quæ sunt in vitâ vestrâ arcana magis ac magis pudenda; si dicat quod olim Ezechieli, *fode parietem*, & pro jure tibi à me *Ezech. 8.* concesso, omnes animarum latebras perscrutandi, atrociſſima quæque & maximè horrenda earum vulnera in aspectum lucémque profer: *Exalta vocem tuam*; quantùm *Psal. 58.* potes contende, nec eorum reveritus, qui tibi auscultant, amplitudinem, dic audacter quod eorum aures vel maximè reformidant; quod illis doleat vehementissimè; quod nunquam est illis auditum; quod nec sibi ipsi voce dixerint submissa, *& annuntia populo meo scelera eorum.* Si DEO jubenti obsequuturus ministerii mei jus & acceptam potestatem proferens eo usque, nullo sortis ac conditionis discrimine, ex hoc ipso suggestu patefaciam tot iniquitatis, imò tot ignominiæ mysteria; denique si pro traditâ divinitus auctoritate, ex his auditoribus meis aggrediar exagitare nonnullos, hominum opinione, honestos ac probos viros, at re quidem ipsâ vitiosos, & insigniter fortasse sceleratos; si eos designem nominatim, & criminum nescio quot infamiam subire cogam, criminum, inquam, pudendorum, *Ibid.*

quo-

quorum maculâ maneant inusti, ah! qui me ex illis nunc audit satis libenter, iræ ac doloris impatiens, honori suo superstes esse non sustineat. Atqui est istuc divini judicii, quo de loquor, imago quædam, & levis duntaxat umbra: judicii, cuius propria est absoluta, aut potius imperiosa libertas, qua Deus eos est damnaturus, qui nulli se judicio obnoxios arbitrantur; qua eos est reprehensurus qui nunquam fuerint reprehensi; qua se cunctis indiscriminatim, sed præsertim illis, Deum vindicem est ostensurus; *Deus ultionum Dominus.* Nam vel ob id ipsum, ait Psaltes Regius, *quod illius est vindicta*, Deus ultionum liberè aget, ac pro supremo imperio, hoc est, ut Deum decet; ut Deum decet, qui nullius habet rationem, qui superior omnibus, ut DEum decet qui in supremo judicio suo, nec habebit conditionum discrimina quæ custodiat, nec personas ullas queis indulgeat, quoniam eò veniet, ut iniurias sibi ab hominibus per conditionum abusus illatas, & fœda in illos vindicet obsequia; *Deus ultionum liberè egit.* Et vetò ipsi si credimus, eccui autem credamus præterquam illi? ut *Deus ultionum* in nobilitatem ipsam insurget, ne dum illius rationem habebit. Amplitudinem ipsam petet, ne dum respiciet; non quidem, subdit Chrysostomus, vanâ excellentiæ suæ, supremæque auctoritatis ostentatione, sed ne necessariò, atque ex rigidâ & inflexibili æ-

quitatis ſuæ normâ. Quamobrem? quoniam nobilitas & amplitudo, tametſi per ſe non malæ, peccato tamen vitiatæ, graviſſimis atrociſſimísque ſceleribus coopertæ reperientur. Ut *ultionum DEus* loquetur; mirum illud ſilentium quod ſervatum erit tam patienter, & quo humana improbitas ac malitia abuſa erit tandiu, erumpet tandem; *Pſal. 49.* *DEus noſter & non ſilebit. Audite ergo Re-* *Sap. 6.* *ges & intelligite*, inquit Regum ſapientiſſimus, imò DEus ipſe; judex ille è nullo alio pendens, liber ab omni lege, qui *in-* *Ibid.* *terrogabit opera veſtra*, qui ea perpendet ac notabit, qui exprobrabit facta à vobis injuſtè, non habet unde exhorreſcatis? ac non eam ipſam ob cauſam id vos admoneri permagni intereſt? nam ſi fides docet, judicium, illúdque rigidum, atque, ut ſcriptura *Ibid.* loquitur, *duriſſimum his qui præſunt* fore, non veſtra maximè intereſt, iſtuc revocari vobis in memoriam, aſſiduè cogitationi veſtræ ſubiici, continuâ commemoratione revocari; &, an eâ ſim in vos charitate, qua me inflammari & urgeri ſentio, ni munus illud obeam, eo ardore qui Evangelicum præconem, liberum, & incorruptum decet. Pergamus porrò.

Quoniam humani judicii libertatem metuimus ac veritatem, ejusdem non poſſumus ſinceritatem ac fidem ferre. Planius faciam, quod volo. Amicus fidus ac ſincerus, dum fidus ac ſincerus eſſe ſtudet, in

odium noſtrum incurrit. Fidum volumus, ſed fidum prudenter, ſed circumſpectè, ſed cautè ac cogitatè fidum. Sincerum volumus, ita tamen ut lineas non tranſeat. Quis amicum optaverit aliâ fide, aliâ ſinceritate prædituin? hoc eſt, ubi reperias, aut tam potentem ſui, aut tam demiſsè de ſe ſentientem, qui, ſuimet noſcendi ac perſpiciendi cupidus, amicum ferat fidum illum quidem, ſed prudentiæ expertem; amicum, cujus ingenuitas in ſimplicitatem degeneret ac moleſtiam. Amicus ita comparatus à naturâ, ni planè hebetes ſunt aures noſtræ, gravior nobis videatur & odioſior multò, quàm apertè inimicus. Nimirum fas eſt inimico fidem abrogare; ſi nos condemnat, poteſt vel anticipatæ de nobis opinioni, vel odio, vel invidiæ judicium aſcribi. At ab eo amico, cujus mens & conſilia, nec meritò damnentur, nec habeantur ſuſpecta, dictum quoddam ore plus ſatis veridico delapſum, eſt nobis inſtar fulminis, cujus ictu ſubitò percuſſi concidimus.

Iſtuc ad rem noſtram accommodemus, Auditores chriſtiani; fidos amicos volumus; at, aut jure aut injuriâ, partem fidei, quam exigimus, eſſe cenſemus, ut ipſos in nonnullis minus fidos experiamur. Volumus, cùm dicenda ſunt triſtia quædam, & auditu perquàm acerba, amici eſſe, quam-

quam

quam ſinceri, ea ut mitiget, ut condiat, ut velut integumentis quibuſdam involuat; ut animum præparet, ut commodum captet tempus, quo tempore veri nos patientiores nanciſcatur. Hæ ſunt humanæ ſocietatis leges. Diſcedet ab iis Deus, Auditores chriſtiani, ex aliis nos judicaturus legibus. Veritatem nobis oſtendet, non ullis mitigatam condimentis, ſuco non ullo perlitam, ſed nudam, ut eſt, & apertam, nullâ doloris ac mœſtitiæ ſuæ parte deſtitutam. Spectaculum triſte atque aſperum, quo & Deus odium illud plectet, imò pudendam illam veritatis impatientiam, ſicubi ſuperbiæ noſtræ advertatur; artes illas, queis eluditur, cùm quietis noſtræ dulcedinem moleſtè interpellat; illam in eâ ignoranda, dum habet unde nobis diſpliceat, pertinaciam. Spectaculum, quo Deus errores illos craſſos, in quibus vivimus, confutabit; longam illam noſtri oblivionem, quam fovet mendacium in nobis & aſſentatio. *Exiſtimaſti, inique, quòd ero tui ſimilis. arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Pſal. 49. Speraſti, inquiet Deus, ſunt hæc verba fulminea, ſperaſti, eóque veniſti dementiæ, ut crederes, fore, ut tecum veluti conſpirarem; ac quoniam cæcabas te ipſe libens ac volens, lumina illa quæ menti tuæ præferuntur, extinguendo, tam eſſem indulgens, ut cæcitati faverem

tuæ,

tuæ, nunquam oculos aperire cogens invitum; at in eo non ſat tibi notus fui. Nam cùm is ego ſim qui ſum, atque ut ſupremus hominum judex, non poſſim, non tibi, qui ſis, oſtendere, & ita oſtendere, ut nihil habeas quod opponas, arguam te, & æquâ judicii mei cenſurâ, fida, quæ rejeciſti, conſilia ſupplebo; ſanas admonitiones quas neglexiſti; ſalutares eorum reprehenſiones, qui id ſtudebant, pro muneris ſui ratione, ut te reducerent in viam, at quorum ſtudium animus tuus indocilis compeſcuit ac veluti reſtinxit. *Arguam te*, & quoniam hominum ſinceritate, tum ad emendationem, tum ad inſtitutionem tuam uti noluiſti, exponam & objiciam te tibi videndum, *& ſtatuam contra faciem tuam.* Neque iſtuc ſatis eſt, atque hoc præjudicium inexhauſtum, chriſtiani Auditores, mihi quiddam adhuc ſuppeditat magis utique notandum. Cur enim hominum judicia tantopere formidamus? quoniam illa ſcimus, addit Chryſoſtomus, hujus eſſe naturæ, nihil ut in iis nobis condonetur, nihil ut remittatur, ſummo ut nobiſcum jure agatur; qui rigor mirum quantùm nos angit. Homines volumus clementes & humanos judices præbere ſe nobis, nec attendentes, quo alios pacto tractemus, oblitique Evangelicæ huius ſententiæ, *in*

Matth. 7. *qua menſurâ menſi erimus remetiendum nobis*

*bis esse*; hoc est, eâdem ratione qua judicamus, nos judicandos à Deo (quæ lex vel in hac vita, inquit Augustinus, constantissimè servatur, dum alios judicamus summo, ac sæpè etiam plusquam summo jure, miramur, adeò sumus nostri amantes, ea in nos alios non esse, quam exigimus, clementia & benignitate, cujus defectu facilè intelligimus eorum judicia non posse nisi ad damnationem ignominiamque nostram evadere. Hinc tanta illorum formido. Agimur autem Dei spiritu, arguit Chrysostomus, imò, an rationem ipsam ducem sequimur, si inde non æstimamus judicium illud immisericorditer in nos olim exercendum.

Atque hoc est è catholicis dogmatibus unum, quod prima specie magis incredibile videatur, sed certissimum tamen est, judicium, inquam, illud veniæ ac misericordiæ prorsus expers. Ita de eo Oseam alloquens Deus. Justitiæ meæ, prophetà, nomen impone quod conveniat, quod declaret quid jam nunc, & quid futura illa sit aliquando. Ecquod, Domine, ponere me oportet? appella immisericordem; *voca nomen ejus absque misericordiâ.* At potest cadere in Deum justitiæ tam rigidæ genus; ac Deus, *cujus natura bonitas*, potest esse justus, quin idem sit & misericors? absolutè & per se is esse non potest, respon- Ose. 2.

det Auguſtinus ſed certo tempore & eſſe poteſt, quoad nos, & debet. Illum immiſericors juſtitia non decet, quandiu verſamur in terris; ſed decebit cùm venerit cæleſti vindictæ deſtinata dies, & reproborum detrimento, ille ipſe in ſuâ causâ & arbiter & judex ſibi quod ſuum eſt tribuet. Et verò in hac mortali vitâ & juſtitiam Deus exercet ſimul & miſericordiam. Miſericordia juſtitiam ſemper anteit, ut alteram ab alterâ nunquam videas ſejunctam. Miſericordia ſola ſæpius agit. Juſtitia nihil quod miſericordia non temperet. *Cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Cùm peccatis noſtris iratus exardeſces, Domine, Deus, memor eris, & patebit eſſe te *miſericordiarum Deum*; cùm ipſamet ira tua maximæ ſæpe ſit in miſericordiæ loco ponenda. Ita nunc ille. At in extremo ſuo judicio meram juſtitiam exercebit, penè ut ſolemus nos in apertiſſimos hoſtes. Fas mihi ſit, domine Deus, unam è ſanctiſſimis tuis proprietatibus, cum acerrimis cupiditatibus noſtris componere. Sumus adverſus inimicum & videri volumus, æquitate rigida, & quæ bonitatis nihil habeat admixtum. Tradit autem fides, nos à Deo haud aliter judicandos, & quod eſt duritas in nobis, ſanctitatem in eo fore. Judicium illud immiſericors, quod charitas vetat, & nobis crimini vertitur, judicium inquam

*Habac. 3.*

*2. Cor. 1.*

inquam illud, pars erit ipsius gloriæ non minima. *Judicium absque misericordiâ.* Absolvamus.

Nihil habet in se durius hominum censura & intolerabilius, quàm cùm est universalis, & è privato, fit publicum contra nos judicium. Liceat adhuc planiùs explicare quid velim. Famâ laborare inter paucos, malum quidem est, sed quod sustinemus, quoniam suppetit, unde famæ damna pensemus in aliorum multorum opinione, quæ, aut commodior est nobis, aut minus adversa. At cùm infamia vulgaris est, & omnium de nobis consentiens existimatio; cùm planè perdita fama est; cùm sumus bonis omnibus odiosi; cùm nemo jam audeat tueri partes nostras, cùm nos culpant moderatiores & saniores quique; cùm vel amici mussare coacti, plura silentio suo fatentur quàm aperti obtrectatores & adversarii nostri; ah! publica hæc insectatio, christiani Auditores, reprobationis genus est quoddam intolerandæ, & acerbioris multò, quam mors ipsa. Scio, animas esse humiles & illiberaliter abjectas, quas honoris cura modicè tangit; & nostis fortasse pudoris etiam omnis expertes. Scio, homines esse nequissimos, qui frontem & os ita perfricuêre, ut erubescere nesciant in re ullâ; at præterquam quod hi naturæ portenta quædam ac monstra videri debent,

nec venire in exemplum; præterquam quod nemo è vobis ita occaluiſſe velit, ita projeciſſe verecundiam omnem, famæ ut ſuæ jacturam non ſentiat, certè verum eſt, nihil minus patienter laturum vel audaciſſimum quemvis, quàm ſi in odium incurrat & execrationem publicam; quàm ſi vicini eum omnes contemnant, horreant, deteſtentur. Certè verum eſt, hominibus ingenuis & liberaliter educatis malorum hoc omnium cumulum fore. Nunc autem quantocunque contemptu laboremus, nunquam is plenus eſt, nunquam planè conſentiens. Amiſſa illorum exiſtimatione, manet integra horum exiſtimatio. Uni notum eſt flagitium noſtrum; at centum alii illud ignorant; centum alii non credunt; centum alii ignoſcant; centum alii excuſant. Videas in Aula contemptiſſimum, qui gratiâ & exiſtimatione alibi floret. Videas unâ in regione factum infamem, qui celſus in aliâ & erectus vagetur; nec eſt fama hominis tam lacera, tam dijecta, cujus velut reliquias generoſi quidam non colligant defenſores ac patroni. Nullum ad Dei tribunal peccatori perfugium erit: quoniam æternis ignibus cùm illum addicet, eodem illius horrore, quo erit imbutus, omnium animos perfundet; quoniam naturæ omnes intelligentiâ donatæ, Dei defenſione ſuſceptâ adverſus peccatorem, non eum ſolùm condemnabunt unà

cum Deo, sed & odio coniunctim prosequentur, sua ut his verbis fides constet, & *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Sap. 5.

Cùm reus nocens, capitali sententiâ, ad locum ducitur supplicio destinatum, imago quædam habetur, quamquam imperfecta, divinæ reprobationis; quoniam infamiâ notatus iuridiciali, eáque publicâ, spectari iam potest ut maledictis opprobriisque devotum caput. Eò progreditur vindex scelerum, & moderatrix officii curia. Quid fiet cùm Deus pro formidoloso illo sedebit tribunali, ad quod toto terrarum orbe sparsi mortales sunt vocandi; cùm reprobum proferet in medium, æterno eorum contemptui & execrationi mancipandum. Quid hoc mali sit non satis ah! percipimus, christiani Auditores; at rem esse oportet valde formidandam, cùm illius minas Deus ipse toties intonet apud prophetas, ídque consultò. *Ostendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* Nahum. 3. Qui fructus legendus ex dictis? accipite illum redactum ad praxim. Ut nos comparemus ad Dei judicium subeundum, vereamur hominum judicia. Mundus enim ipse, auctore Paulo, est aliquâ reverentiâ dignus, nec illâ unquam dignior, quàm cùm flagitia nostra reprehendit. Ita vitam instituamus, ut, si fieri potest, non metuenda sit nobis ipsius cen-

ſura; at ſimul meminerimus negligere illam fas nobis non eſſe; aut potius meminerimus, quantùm fas nobis eſt, hominum cenſuram contemnere, ſicubi nos à legitimis avertit officiis, tantùm illius, cum ad ea ſervanda nos impellit, rationem à nobis eſſe habendam. Ut nos comparemus ad DEI judicium ſubeundum, in hominum judiciis veritatem amemus, quæ mores emendat noſtros, non quæ vitiis blanditur; veritatem, quæ nos deprimit, non quæ extollit. Illa, quamquam amara atque acerba, nos ſanabit, nos ſervabit. Hæc, dum eâ abutemur, nos depravabit, nos perdet. Ne tam facilè mundum damnemus, cùm cenſuram in nos ſuam diſttingit. Mundus enim ille, quantùmvis profanus, æquus eſt judex; tribuit unicuique quod eſt ſuum, ac cùm mores palam improbat, vix fieri poteſt, quin reipſa ſimus improbandi. Ut nos comparemus ad Dei judicium ſubeundum, hominum in nobis judicandis licentiam, in rem noſtram vertamus. Eâ utamur, tanquam dato divinitus virtutis noſtræ præſidio. Percipiamus ex eâ fructum quem ſignificat Apoſtolus, præclarâ hac voce; *ſicut in die honeſtè ambulemus.* Ita vivamus, nullam ut demus malignis obtrectatoribus reprehenſionis anſam. Ut puri & integri Dei judicio ſiſtamur, amicum nobis paremus prudentem eundem ac fidum, ſed cuius

*Rom. 13.*

pru-

prudentia fidem non minuat. Eligamus illum è mille, si lubet; sed ad morum nostrorum emendationem, non vani tantùm solatii causâ. Impetremus ab eo, ut sincerè nobiscum agat ac bonâ fide. Faciamus intelligat, cæcum ab eo nos obsequium non expectare; imò nunquam illud obsequii genus placiturum animo nostro; ac quamquam ipsius in nos studium in inclementiam sensim degeneret, eius tamen inclementiam, quàm mollitiem nos malle.

Si sunt homines mundani severi in nos censores, ipsorum nos severitas ac censura erudiat & acuat ad virtutem. Deo gratulemur, quòd in tantâ morum corruptelâ nondum eò adoleverit vitiorum auctoritas, à mundanis ut impetrent, ut mundanis ipsis probentur. Supremo ut judici probemur, multò minus sperare nos oportet; quapropter omni studio in id incumbendum, illum ut flectamus atque exirato propitium nobis & clementem habeamus. Si censuram in nos mundani publicam exercent, & est censura illa tam gravis, inde æstimemus pudorem reprobis imponendum olim à judice Deo, nec pudeat in sacerdotis, qui solus auscultat, sinu, deponere nunc & pœnitentiâ expiare, quæ futura sint nobis alioqui, in immenso mortalium omnium conventu, summi pudoris materia. Hæ sunt enim, Deus optime, sanctæ leges à te

nobis impoſitæ; leges, quæ non ſunt ſuperbi noſtri ſtomachi; quas noſtra non fert mollities, ſed ſunt chriſtianæ demiſſionis & Evangelicæ tuæ ſapientiæ non iniucundi fructus. Leges ſanctis tuis ſemper obſervatæ, nobísque adeò ipſis obſervandæ. Judicium homines in nos ſuum exercere dixi, atque ex eo primum de divini judicii ſeveritate præiudicium ducendum. Addo, iudicium à nobis in nosmetipſos ſolitum ferri, petendúmque ex eo alterum de divini judicii ſeveritate præiudicium.

PARS II.

QUantumvis laxas cupiditatibus noſtris habenas permittamus, quantumvis depravati ſint mores noſtri, conſcientiam habemus, chriſtiani Auditores, èſtque naturæ tam conſentaneum non illam ſolùm habere nos, ſed & illius ductum ſequi, ut mediis in flagitiis, cùm excutimus conſcientiæ jugum, (quæ mira quidem eſt agendi ratio, at non repugnat) conſcientiam nobis ipſi fingamus ad libidinem noſtram, ut ab omni rectæ conſcientiæ moleſtiâ vacui, liberiùs peccemus. Atque hæc agendi ratio, ut ſapienter animadvertit Bernardus in præclaro, quem eâ de re ſcripſit Tractatu, duplicem in nobis diſtinguendam eſſe docet conſcientiam. Alteram nobis inſitam à Deo; alteram, cujus ipſi artifices ſumus & architecti. Illam, puram ac rectam, quoniam au-

ctorem

ctorem habet Deum; hanc falsam, &, quoniam in nobis & à nobis ipsa fingitur, erroribus scatentem. Attendite, quæso. Conscientiam rectam, quam nec excutere ipsi, nec corrumpere valemus. Conscientiam falsam, sed quæ, vel ex eo quod est falsa, pacata nunquam esse potest ac tranquilla; certè cujus tranquillitas consistere nescit in certis vitæ conditionibus ac locis: en arcanum aliud & domesticum, sed certum, de divino judicio præjudicium. Conscientia ut est recta & integra; conscientia ut varia & instabilis est. Illa, dum nulla eam inobscurat erroris nebula; hæc, dum cæca illi vitiorum nox incubat. Utraque dum objurgat, dum mordet, dum sollicitat angitque. Sequimini, quæso, præeuntem, christiani Auditores. Hæc duo capita, quibus concionem hanc concludam, complectuntur quæ sunt in Evangelicâ lege maximè solida ac pia.

*Constitue, domine, legislatorem super eos,* aiebat propheta, *at sciant gentes quoniam homines sunt.* Quid ni dixero, conscientiam esse in nobis, quæ legis teneat locum, & est domina imperiosior, quam sint legislatores ulli? quid est conscientia? judicium, respondet Bernardus, quod de nobis facimus ipsi, & in nos ipsi, quamquam inviti, pronuntiamus. Neque enim est in nostrâ situm potestate, quandiu sentit & *Psal. 8.*

viget conſcientia, ut nos non judicemus ipſi; ut triſtem de nobis, quoties peccamus, ſententiam ipſi non feramus. Arcanum autem illud judicium quod ſubire cogimur inviti, eſt divini judicii velut præludium quoddam; ideò ſi quidem coactum eſt, quia fit in nobis à Deo, præter voluntatem noſtram; aut potiùs quoniam nobis ipſis utitur Deus, ad exercendam in nos ſupremam ſuam dominationem.

*Nonne ſi bene egeris recipies*, aiebat Deus Caïnum alloquens, quo tempore fraternam necem moliebatur, & tetri facinoris horrore percuſſus hærebat; *nonne ſi bene egeris recipies? ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* hoc eſt, ut exponit Hieronymus, & poſt eum cæteri interpretes, neſcis, piaculi tui judicium non differendum eſſe ſeram in mortem, ſed ſimul ac fuerit patratum à te, privato nocentis conſcientiæ teſtimonio ſtatim damnandũ ac plectendum. Neſcis, ut primùm noxa illa animo & mente concepta, erumpet in actum, ut primùm proles impia lucem aſpiciet, armandam in te, venturam aſſiduè tuum in conſpectum, ut te territet, ut percellat, ut crucier. *Statim in foribus peccatum aderit.* Hoc ipſum videlicet Caïnus expertus eſt, eventu divinæ comminationi reſpondente. Vix infandum ille odium exſaturavit: vix impias manus fratetno conſceleravit ſanguine, cùm con-

Gen. 4.

conſcientiæ ſuæ permittitur, quæ, ceu judex quidam inexorabilis, imò ceu tortor immanis ac ferus, graviſſimas ab eo pœnas repoſcit. Occupat mœſtum os luridus pallor, tumultuantis animi, & remordentis conſcientiæ imago levis & ſpecies tantùm imperfecta; audit irati, & inſequentis Numinis vocem. *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Vox illa Dei compellantis: vox illa cognati ſanguinis vindictam orantis, aliud nihil eſt, ſi priſcis Patribus fides, quàm conſcientiæ ſcelus exprobrantis, tacitus clamor. *Major eſt*, inquit ille, *iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Fatetur ſe reum. Adeò crimen non purgat, ut primus & judicem agat in ſe & tortorem. *Egreſſus quippe à facie domini*, quemadmodum loquuntur ſacræ litteræ, *habitavit profugus in terrâ.* Ergo huc & illuc inſtabilis & errabundus fertur, ut proſcriptus, ac neci devotus fratricida. Ita ille de ſe ipſe ſentit; ac, quod in illo reproborum omnium & principe & exemplari videmus expreſſum, quiſque privatim in ſeſe experitur. Iſtuc autem annon divini judicii rudimentum quoddam eſt, arguit diſertè Auguſtinus? anceps illa mentis agitatio, ſtupor ille ad ſcelerum ſuorum conſpectum, ille ſui ipſius in iis admittendis horror, pudor, imò deſperatio poſt admiſſa, eadem tegendi ſtudium, arcanæ formidines, ſed *Ibid.*

sed horrificæ, angores illi mortiferi, quibus conficitur, pro certo habens & quid peccârit & quid pœnæ commeruerit; hæc, inquam, omnia quid præsagiunt, imò demonstrant, nisi judicium, illúdque formidabile, quod sacri minitantur scriptores, quod jam nunc atque ex parte in nobis exequimur ipsi. Sic est; per conscientias nostras jam nos judicat Deus. Satis est illi privatum hoc tribunal ad ferendam in nos sententiam. Propria cuiusque conscientia & testes illi suppeditat & argumenta; ac cùm noxam aliquam meam illa coarguit, cùm divinæ legis violationem, cùm iniustitiam mihi meam exprobrat, perinde est, ac si me verbis Deus iisdem compellet, quibus herus ille Evangelicus servum nequam, *de ore tuo te judico.* Sequitur ergo, re sumptâ in proprio minimèque coacto sensu, Dei judicium iam quoque ad nos peractum esse, nec expectandum eam in rem, diem illum supremum, quo die lucidâ nube subnixus Servator, partim lætas de nobis, partim tristes sententias est laturus. Judicium enim illud exterius ac publicum de nobis olim pronuntiandum, nihil addet interiori illi conscientiæ nostræ judicio, præter solennem pompam & luctificum apparatum; hócque posito, sibi quemque quod suum est tribuere privatim vel invitum, id unum videri potest supereſſe, ut ratum habeat Christus iudicium illud latum à nobis; ut

*Luc. 19.*

ut è privato publicum reddat; &, quæ occultamus tam ſtudiosè, è tenebris eruta, publicam in lucem proferat.

Quapropter de judicio extremo cùm ſermonem habet Apoſtolus, illud tam frequenter nunc *manifeſtationis cordium*, *nunc revelationis diem*, quo vaſtus ille conſcientiarum liber aperietur, appellat. Quaſi in eo uno verti oporteat, ut liber ille replicetur, pateátque, de nobis ſententiam in nobis iam latam à nobis eſſe. Viderat illud Auguſtinus, cùm illa Chriſti verba ediſſerens, *qui non credit, jam judicatus eſt*, egregiam illam inde eruit ſententiam, *nondum apparuit judicium, & factum eſt judicium.* Illud videlicet anticipamus; aut potiùs, id unum expectamus, ut publicum fiat, quoniam in nobis & iam inſtructum eſt & deciſum. *Nondum apparuit judicium, & factum eſt judicium.* Qua igitur attentione, chriſtiani Auditores, quo timore, quâ reverentiâ, illam conſcientiæ, quæ & Dei minantis & iudicantis eſt, vocem audire nos convenit? Joan. 3.

Atenim ſi interior illa Dei vox, quæ cordis aures tantùm pulſat, quamquam arcana ſit, & ſe Chriſtus nobis nondum oſtendat, pavore tanto pectus percellit; ſi tam vehementer perturbat, quid, cùm ira illius collecta ex longo, foras erumpet? quid, cùm ad fatalis tubæ ſonum, quæ mortales omnes

imis

imis ſepulchris excitos, è quatuor orbis partibus, in unum coget locum, noſmet-ipſos ſuum vocabit ad tribunal? cùm ſolio, non regali ſolùm, ſed & judiciali inſidens, miniſtris ſuis ſtipatus, armatus horrifico fulmine, ipſe ſe nobis ut iratum, ut inimicum, ut vindicem Deum videndum dabit? cùm orbe terrarum univerſo ſpectante, in eúmque pariter & nos erecto, damnationem noſtram, quo ſolennis fiat & authentica, imo è corde noſtro depromens, ratam habebit ſententiam à nobis ipſis latam toties, ac, ſi fas ita loqui, decretorio ſigillo muniet. Tunc flagitioſi homines, inquit ſapiens, ſentiet vel maximè peccatorum ſuorum pondus; tunc ea fletu proſequentur vel maximè amaro; *& erunt gementes.* Tunc eorum gravitas omnis ac turpitudo, horrorem ipſis vel maximum incutiet; *& erunt in contumeliâ inter mortuos in perpetuum.* Tunc funeſtam, quæ ex iis conſequetur, calamitatem formidabunt vehementius multò quàm aliàs unquam; *venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi.* Iis obruti, iis oppreſſi jacebunt: *uſque ad ſupremum deſolabuntur:* conſcientia tam graviter læſa, tam crebrò contempta, teſtis pariter ac judex privatus, tunc teſtis pariter ac judex publicus, jura in iis ſua plenè & apertè vindicabit; *& traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum.*

*Sap. 4.*
*Ibid.*
*Ibid.*
*Ibid.*
*Ibid.*

Con-

Conſcientia, quam non poſſumus, in hac etiam vitâ, nec ſemper abjicere, nec omnino. Hoc notatu dignum. Neque enim ſitum in nobis eſt ut habeamus nec ne lucem illam, qua nos DEus colluſtrat, inſculpsítq; mentibus noſtris; illum rationis characterem, de quo propheta, & eſt aliqua noſtri pars: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui.* Non eſt, inquam, ſitum in nobis ut deleamus divinum illum characterem. Ex quo divino nemini libuit, illud animi rectum infundere nobis, ut primum ipſius donum, & cæterorum omnium fundamentum, quidquid id eſt quod agimus, factorum omnium ratio nobis à nobis reddenda, nec eſt jam libera nobis illa vitæ licentia, ad quam impietas aſpirat, nec aſſequetur unquam, quandiu manebit indita divinitus ratio. Fruſtra conamur, facem illam, quam præfert, extinguere, fruſtra ſtudemus excutere conſcientiæ jugum; vocem includere, quæ nobis obſtrepit; acres ſtimulos retundere quos ſubdit; firmare pectus adverſus ipſius reprehenſiones aſſiduóſque morſus; adeſt ubique moleſtus aſſecla, rigidúsque cenſor ubique nos accuſat, ubique damnat. Admiſcet ſe & interponit voluptatibus noſtris, queis & amari nonnihil aſpergit. In frequentiſſimis occurrit cœtibus, fruſtráque tumultuante & obſtrepente mundo, inculcat ſe noſtris auribus importunus clamator. Ad men-

*Pſal. 4.*

mentes noſtras, impiorum more, metu ſolvendas, hæc nobiſcum ipſi millies, *pax, pax. Dicentes, pax, pax*; conſcientiâ toties reponente, pax nulla; bellum, gladius, cerra tibi nex expectanda. Hinc diſco, domine, colligebat Auguſtinus, quid mihi ſit à te judice metuendum. Si enim, inquiebam ipſe mecum, ſubdit ſanctiſſimus Doctor, conſcientiæ meæ, cujus lux, tametſi pura, ſi cum divinâ luce componatur, cæca nox tantùm dicenda eſt, cenſuram ferre nequeo, quomodo illius judicii, cui contra me ſapientia, veritas, ſcientia, & quod mihi longè formidoloſius videri debet, ſanctitas omnis Dei eſt interventura, ſeveritatem feram? judicii inevitabilis: nihil quippe judici me ſubducat inſequenti. Judicii irrevocabilis: nihil quippe mutare cogat latam ſemel ſententiam. Judicii ſempiterni: quandiu Deus exiſtet, (exiſtet autem ſemper) tandiu ſedebit in me judex; ac quandiu judex in me ſedebit, tandiu me in ſuâ tenebit poteſtate: tandiu vindictæ ſuæ obnoxium habebit.

*Joan. 6.*

At, nonne valet humana perverſitas, eò progredi tandem, falſam ut ſibi conſcientiam fingat, túncque non hæc minimùm infirmet, aut prorſus etiam convellat præjudicium illud, quod à nobis ipſis peti, ad divini judicii notitiam, poteſt? Accipite, Auditores, quid ſim, ad id quod quæritur, reſpon-

ſponſurus. Fateor verum eſſe principium. Sed longè aliter ac vos de eo argumentor ac diſputo; ex eóque deduci omninò contrarium oportere contendo. Equidem peccandi conſuetudine cæcati, falſam eiusmodi conſcientiam ſibi quotidie conflant homines flagitioſi. Atenim ſtatum illum ipſum dico maximè aperta maximéque funeſta divini judicii præiudicia nobis ſuppeditare. Quid ita? ah! utinam liceat, chriſtiani Auditores, per temporis anguſtias, prout cauſa poſtulat, iſtuc explanare! Sed iuſtam deſideret orationem tale argumentum. Etverò conſcientiæ illæ falſæ, quas longâ peccandi conſuetudine nobis ipſi componimus, nunquam, aut ferè nunquam, pacatæ ſunt atque tranquillæ; experientiâ præſertim docente, non eſſe eas futuræ mortis ſatis ſecuras, & certorum vitæ caſuum, queis falſam hanc mentis tranquillitatem ac veluti malaciam turbari neceſſe eſt. Ex eo autem ipſo, ad Auguſtini mentem, conjectura ducitur validiſſima, argumentúmque valde potens, de divino judicio & ſummâ eius ſeveritate, quam probandam ſumpſi.

Si nullum judicium metuendum hominibus eſſet, aut, ſi illius notio ita in mente meâ deleri poſſit, nulla ut eiusdem ſpecies, nulla memoria, nulla fides reſideret, quæ meam cunque conſcientiam cæcitas occu-

passet, facilè illi liceret pacatæ esse atque tranquillæ. Quantumvis crassis tenerer erroribus, firmarent illi pacem & quietem meam, ne dum turbarent. Nunquam cogitans judicem & tribunal esse, ad quod sim olim vocandus, quietus vivam, & in minimis ponam curis, nosse, num recta sit nec ne conscientia mea: directumne an devium iter insistam: num indulgeam mihimetipse: num fallar, num aberrem incautus: quoniam periculum non perspicerem in quod indulgentia, veri ignoratio, atque error immittit. Ita essem animo constitutus. Cur ergo non ita nunc se res habet? cur conscientiæ illi pacatæ esse non licet? cur stimulo tuta seges est illa, cui frustra obluctamur, quam resecare ac præcidere non possumus? cur inter opaca, quibus constat, utilitatis & cupiditatis nubila, quidam semper erumpentes lucis radii, nobis invitis aperiunt quæ velimus nunquam aperta? denique cur cæca ac depravata conscientia, nunquam est ita sanioris conscientiæ victrix, quin hæc, quamquam voce summissa ac tenui, peccatis subinde nostris reclamet, tristibúsque saltem scrupulis, & molestis angoribus errorem, quem ducem sequimur, iniustâ possessione deturbet? unde, inquam, cuncta hæc? quoniam satis supérque sentimus, subeundum nobis judicium, cuius luco conscientiæ nostræ tenebræ depellantur,

tur, convincantur errores. Hinc quod omnino pulchrè ac solidè Gregorius Magnus animaduertit, quò propius absumus ab eo Dei judicio, in errore suo falsa conscientia eò magis timida fit atque perplexa. Dum vita manet, potest illa quidem sustentare se quodammodò, ac quò plus habet falsitatis, eò firmior ac pacatior videtur. At, cùm est mors propinqua, labat continuò firmitas illa omnis; emersa veritas errorem pellere incipit veteri dominatu. Tunc evigilare conscientiam atque excitari quasi sopore ex alto; inspicere se propius totámque tentare; diffidere sibi ipsi, & partes in omnes versare se. Ita, exempli causa, quandiu commodâ uteris & integrâ valetudine, alienum retines ac servas citra scrupulum; non desunt rationes quæ causam tibi tuam aut probent, aut probare videantur. Homines consuluisti doctos, aut qui habentur pro doctis, & conquiescis in eorum sententiâ. Quamquam loquatur res ipsa, confidis tamen bonâ tuâ fide, & es animo tranquillo. Ita se homines fallunt, quandiu id cogitant unum, ut mundanis voluptatibus perfruantur, nondùmque pupugit mortis aculeus. Eò enim usque sæpe extenditur falsæ conscientiæ regnum. Atenim incogitantem morbus occupet gravis; premant acerrimi propinquæ mortis dolores; hæret subitò conturbata, suspensâ, incerta, anxia mens miseran-

dum in modum. Illa rationum momenta, queis movebamur, non jam videntur facienda tanti; suspecta fiunt quæ sumus amplexi doctorum consulta; bona illa fides, in qua nobis tantopere placebamus, in dubium venit; possessio illa, non tam legitima, non tam valida jam apparet, longéque diversæ cogitationes de rigido & necessario restitutionis officio suscipiuntur. Quid ita? quoniam Dei judicium quod est in proximo, totam immutat rerum faciem, illasque eâ in luce collocat, in qua fuerant nunquam visæ. Si recta esset conscientia illa, ac divinæ legi consentanea, sustentaret ipsa sese vel in Dei Judicis conspectu. Aut, si nullum esset judicium metuendum, quamquam erronea, tranquilla pace frueretur etiam in ipsâ morte. At perterret illam in supremo eo die falsitas ipsius, terribilis huius judicii, quod mortem excipit, veritati contraria. Perterret supremi præsentia Judicis, cui soli rationem nos reddere oportet, cùm sibi ipse soli judiciorum suorum rationem reddat. Æqui judicis, qui cuncta lance suspendit æquissimâ, & ex operibus mortales omnes vel remunerat strictè vel plectit, Judicis sagacissimi, qui humani cordis abdita perspicit ac scrutatur; quem nihil latet ac præterit. Cujus in animo res sunt omnes penitus insculptæ, idque litteris, quas nulla ætas & tempus obliteret; atque adeò cujus

aciem

aciem nihil fugit, non cogitatio, non desiderium, non verbum, non oculorum conjectus, non gestus, non motus ullus. Judicis omnipotentis, qui longè terrenis antecellens judicibus, qui jus in solum habent corpus, & animam & corpus ad pœnam potest, eamque æternam damnare. Judicis inexorabilis, qui nullâ ratione moveri potest, non propensione ullâ voluntatis, non misericordiâ, non respectu ullo, non honore, non metu, non spe. Hoc enimverò illud est, quod obstinatissimus peccator intueri propius nequeat vultu imperterrito. In eo hæret attonitus, elinguis, pudore confusus.

Claudat hanc concionem excellens Bernardi observatio, quæ & illius fructum omnem complectitur. E judiciis tribus, mundi videlicet, conscientiæ, Dei, quæ sunt nobis subeunda, unum Paulus contemnebat; erat alterius securus; postremum metuebat. Primum contemnebat, cùm diceret, *mihi pro minimo est, ut a vobis judicer aut ab humano die.* Alterius erat securus, cùm subjiciebat, *nihil mihi conscius sum.* 1. Cor. 4. Postremum metuebat, cùm, quamvis Apostolus, *ne reprobus & ipse fieret*, formidabat. *Exierat Paulus judicium mundi quod aspernabatur; judicium sui, quo gloriabatur; sed restabat judicium Dei quod reverebatur.* Ut ut est autem de nobis, quoad

mundi & conſcientiæ judicium, metuamus ſaltem, chriſtiani Auditores, & ſemper metuamus divinum. Ac quoniam metus ille, Dei donum eſt, poſcamus illud à Deo & efflagitemus quotidie. Nihil eſt enim naturæ conſentaneum magis, quàm timere; at nihil eſt magis ſupra naturam, nihil magis divinum quàm timere utiliter, & ſalutis causâ. Hinc illa prophetæ precatio. *Confige timore tuo carnes meas*; timore, inquam, tuo, Domine Deus, non meo: eſſet enim inutilis meus, imò noxius timor; turbaret ille, nec me reduceret in viam; timor tuus, & me reducet in viam, & ad ſanctitatem promovebit turbando. Hic autem ille eſt, quo mihi nunc fuerit opus, & à te ut beneficium longè maximum poſtulo quæsóque, haud ignarus à te non à me profluere illud oportere. *Confige timore tuo.* Metuamus Dei judicium & metuamus quantumlibet juſti, quantumlibet perfecti ſimus. Metuebant quippe illud ſancti ipſi, & ideò ſancti erant, quod illius erant ſemper timidi. Fidem abrogemus impiis ac profligatis hominibus, qui rerum cæleſtium ignari & immemores vivunt.

*Pſal. 118.*

Credamus iis, quorum mentem veræ ſapientiæ lux purior ornavit. Hieronymos & Hilariones conſulamus; præcepta dabunt illi nobis eâ de re omnino ſalubria. Hæreamus in eâ ſemper comparatione, ſicque nobiſcum

biscum ipsi cogitemus. Si viri illi insignes, si stupenda illa christianæ sanctitatis exempla, Dei judicium metuerunt, quî horrere me illud oportet, me, inquam, me peccatorem, me flagitiis coopertum? si tremuêre illi in desertis ac solis locis, quî tremere me convenit, cujus vita omnibus mundi laqueis, omnibus tentatoris nequissimi telis objecta est atque proposita? si tremuêre illud, vel eo ipso tempore, quo se tam ferventis, tamque austeræ vitæ laboribus exercebant; quî tremere illud debeo in tam communis, tam languidæ, tam imperfectæ vitæ cursu? moveat nos hæc collatio necesse est, si modò aliqua in nobis superet fidei ac Religionis scintilla. Metuamus Dei judicium, sed plus quàm cætera omnia; est enim planè inutilis timor ille, ni timores alios omnes superet; quemadmodum frustra Deum amemus, ni supra cætera omnia amemus. Hæc tamen est præposterа vitæ nostræ ratio. Est in metu Dei judicium, at majore sunt in metu casus adversi. Hic enim diligentes, vigiles, & impigros nos facit; ille nihil conari, nihil suscipere nos jubet. Metuamus Dei judicium, sed multo magis peccatum, quoniam ob peccatum, usque adeò formidandum illud est: aut potius, metuamus Dei judicium, ut peccatum fugiamus; & peccatum fugiamus, ne tantopere Dei judicium metuamus. Metuamus

Dei judicium, sed non satis habeamus illud metuere; utamur eo metu ad corrigendos animi nostri errores, ad moderandas cupiditates nostras, ad comprimendos concupiscentiæ motus, ad pectus avellendum à vanis seculi oblectamentis; uno verbo cuncta ut complectar, ad omnes vitæ nostræ partes emendandas, juxta illam Gregorii Nazianzeni sententiam: *hæc time, & hoc timore eruditus, animum à concupiscentiis quasi fræno quodam retrahe.* Cùm conscientiâ mordebimur; cùm exprobrabit illa mores inordinatos, & spectare sempiternum ad interitum ostendet, descendamus in nosmetipsi; in hanc sententiam cum Deo colloquamur; ah! quî potero, Domine Deus, judicii tui pondus immensum tolerare, cùm rationis ac fidei meæ judicium ferre nequeam! cùm versabimur in lubrico ac periculoso loco, Deum nobis animo & cogitatione fingamus inspectantem nos, jam jamque scripturum sententiam nostram, ut Balthasaris olim; non erit commentitium quiddam, sed verum. Cùm nos premet tentationis vis, cùm nutare voluntas nostra ac titubare videbitur, eâ nos armemus cogitatione & interrogemus; quid actum velim, cùm adesse oportebit ad judicium? cùm cupiditas istuc ingeret, hanc & illam noxam, non esse tam gravem, quàm videtur, nec esse probabile, æternam animæ salutem, è tantillâ re pen-

pendére; illam opponamus Hieronymi sententiam: at, an ita de eo sentiet Deus?

Metuamus Dei judicium, & metus ille nos excitet ad illum flectendum ac placandum. Nam, ut ait Augustinus, *non est quò fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum. Vis fugere ab ipso? fuge ad ipsum.* Fas autem illud est quandiu manemus in vitâ. Nam Deus ille peccatis nostris quantumvis iratus, lachrymis placatur nostris; operibus nostris bonis placatur; eleemosynis nostris placatur; eáque omnia sunt in manu & potestate nostrâ.

Denique metuamus Dei judicium, nihilque magis formidemus, quàm ne excidamus metu illo, qui flagitiosæ vitæ nostræ & perfugium præbet, & salutis portum. Potest enim amitti & quotidie amittitur metus ille, præsertim in nobiliorum hominum frequentiâ. Comprimunt illum, ac veluti suffocant rerum terrestium curæ; vana colloquia distrahunt; infringunt leviores noxæ; vita licentior perimit ac tollit; estque doni hujus cælestis jactura, futuræ reprobationis initium. Enimverò quid de eo speres, & qua possis arte revocare in salutis semitam, qui divini judicii metum corde excussit; quem nulla jam movent fidei dogmata quantumlibet formidolosa. Dei metu, sed christiano, præparamur ad ipsius amorem; ejusdem amore efficaci ac practico, fit nobis aditus ad cælestem gloriam. Amen.

# IN FERIA QUARTA PRIORIS HEBDOMADÆ

# CONCIO.

*DE CHRISTIANA RELIGIONE.*

Reſponderunt JESU quidam de ſcribis & Phariſæis, dicentes: magiſter, volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens, ait illis: generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ. *Matth.* 12.

REGINA CHRISTIANISSIMA,

ISTUC ut poſtulent à Chriſto Phariſæi, curioſitas impellit eaque arrogans, captioſa, ac maligna. Curioſitas arrogans, cùm enim illos in preces humiles par ſit deſcendere, atque ita ſignum quod poſcunt, tanquam beneficium eblandiri, quaſi ſatis ſit ad impetrandum, illud velle, pro jure ſuo quodam,

dam, velut debitum imperare atque exigere videntur. *Magister volumus.* Curiositas captiosa; haud alio si quidem consilio, Evangelistâ teste, ad eam petitionem aggrediuntur Christum Servatorem, quàm ut ejus potentiam periclitentur, & dolis vafrè adhibitis circumveniant. *Tentantes eum, signum de cælo quarebant.* Curiositas maligna, cùm veteratores illi id unum spectent, ut exitium Christo moliantur, certi vel ipsa miracula quæ patrat, vertere in ipsum, seu crimina totidem, quibus & usi tandem sunt ad eum calumniandum & opprimendum. Hinc enim Christus, dum respondet ad quæsita, zelum illis non cælestis sapientiæ solùm, sed & sanctæ indignationis plenum ostendit. Hinc eorum curiositati non aliter satisfacit, quàm ut unà exprobret incredulitatem; *generationem malam* vocans & *adulteram.* Hinc denique ad divinum eos citat tribunal, probè intelligens, signum ab eo, sed frustra, assignandum, eò duntaxat valiturum ut eorum improbitatem coarguat atque malitiam. *Viri Ninivitæ surgent in judicio adversus generationem istam.* Luc. 11.

Habetis in his quæ dixi, christiani Auditores, Evangelicæ lectionis summam, & in Pharisæorum exemplo, quæ nos inter & Deum fieri solent. Miracula poscimus, queis fidei nostræ imbecillitas firmetur. Vo-

tis

tis vel nunc nostris indulget Deus : offert optata ; sed nos illa non movent, fructumve ullum afferunt :. & eorum abusu perseverantia nostra in peccatis eò aggravescit magis, quò est magis voluntaria : ex nostrâ quando perversitate morúmque corruptelâ, ut & obstinata olim Pharisæorum malitia, fluit illa tanquam è pestifero fonte. Atque hoc ipsum est quod divinus Magister in illis Judæis, si superis placet, robustioris animi sapientibus damnat, damnabítque in nobis ipsis, in eorum infidelitatem delabi si contingat. Scitum est illud Tertulliani pronuntiatum, quod & christianæ professionis formam ac veluti characterem prorsus exprimit : nimirum post Christi adventum supervacaneam, certè non utilem nobis deinceps, multò minus necessariam, curiositatem esse. Quoniam Evangelio promulgato, nihil nobis jam restat nisi ut credamus, ut rationem nostram suavissimo fidei jugo submittamus. *Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium.* Ita ille. Ausus ego Tertulliani sententiam augere, addo, si fas sit nobis christianis inquirere denuò in fidem & fidei nostræ mysteria, eadémque pro jure nostro scrutari, Christum & ejus Evangelium suppeditaturum nobis unde non convincatur mens nostra solùm, sed & curiositas affatim nostra satietur. Quid ita ? quoniam

niam Christus in suâ personâ miracula nobis exhibuit tam splendida tamque aperta, nemo ut iis, si modò mente sit aliquâ præditus, obsistat. Quibus si non afficimur, tribuendum hoc naturæ nostræ pravitati, quæ criminosa nobis futura est apud Deum & satis supérque erit ad judicii ipsius severitatem omnem in nos acuendam. Gravissimam hanc materiam tractaturus hodiernâ die, Regina christianissima, possumne commodius operam in eo meam præstare, quàm coram majestate tuâ, cujus sensus & exempla his auditoribus meis, rei, quam probare aggredior, aperta totidem & manifesta esse debent argumenta. Ecquod enim mirabilius à christiana Religione perfici opus potest, quàm si mediâ in Aula, in ipsóque adeò regali sólio, ad sanctimoniam non vulgarem Reginam promoveat longè maximam, & vel ex eo uno, nonne meritò colligere nos oportet, Religionem hanc non fortunæ, non casui, non hominum industriæ, sed omnipotenti Deo esse necessariò tribuendam? Faxit idem ille Deus, Auditores christiani, ut tale ac tantum miraculum in testimonium contra nos olim non cedat. At, non possim ego minari idem vobis quod Christus omnibus universim, cùm Reginam proponit ad exemplum. *Regina surget in judicio.* Agebat Christus Servator de Regi- *Matth. 12.*

Aa

na profanis superstitionibus implicita; ego de eâ loquor, quæ christianam Religionem, per quàm Religiosè profitetur. Illa plagæ australis Regina, ob id unum commendatur tam impensè, quòd Regni procul egressa finibus, mortalium sapientissimum auscultaverit. Sedenim præterquam quòd Christi ipsius sapientiam ac sermonem excipis, Regina christianissima; quid non hoc loco dicendum suppetat, de fidei tuæ integritate, de divinæ gloriæ studio, quo flagras, de tuâ in gallicum populum pietate, de vigili & sollicitâ tuâ in egenos charitate, de feruidis illis longísque precationibus, quas partim in templo, partim ie sanctiore tuo conclavi fundere ad Deum non cessas; de tot, tamque piis functionibus, quæ vitæ tempora tam pulchrè distinguunt, nec minori nobis sunt admirationi quàm fructuoso ad pietatem exemplo: attamen non ea es, Regina christianissima, quæ à me debitas hodie virtuti tuæ laudes, sed pia ac salutaria vivendi præcepta expectes; quapropter pietatem tuam planè regiam quà possum ut juvem, ad sancti spiritûs opem & auxilia necessaria per eam impetranda, Beatam Virginem suppliciter saluto. *Ave Maria.*

PARS I. NON absre Pharisæi, quod hoierna significat Evangelij lectio, Cùm Christum per-

pernoscere studerent, quamquam haud satis sincerè, prodigium, cujus auctor ipse & opifex esset, ab eo popoſcerunt. *Magister volumus à te signum videre.* Fatendum enim, inquit Augustinus, prodigiorum genera esse duo; alia, quæ à Deo, alia, quæ ab hominibus proficiscuntur. Alia, quæ admirationem movent, quoniam insignia sunt immensæ Dei potestatis testimonia. Alia, quæ id habent, meritum ut injiciant horrorem & odium sui, quoniam tristes sunt humanæ perversitatis ac malitiæ fructus, Illa, quæ reveremur, & miracula vocamus. Hæc, quæ habemus in monstris. *Volumus à te signum videre*, inquiunt Christo Pharisæi. Quid agit Christus? accipite. In eo consistit concionis huius summa. Ex his prodigiis ita bifariam distributis, ostendit unum, quod à Deo solo patrari potuit, & omnes veri miraculi numeros habuit; fidem dico Ninivitarum, quos Jonæ sermo, vitiorum omnium colluvie abstractos, reduxit in viam. Aliud simul objicit prodigium longè discrepans & ab iis solis profectum, eorum videlicet infidelitatem. Igitur ut nos in Pharisæis illis morésque nostros recognoscamus, christiani Auditores, satis est accommodemus nobis ipsi duplex illud prodigiorum genus; factâ statûs illorum contentione cum nostro, fateri cogemur non minùs convenire in nos

Christi

Christi reprehensionem, quàm in falsos illos priscæ legis Doctores. Nos, quo sensu Christus intelligit, in *pravâ & adulterâ* progenie æque atque illos fortasse censendos; pari denique ratione ad formidolosum illud judicium vocari nos posse, ad quod eosdem his verbis arcessit. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ.* Contendo enim, & verbis duobus partionem concionis complector, hanc, quæso, percipite; contendo, Christum in Religione sua constituendâ, miraculum exhibuisse nobis multò clarius & insignius, quàm sit Ninive conversa ad Deum; Evangelicæ videlicet legis propagationem, quod fidei miraculum appello. Hoc primum; contendo, huic miraculo quotidiè à nobis opponi infidelitatis prodigium, infidelitatis, inquam, magis monstrosæ, magisque damnandæ, quàm sit ipsa Pharisæorum infidelitas; hoc alterum erit concionis caput. Iterum dico, duplex prodigii genus, illud, quod naturæ vires superat, & est divinum; universus nempe terrarum orbis vitiis & erroribus suis, per Evangelii publicationem, levatus. Hoc, plus satis naturale atque humanum, at prodigii genus quoddam, infidelitas videlicet nostra. Geminis illis nominibus ac titulis contra nos utetur in judicio suo Deus, ni nosmetipsos maturè judicando, occurrere illi studemus. Mi-

racu-

raculum fidei, quod videndum nobis & oculis nostris assidue veluti contrectandum, objicitur. Infidelitatis prodigium, quod non satis cavemus, quod vultu tegimus ac velamus sedulò, nec sinimus foras eminere. Miraculum fidei, quo salutaris pudor nobis imponetur, christianæ Religionis excellentiam ac nobilitatem demonstrando; infidelitatis prodigium, quod, ni cavetis, posteaquam innocentiæ vestræ fuerit labes, æternæ reprobationis est materia fortassis ac seges futura. Est utrumque illud caput attentione vestrâ singulari dignum.

Ut ad Christi sententiam excutiendam statim accedam, rémque gravissimam, quam explanandam suscepi, suis quasi ponderibus ac momentis examinem, ritè cognosci debet prodigium illud, quod in mundi conversione & christianæ Religionis constitutione positum esse dixi, &, post Hieronymum, fidei miraculum appello. Ac quoniam minimè dubium est, quin miraculum illud sit unum è gravissimis argumentis quo Deus contra nos utetur, si nos in reprobis esse contingat, formam illius aliquam habere nos oportet, ad acerrimos Religionis sensus in animis nostris exsuscitandos; scio materiam hanc grandem: & esse prorsus suprà mortalium omnium captum, Quapropter simplice ac nudâ Chrysostomi ex-

positione, quæ in Homilià quadam ipsius exstat, hærere nos oportet. Rem æstimemus ex eo, quod illius typum extitisse docet sanctus Antistes, ex Ninivitarum videlicet conversione, fructúque mirabili, qui Jonæ concionem est consecutus. Hunc in modum factum insigne sacer historicus prodit.

Jonas fugitivus, cùm frustra detrectaret Dei mittentis imperium, pudore confusus, noxámque lugens admissam, jubetur denuò Niniveni proficisci. Divinæ obsequitur voluntati; dat sese in viam: tametsi ignotus, ascendit nihilominus in concio- concionem: missum se significat ac legatum à Deo; populosæ urbi cladem denuntiat & exitum intra breve tempus importandum. Haud alios ponit vitæ terminos terrificus vates, quàm dies omninò quadraginta: haud aliud affert argumentum prædictionis funeste, quàm prædictionis ipsius eventum. Habuit illa fidem, nullóque alio teste permota civitas, vitiis, inquam, omnibus dedita civitas Religionis, ut videbatur, ac legis jam penè omnis expers, indocilis, impatiens disciplinæ ac doctrinæ cælestis, quam prophetæ cæteri frustra instillare tentaverant, huic auscultat, (*quæ mutatio dexteræ Excelsi fuit*) & auscultat reverenter; colligit se, placare parat iratum Numen, expiatque pœnitentiâ maximè austerâ

*Psal. 76.*

&

& illustri. Non ullus ordo, non ætas, non sexus est pœna immunis. Rex ipse, teste scriptura, solio relicto, dat se in gemitus & lamenta summissus & abjectus. Quin & ad infantes, indicta ab Rege, jeiunii lex pertinet. Nemo non sacro ac cilicio horrenti indutus, nemo non cinere conspersus caput cernitur, in efficacis ac prompti doloris signum, Denique tanta fit tamque universa morum conversio, prorsus ut ad litteram vaticinatio compleatur, *& Ninive subvertetur.* Si quidem, ut pulchrè Chrysostomus animadvertit, non jam Niniven illam videas facinorosam ac perditam, Deóque exosam, sed, positis vitiorum exuviis, omninò novam ac sanctam, veteris ruderibus ac ruinis inædificatam Niniven. At cujus ope? hominis unius, cujus fatidica vox est audita; qui divino Numine concitante, innumeros mortales, cælestis vindictæ terroribus mollitos ac subactos, in salutis viam deduxit. En miraculum, ajebat Christus incredulos & pervicaces Judæos compellans, en miraculum, quod in damnationem cedat vestram; quod improbitatem vestram convincat. Ajo ego christianis omnibus in vitiorum cœno defixis, en miraculum vobis à Deo propositum, ut typus alterius magis stupendi, magis supra captum hominis positi, ad vos convincendos & à terrestribus bonis abstrahendos magis ac-

commodati: accipite illud animo præjudiciis omnibus vacuo atque expedito, idémque mecum sentietis haud dubiè.

Fuit Jonas ad pœnitentiam Ninivitas adhortans, quoddam Judæis propositum à Christo signum. Aliud hodie proponere consilium est, quod christianis omnibus signum & argumentum oportere contendo. Fœlix si verborum pondere, mentibus illud vestris altius insculpere valeam! Conversionem dico non jam urbis, non jam provinciæ ullius, sed orbis universi, conversionem, quam Jona ipso major Christus homo idem ac DEus perfecit. *Et ecce plus quàm Jonas hic.* Ponamus, Christum Deum non esse. Obliviscamur istuc tantisper; nondum hîc agitur qui sit, sed quid egerit. Quid egit? uno verbo rem omnem absolvam; id videlicet quod nunquam satis intelligere possumus, quod assiduè meditari nos oportet, da mihi, Domine Deus, illud ut enuntiem verbis idoneis, & oratione non vivida minus, quàm accurata futura est & veritati consentanea. Jesus Christus Mariæ reipsa, Josephi, hominum opinione, Filius, ille ipse, de quo Judæi inter se, *nonus hîc est fabri filius?* mutare aggreditur universi faciem orbis, exterminare superstitionem, errorem, Idololatriam; puriorem veri Numinis cultum ubique ac Regnum constituere. Consilium illo utique dignum,

Matth. 12.

Matth. 13.

at vastum & immensum, cujus & successus prosperos mox cognoscetis. Eam in rem quos seligit? discipulos duodecim, idiotas, rudes, ignaros, imbecilles, vitiis & ipsos suis obnoxios, quos tamen ita divino complet spiritu, ut uno die, ut horæ momento reddat operi tanto prorsus idoneos.

Etverò ex idiotis, aut, ut Christi ipsius verbis utar, ex hominibus *corde ad credendum tardis*, occultâ spiritûs, quem cælo demittit, potestate, homines efficit servidos, animosos, charitatis homines ac fidei plenos. Ergo, persuasis utitur ad persuadendum. Piscatores illi, viri illi debiles, illa, quemadmodum Paulus loquitur, *mundi purgamenta*, Apostolatûs gratiâ roborante, hunc terrarum omnium orbem emendandum, debellandum, Christi jugo subjiciendum inter sese partiuntur. Non alia sunt novis bellatoribus arma, quàm animus malorum omnium patiens, non opes aliæ, quàm summa rerum omnium penuria. Non consilium aliud, quàm rudis & imperita simplicitas; attamen, quis credat? cedunt illis omnia. Enuntiant mysteria, quæ sapientis cujusque ratio respuat; & fidem illa inveniunt. Evangelium annuntiant humanis appetitionibus planè contrarium, & recipitur. Dynastis ac principibus, Doctis & *sapientibus hujus seculi*, hominibus mundo addictis, in sensus & voluptates demersis proponitur, & admit-

*Luc. 24.*

*1. Cor. 4.*

mittitur. A pauperculis regi se sinunt Dystælli; doceri se docti ab illiteratis, à novis illis crucis præconibus vitæ melioris præcepta petunt nullis non voluptatibus homines dediti, & voluntariæ vexationis ultrò ac pœnitentiæ severioris subeunt jugum. Ex his omnibus coalescit societas & cœtus hominum quidam tam pius, tam sanctus, tam castus, omnibus virtutum omnium numeris tam absolutus, tam insignis, ut Ethnicis etiam ipsis haud levem moveat admirationem.

Neque hoc satis est; imò magis mirum videri debet quod subjicio. Fides scilicet illa vix est à duodenis Apostolis cœpta vulgari, cùm eam oppugnant hostes innumeri, nulli non Reges triste illi bellum indicunt. Fatale illud monstrum Diocletianus, Rerum Dominus, eandem studet extinguere, politicis ad id rationibus adductus. Sedenim invito illo, tótque christiani nominis hostibus acerrimè, sed frustra connitentibus, tam solidis constituitur fundamentis fides illa, ut labefactari nullà jam ratione queat. Eam tuentur ac defendunt infiniti mortales etiam effuso sanguine; videas è quovis ordine, qui gloriæ habent ejus causâ, ceu victimas totidem, jugulari, mactari. Tenellæ Virgines, quarum nemo numerum ineat, in molli ac delicato corpore, testimonium idem ipsi perhibent, & acerbissimis se lætæ devo-

devovent cruciatibus. Succrescit illa, propagatur ac funditur, non per Judæam solùm, in qua est exorta, sed & ad extremum usque orbem, ubi Hieronymi jam ætate, quemadmodum ipse annotat ut prodigium quoddam, Christus non à Barbaris modò, verùm etiam à Doctissimis gentibus colebatur; puta Romæ, ubi Christi in cruce suffixi Religio brevi prævalet; in Cæsarum Palatiis, in quibus ad Ecclesiæ suæ stabilitatem, in mediâ Deus iniquitate, ferventissimos excitat sui Numinis cultores: postremò, istuc observatote, maximè erudito, Augusti videlicet, seculo, quod Deus elegit potissimùm, ut naturam magis ostenderet hujusce legis, quam solam humanæ sapientiæ ac rationis superbiam omnem superare oportebat. Ut nacta sit ab ipsis incunabulis, (fateamur istuc cum Chrysostomo, Auditores) ut nacta sit fautores & patronos, queis indigebat, ut pacatus fuerit ejusdem ortus, sexcentis aliis nominibus Deiopus esset illa nihilominus dicenda. Sed eam constitui inter vexationes, imò per vexationes ipsas; nunquam efflorescere magis, quàm cùm impugnatur violentissimè, ipsius assectatorum sanguinem crudeliter effusum, esse, quemadmodum loquitur quidam è priscis Patribus, veluti fœcundum illius germen, quò plures ferro & igni perimuntur, eò plures per Evangelium procreari;

crudelitatem, quæ in quibusdam exercetur, illecebram & invitamentum aliis esse, Tertulliani vocem Deo ad litteram implente, *in christianis crudelitas illecebra est sectæ.* Vastum illud Ecclesiæ corpus, dum sua membra torqueri, laniari, truncari, extingu videt, nec agit aliud quicquam, tam subitò tamque prodigiosè succrescere, ah! christiani Auditores, istuc est unum ex iis miraculis, ad quæ humanam prudentiam obmutescere, Deique infinitam potentiam revereri necesse est. Atque hoc ipsum est quod in oculos nostros quotidie incurrit; miraculum illud familiare, cujus ipsi spectatores assidui sumus ac testes. Videmus quippe, fremente nec quicquam Dæmone, terrarum orbem sub Christi signis militantem, hominis illius pariter ac Dei, *qui Judæis*

1. Cor. 1. *scandalum, gentibus stultitia fuit,* cultui sub-

Psal. 117. jectum. *A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Atque ut mentes nostras antiquum illud ac vetus miraculum magis ferirent, Deo visum est instaurare idem ac revocare postremis his temporibus. Nota res vobis, Auditores christiani. Franciscus Xaverius, solus, nullo alio adminiculo ac præsidio, quàm Verbi & Christi, quem annuntiabat, in Orientali plagâ, novum orbem ad veri Numinis notitiam ac cultum traduxit. Pagani erant Idolorúmque cultores; persuasit illis

lis eandem fidem, formavit in eandem vitæ sanctimoniam; eundem pietatis ardorem, idem martyrii studium injecit; quæcunque de pristina illa, tamque perfecta Christi Ecclesia maximè heroica & stupenda memorantur, spectanda illis proponens. Quî autem illud? iisdem adjumentis, iisdem obicibus perruptis, eodem successu, quasi gaudente Deo, in illo Apostolorum successore referre ac renovare quæ potentissima ipsius manus per Apostolos ipsos patraverat, exemplisque præsentibus reddere fide digniora, quæ de priscis ætatibus Annalium nostrorum monumenta prodidere.

Contendo autem, christiani Auditores, his peractis nihil jam nobis fas esse miracula, quasi pro jure nostro, poscere atque expectare, & Pharisæis esse nos pejores, hæc illorum verba si usurpemus *volumus signum videre*. Quid ita? quoniam constat, illam mundi conversionem, qualem eam, quamquam imperfectè, descripsi, perenne ac perpetuum miraculum esse. Quam in rem tria nobis observanda, quæ sunt illius adjuncta totidem. Miraculum videlicet illud cæteris omnibus miraculis longè antecellere: ex aliis omnibus necessariò proficisci: cætera omnia confirmare, atque adeò (quæ consecutio tristis quidem est sed necessaria) ad nostram institutionem ut morum emen-

dationem ni conducit, æterna in caput nostrum supplicia accersere oportere. Utinam ah! ex linguis illis igneis, quæ Apostolorum olim verticibus institére divinitus, unâ nunc aliqua sim instructus! utinam eodem quo illi spiritu sim hoc loco inflammatus, ad veritatem hanc omnium cordibus insculpendam!

Sic est, Auditores christiani; orbis universi conversio, juge prodigium est, quod nulla unquam infidelitas deleat. Ita visa illa est cunctis Patribus, ac nominatim Augustino, cujus quidem testimonium esse hic potest regulæ loco. Hoc enim argumento Paganos revincere solebat sanctissimus Doctor, cùm diceret; quoniam aliis miraculis, quæ sunt certissima nobis argumenta, fidem derogatis, certè juxta systema vestrum, miraculum unum insigne agnoscere vos oportet, orbis videlicet universi à fœdâ Dæmonum servitute ad Christi Domini cultum, citra miraculum ullum, traductionem. Hoc enim ipsum quod nec est, nec esse potuit, omni miraculo majus esset habendum. Et verò, pergit Augustinus, cui potissimùm causæ ingens illud opus tribuerimus, quàm infinitæ Dei virtuti? non ingenii profectò dotibus; non eloquentiæ facultati. Nam ut fuerint Apostoli tam eloquentes, tam à doctrinis parati & instructi, quàm earum inopes erant, nemo ignorat quid eloquentia,

quid

quid humanæ possint profanæque litteræ, aut potius satis supérque notum est, quàm leve in his præsidium sit, ubi morum agitur emendatio ; & Platonis exemplum, qui, cùm omni Philosophiæ suæ auctoritate, Pagum vel unum legibus suis astringere nunquam valuit, satis ostendit, Petrum Apostolum, gravioribus actum momentis cùm provincias, cùm Regna legis Evangelicæ jugo subjecit. Neque verò proseminata illa per vim atque consita dicatur, primum si quidem documentum traditum Apostolis à Christo, tale fuit ; mittere se illos velut agnos imbelles, luporum incursibus objiciendos. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Id adeò intellexêre illi, ut nullâ vitæ defensione tentatâ, haud secus ac mansuetæ pecudes, confici se siverint & crudelissimè contrucidari. Per armorum vim incrementum accepit mahumetica Religio : per rebellionem Hæresis, per patientiam & humilitatem lex christiana. Nec progressus illic tantus legis hujus suavitati tribui debet, & moralis doctrinæ dissolutioni ; hæc quippe lex rationi quantumvis consona, nihil habet quod animum non deprimat, nihil quod corpus non castiget. Facilè intelligas quî sit factum, ut absque miraculis invaluerit Paganismus, quippe qui faveret apertè humanis appetitionibus ; flagitia nulla non permitteret ; & eam in partem suo-

Luc. x.

pte

pte nutu ac pondere fertur communis hominum natura. Hoc verò quis intelligat, legem, quæ amorem inimicorum, quæ sui-met odium præcipit, tot fautores, tot sectatores habuisse? non debetur ille fidei progressus humanæ mentis inconstantiæ: eò si quidem nunquam perpulit quantumvis cæca mortalium mens, ut sibi vindictâ, ut illicitis sibi voluptatibus interdiceret, ut carnis petulantiam penitus edomaret. Quid ex his consequens est? iterum dico, Deum illum unum, quem colimus, Deum, inquam, omnipotentem, potuisse tale susceptum, faustos ad exitus, quos videmus, perducere, nec immeritò Christum Servatorem, quamquam de se ipse prædicaret, dixisse, *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* *Psal. 117.*

Neque hoc satis est. Dixi, miraculum illud miraculorum omnium maximum esse. Quis istuc in dubium vocet? ac, si peccatoris inveterati conversio, ex Gregorii mente, Deo difficilior, & eo sensu longè mirabilior est, quàm mortui reditus ad vitam, quid censendum de tot populorum ad Deum conversione, qui in Dæmonum cultu nati & educati, tam altas in eo velut radices egerant? planius istuc faciamus. Sunt adhuc in mundo, in mundo, inquam, christiano, homines irreligiosi, homines impii: noti illi sunt vobis: homines fide & moribus athei,

athei, ita obfirmati in vitiis, ut vix satis sint miracula cuncta ad eos inde deducendos. Vos estis cum illis fortasse vitæ rationibus, assiduóque usu nimium conjuncti. Igitur, quæ *dexteræ* vis est *excelsi*, quæ non adhibenda fuit potestas prodigiosa ad Christo lucrisaciendos; non dico flagitiosos & impios homines, sed multò magis obstinatos, & à Christo magis alienos, quorum mutatio non minus prompta, quàm sincera, christianæ fidei decus & ornamentum fuit insigne. Quid dicatis (mentem hoc meam aperiet ac persuadebit id quod miraculum miraculo ipso majus appello) quid dicatis, si verbi, quod vobis annuntio, potestate coactus, unus aliquis ex impiis illis, qui in perditis ac desperatis habentur, resipiscat vestro in conspectu, redeátque tandem ad Deum, atque ita redeat, ut abdicatâ palam impietate, repentè se christianum profiteatur, christianam reipsa vitam instituat? quid dicatis, si post invictam multorum annorum obstinationem, exeat nunc hac concione, intimo affectus doloris sensu, ac certus humili pœnitentiâ, illata per impietatem suam mala resarcire; fingine miraculum potest ad vos permovendos aptius? hoc ipsum autem quod admirationem vestram magis moveat, quàm afficiat pectus, hoc ipsum, inquam, est, quod plus millies contingit apud christianos; nec triumphus ab fide no-

*Psal. 76.*

nostrâ frequentior est relatus, quàm de ferocibus, auris & pervicacibus illis ingeniis quæ sensim in viam disciplinamque suam deducta, tam tractabilia & ad capessendam virtutem tam cerea, quàm pueros effecit. Hæc prima fuit Ecclesiæ soboles, & frustra reluctante tenebrosæ sedis principe, oculis nostris subjecta sunt exempla id genus illustria, cùm Deo visum, *cujus non est abbreviata manus*, referare gratiarum suarum thesauros, eósque in *illa misericordiæ suæ vasa destinata* ad gloriam, largè profundere; exempla, inquam recentia, quorum & testes ipsi fuimus & admiratores haud tardi. Hoc unum cùm dico, non plus dico, Auditores, quàm si persequar nominatim quæ sacris Annalibus consignata sunt, & constantissimâ traditione testata?

*Isai. 59.*

Addidi, (atque hoc mihi validius multò videtur) miraculum illud cætera omnia miracula necessariò subsequi. Etverò, quærit Chrysostomus, & post eum Angelicus Doctor, in Summa sua adversus Gentiles, quæ ratio præter miracula, quorum testes ipsi fuerant, permovere potuit primos Christi sectatores ad legem mundo, carni &, sanguini odiosam amplectendam?, arguit Julianus Augustus inconstantiæ nimiæque credulitatis Apostolos, quasi inconsulte ac temerè Christum Servatorem sint secuti. Sed ut quis ita judicet, inquit Chrysostomus,

mus, tam impium esse oportet quàm sit ipse Julianus? etenim, pergit idem sanctissimus Antistes, an levitatis erat, ad illum se applicare, qui in certum promissorum pignus, & cæcis ab ipso ortu visum, & mortuis quatriduanis vitam restituebat in eorum conspectu? suspicaces ut erant & cupidi, quales describuntur in Evangelio, an caduca omnia posthabuissent Christum ut sequerentur, ni fidem apud ipsos invenissent ejus miracula; & poterant illi, dum ea coram intuerentur, à doctrinâ, quam traderet, amplectendâ temperare? relicto illo turpiter, imò abjurato inter acerbæ necis primordia, rediissent desertores ad signa; gessissent se pro ejusdem commilitonibus ac discipulis multò apertius quàm antea, ni Christi reditus in vitam insignis & contestatus, eorum, ut Hieronymus loquitur, fidem velut sepultam suscitasset? Juvissetne dari in vincula, vexari, agi in crucem, ut essent gloriosæ hujus resurrectionis testes, ni talis miraculi clara & aperta veritas dubitationes eorum omnes discussisset? Unde tam subita Pauli, Christum persequentis, in Evangelii præconem transformatio? potuitne miraculum edi tam illustre, citra miraculum aliud; & Judaïcæ legis tam vividus defensor, tam ardens *paternarum traditionum æmulator*, fuissetne earumdem unquam desertor, ut illius sectator fieret disciplinæ, cujus ruinam *Galat. 1.*

mo-

moliebatur, ni Deus, quà Damascum iter habebat, equo dejectum, sacróque perfusum horrore, in novum prorsus hominem commutasset? nonne ipse fatebatur in Synagogis, Christo se adhærescere compulsum, ne cælesti, qua circumfusus fuerat, luci, fulmineæque voci, quam inaudierat, obsisteret. *Actuum 9.* *Saule, Saule, quid me persequeris?* Annon indidem haustum studium illud quo flagrabat, mactandi se & perpetiendi quidlibet illius causâ, cui fuerat tam graviter infensus? ad hocne simplicitas illum impulit inconsulta? an mens quibusdam occupata præjudiciis? an utilitatis spes proposita? ate enim Paulum longè aliter affectum fuisse liquet, tùncque nihil præter scelus anhelantem, veteri legi, cujus præceptus erat defensor, non potuisse eripi, novæque, cujus eversioni studebat, lucrifieri minore conatu, quàm prodigioso illo atque divino, quo est prostratus ac victus. Stupemus, cum de Petro Apostolo legimus, Judæos tet mille concione ejus primâ, post sancti Spiritûs descensum, fuisse ad Christi Servatoris fidem adductos; sed nihil inest in eo, inquit Augustinus, quod valde admiremur. Videbant illi hominem, præter piscatoriam artem, quam factitabat, rei nullius gnarum, maximè abdita Regni cælestis mysteria doctè explicantem, loquentem ore gentium omnium, &, quod miraculi genus erat hactenus

ctenus inauditi, eo sermone utentem, qui tot simul intelligeretur, quot ex cunctis orbis partibus dies solennis in Urbem exciverat. Quæ res à Lucâ prodita est, & eo tempore prodita, quo, ni de ejus veritate constitisset, nunquam esset ausus evulgare; quoniam non unus duove testes inficias issent, sed orbis terrarum penè universus. Quoniam innumeri, ex ipsâ Judæorum gente, ipsius æquales, facilè potuissent Evangelistam falsi convincere; quoniam ipsius impostura fidem ei ademisset omnem, & eam ipsâm Religionem in invidiam vocasset, cujus excellentiam ac sanctitatem notam facere studebat. Hoc, inquam, posito miraculo, quid istuc tam mirum est, si tot Judæi christianam legem ultrò amplectuntur; &, an contrà non magis mirum videri debeat, in tantâ populorum multitudine, tam cæcos aliquot & obstinatos repertos esse, ut in suâ incredulitate permanerent? vix mens & cogitatio nostra capere potest, quî tot mortales Apostolus Paulus è Gentilium superstitione traduceret ad Christi cultum. Verùm cùm ad Ethnicos verba faceret, nónne divino sermoni miracula semper addebat insignia, quæ velut tessera quædam forent, & *Apostolatûs* sui *signaculum.* Nónne id testatur ipse ad Corinthios scribens, monétque ipsos ut recordentur opera mirifica patrata Corinthi in eorum oculis? 1. Cor. 9.

oculis? si commentitia fuissent miracula illa, an ita esset eos allocutus? qua id fiduciâ facere audeat? an eos ipsos, an conscientiam ipsorum appellet, ac mendacio ministerii sui minuat auctoritatem, & imprudens destruat, quod velit ædificatum? quæritis quibus vinclis Augustinum tam arctè sibi devinctum Ecclesia teneret? annon miraculis magnâ ex parte, quod confitetur alicubi; &, an aliis opus habuit quàm quæ oculis ipse suis usurpaverat? non fuit instar omnium insigne illud editum Carthagine in personâ christiani cujusdam, subitâ Srephani protomartyris ope, sanati, cujus Augustinus spectatorem fuisse se testatur, dum rem gestam accuratissimè describit in libro de Civitate Dei. Ut fuisset ad eam usque diem fide non admodum firmâ, non debuisset hoc unum in omnem vitam eum confirmare? dicemus Augustinum mente fuisse non satis sanâ, qui, quæ non videret, videre se crederet? impostorem dicemus, qui fabellis amaret anilibus hominum illudere credulitati? at quoniam utrumque absurdum est, quidni cùm Vincentio Litinensi colligamus, quemadmodum orbis conversioni miracula conduxêre, ita conversione orbis miracula firmissimè comprobari.

Quo loco, christiani Auditores, non possumus summam Dei sapientiam ac providentiam satis suspicere atque admirari, qui my-

mysteria ab humanâ ratione remotissima noluerit credi à nobis, nisi post edita ab ipso, quæ naturæ vires longè multúmque superarent. Nobis enim illa mundi conversio, tot nixa miraculis, miraculum est non æternum modò, sed & miraculorum omnium, quorum exitus est & effectus, aperta probatio. Quæ cùm ita sint, his Deum verbis, quæ sunt Richardi à Sancto Victore, meritò nobis compellare liceat. *Domine, si error est quem credimus, à te decepti sumus.* Quid ita? *quoniam*, ut subjungit idem scriptor, *iis signis prædita est illa Religio, quæ non nisi à te esse potuerunt.* Ita se res habet, christiani Auditores; at illa ipsa miracula venient in partem judicii nostri: pudorem imponent coram Judice Deo: sed in iis præsertim miraculum maximè insigne, orbis videlicet universi ad Christi fidem traductio. Ethnici illi, illi Idolorum olim, dein veri Numinis cultores, insurgent in nos, partes agent accusatorum: *viri Ninivitæ surgent in Judicio.* Quid sunt autem contra nos dicturi? ah! quid non dicant hi, & quid nos ipsos jam dicere in nos ipsos non convenit? etenim si nos nobis paulùm æqui fuerimus, summo non dico pudori, sed & formidini nobis esse debet, fidem illam tam efficacem olim, nunc tam languidam, tam otiosam, inter densissimas Idololatriæ tenebras, in tantâ scelerum colluvione, tantam peperis- *Matth. 12.*

se morum sanctimoniam, nec posse jam impetrare à nobis, ut vel levissimè mores emendemus; ut ad breve tempus redeamus cum Deo in gratiam; ut breve cum vitiis divortium faciamus. Si nobis lux adhuc aliqua suppeditat, christiani Auditores, non terrere nos debet hæc cogitatio? fidem illam, per omnes hujus universitatis partes tam stupendo constitutam progressu, nondum firmas in nobis radices egisse? ore & verbis eam confitemur: signis eam nonnullis indicamus: cultu sumus & externis cærimoniis christiani; at nunquid corde & animo? in corde autem fides residere potissimùm debet, inde ut exeat in manus, & operibus nostris omnibus pretium addat.

Quàm amplam nobis tacitæ reprehensionis materiam datura est hæc cogitatio, ni planè sint extincti in nobis cælestis gratiæ sensus; fidem illam, humanas omnes vicisse potestates conjuratas in se, nec potuisse adhuc vanas quasdam in nobis difficultates perrumpere? quid enim nos moratur ac retardat? vesana appetitio, sordidi quæstûs & honoris tuendi acrius studium, voluptas fluxa, difficultates, quas mens auget nostra, nec superare fides illa, quamquam victrix, valet? quàm ampla damnationi surget seges, istuc *in amaritudine animæ meæ si recogitare* libeat, ac retractare me-

*Isai. 38.*

mecum, fidem illam sustinuisse se, imò inter accerrimas invaluisse persecutionum procellas, & per me quotidie cogi vanis cedere tempestatibus, quas in mea persona mundus in eam excitat, puta verbi, joci liberioris aculeis, humano respectui, aut inertiæ potiùs meæ? en quippe vitæ meæ intemperies ac probrum. Si eo essem animo, ut contemptis mundi rumoribus, planè concederem in partes virtutis, à multis jam annis essem in gratia cùm Deo. At quoniam mundi vereor ac metuo censuram, nec possum id à me impetrare ipsi ut displiceam, hæreo ibi deses, fidémque peccati compede fœdè vinctam, etiam invitus, teneo. Ah! quam apud te, Domine Deus, excusationem adhibebo, cùm ostendes, fidem illam, quæ cunctos Idololatriæ ac superstitionis elisit errores, expellere atque exturbare nondum potuisse, nescio, quot falsa principia ac dogmata, quæ mentem meam penitus occuparunt? qua utar defensione, cùm docebis, fidem illam quæ Cæsarum superbiam Crucis humilitati subjecit, mundanam hanc vanitatem, arcanam hanc ambitionem, vitiosum hunc mei ipsius amorem, qui ruinæ meæ causa prima fuit, ex animo meo extirpare nunquam potuisse? denique quid dicam, cùm demonstrabis, fidem illam, quæ sanctissimis suis legibus mundum emendavit ac correxit universum, non valuisse, qui

penes me est, pusillum quemdam mundum, mihi multò pernicioſiorem, quàm ſit externus ille mundus, qui nos ambit, emendare? eritne in me, quo harum accuſationum pondus ſuſtineam? an eas refundam in te, Domine DEus? an fidem ipſam accuſabo? dicam, non ſat altas in me radices egiſſe; non ſat de illà mihi fuiſſe perſuaſum, ut ea permoveri me ſinerem? fortaſſis ah! jam eò prorupit infidelitas noſtra, tali ut ſe prætextu, quaſi præſidio munire ac tutari ſtudeat. Sed ille idem prætextus gravioris culpæ reos nos faciet; Deus enim infidelitatem nobis noſtram ob oculos ponet velut prodigium, quod opponimus chriſtianæ fidei miraculo. Prodigium non jam divinum, ſed humanum ac noſtrum; de quo ſupereſt ut in altera concionis parte dicamus.

PARS II. INfidelem eſſe, nec ullam unquam habuiſſe fidei chriſtianæ notitiam, ſors hominis eſt, quæ, quantumvis funeſta ſit & calamitoſa, nihil habet tamen, ſi rectè intelligatur, quod valde mirum ac prodigioſum videri debeat. Ita infidelitas, inquit Chryſoſtomus, in Ethnico poteſt eſſe cæcitas, eaque culpanda; at cæcitatem illam, tamerſi culpandam, prodigium eſſe non ſemper dixeris. Igitur ut rectè percipiatur infidelitatis prodigium, proponi ac ſpectari illud debet in homine chriſtiano, qui, pro variis, quibus abri-

abripi se sinit, appetitionum formis, aut fidem abnegat, aut corrumpit, aut cum eâ non consentit, cum eâ pugnat. Fidem abnegat, credendi licentiâ, quæ facit ut jugum excutiat illius, & sensim ea nascitur in ejus mente. Fidem corrumpit, arcano, aut aperto etiam, errorum, qui ei adversantur, studio, præsertim hæreseos ac schismatis, quæ, dum eam divellunt ac scindunt in partes, eidem sinceritatem & integritatem suam necessariò detrahunt. Non consentit cum fide, cum ea pugnat, intemperatis videlicet moribus, qui eam inhonestant, vitaque licentiore, quæ in illius opprobrium cedit, & aliorum offensionem. Quæ tria in homine christiano eodem & vitioso, monstrosi quiddam habent, & à me propterea non jam mala simpliciter, sed malorum prodigia vocantur. Tergemina vivendi conditio, in qua, vel si id unum spectetur, quod prodigium apertum haberi potest ac debet, invictas Deo damnationis causas homo suppeditet. Tria hæc, quæso, cognoscite. Atque ut exordiar ab eo, quod gravius est, scandalique & majoris offensionis ansam aliis præbet, licentiam illam dico credendi, quæ abit in morem, & posita est in eo, ut fidei quis nuntium remittat; an non mirum est, homines reperiri christianis legibus imbutos ab ipso ortu, qui videri volunt aliis in omnibus & eruditione & prudentiâ præditi,

prolabi ad impietatem, abjicere fidei jugum interius, & ita quidem abjicere, ut impietatis causam ipsimet ignorent, certè nullam proferre valeant, non dico solidam & probabilem, sed ejus naturæ, ut vel ipsorum etiam stomacho ac judicio satisfaciat? fidem illam, cujus charactere per baptismum sunt infigniti, & per quam Christi gaudent cognomine; fidem illam, si quidem vera est, tam necessariam, & ex qua, ipsis etiam judicibus, salus pendet æterna; fidem illam, per quam unam, quod eos non fugit, veniam sperare eos oportet à Deo, si qua illis veniæ spes affulget; fidem illam, ex qua se, si judicium illis aliquod est subeundum, judicandos fatentur, nonne, inquam, permirum est, eos fidem illam abjicere? quonam autem modo? cæcorum & amentium ritu, nullo examine prævio, nullâ rei cognitione, mentis æstu, cupiditatis vi, levitate, inconstantiâ, vanâ ostentatione, pudendo fœdarum libidinum studio, sapientiam præferentes vix puerilem in re tali ac tantâ, in qua sempiterna sors vertitur. Quis hoc capiat? ea tamen est hoc seculo calamitosa flagitiosorum penè omnium & impiorum hominum ratio. Inspicite propius vitam ipsorum, & recognoscetis illos ex iis signis quibus eosdem descripsi. Etenim si eorum quispiam post maturam deliberationem, longamque mentis contentionem, omnibus,

quan-

quantùm fas illi est, ritè, suisque ponderibus expensis, statueret tandem fidei castra deserere, indolerem utique ipsius calamitati, & haberem istuc pro pœna longè gravissima, quam Deus hac in vita sumere de eo possit, quum, teste scripturâ, gravius nunquam plectat, quàm cùm cœcas hominum mentibus tenebras offundit: *excœca cor populi hujus.* *Isai. 6.* Verumenimverò nihil haberet ea res valdè prodigiosi; etenim vel in ipsâ ejus cæcitate resideret adhuc fidei bonæ particula quædam, qua fieret, si non veniâ, certè commiseratione aliquâ dignus. At ij, cum quibus est mihi nunc sermo, eóque in numero censeri velim plerosque nostræ hujus ætatis impios, quos inter agere nos est necesse, satis intelligunt, non eâ se via pervenisse ad summam impietatem ac licentiam, & consilium de fide deserendâ initum ab illis, non fuisse tardæ lentæque deliberationis fructum. In quo aliunde (sinite me id animadvertere obiter) quamquam excusationem nullam habeant apud Deum, perfugium tamen illorum, ac veluti solatium quoddam sese mihi ostendit, cùm saltem constet, vitæ licentiam & impietatem nullis fultam rationibus ac principiis, facilius excuti, quàm quæ, ex ratiunculis ac sophismatibus, in privatam opinionem & consumatam impietatem coaluit. Ut ut est, infidelitas quam hîc impugno, & videtur magis vulgaris, inficiari nequit,

habere se hoc proprium, ut apertè temeraria sit & rationis inops. Etenim si impium sciscitaris ac roges, cur credere desierit quod olim credebat? videbis, num in ejus defensione solidi verique species aliqua reluceat. Quære ex ipso, num diu multúmque ratiocinando, demonstrationem aliquam novam adinvenerit, contra fidem quam loquenti Deo tribuendam olim duxerat; percontare rursum & coge respondere ex animo, an res perpenderit, an verum investigando mente purâ ac defæcatâ, ita se tandem comparaverit, fas ut illi esset ejus lumine collustrari; num eos adhibuerit in consilium, qui errores ejus depellere possent, & dubitationes eximere. Num volutarit uterum Patrum monumenta super his quæstionibus, quæ non sunt ipsius stomachi, quoniam eas non percipit, nec id agit, eas ut percipiat; num seriò in intimas quæstionum difficultates sit ingressus; denique nihilne unquam prætermiserit eorum quæ facere convenit in tali causâ hominem bene sanum & judicii limati, ad verum falso dignoscendum. Percontare, inquam, hæc omnia, respondeátque non fictè, & fatebitur, se in exquirendâ veritatè, tam acrem curam, tam diligentem operam non posuisse. Atqui nihil non horum factum oportuit, priusquam audaci gradu fatales lineas transiret, revulsísque fidei repagulis subduceret se ipsius imperio. Subduxit

xit illi se tamen, Auditores christiani, idque labore multo leviore. Animum induxit non amplius credere, & induxit sine argumentis quæ convincerent, temerè, incogitans, futuri securus, nihil habens in horridâ illâ voragine, in quam ruebat præceps, anchoram ubi figeret. Hoc ipsum est utique quod prodigium appello. Quot sunt autem è mundanis hominibus ad quos attinet hoc prodigii genus? atenim, inquies, quando rationem impietas illa auctorem non habet, qua viâ eò perversitatis & infidelitatis pervenit homo Christianus? pervenit ah! christiani Auditores, iterum dico, pervenit eò perversitatis, mille modis, qui cum sapientiæ legibus omnino pugnant, & eò magis habentur à me prodigiorum totidem loco, quòd à recta ratione longius illi discedunt. Fidei suæ nuntium remittit; quî? istuc cognoscite, christiani Auditores, nec probationem aliam expectate, præter experientiam vestram & quotidianum usum, qui vobis cum mundanis hominibus intercedit. Fidei suæ nuntium remittit, vias ut sequatur nulli ante tritas; ut ridiculè gloriari possit, se non sentire cum cæteris; ut dicat audita non prius; ut cunctis mortalibus oppedat; ut Religionem animo sibi fingat suos ad mores compositam; Numen cæleste suum ad sensum; providentiam arbitrariam, & qualem imaginari libido fert;

syste-

ſyſtemata comminiſcens, quæ vel architectatur, vel evertit, pro cupiditatis, qua tunc tenetur, ratione; opinionum ſuarum commenta ſequens cæco curſu, & ſæpius ſequendo, id perficiens tandem, ut nec quid credat, nec quid non credat ſatis ipſe norit; hodie repudians quod heri defenderat ut ſuum; atque ut Dei ipſius cenſorem agat, non jam conſentiens ſecum. Fidei ſuæ nuntium remittit, ex ſuperbiæ ſenſu, ſed ſuperbiæ ſibi non conſtantis; Deo loquenti rationem ſuam addicere non ſuſtinens, cùm ponat in virtutis loco, imò neceſſitatem ſibi imponat, ex hominum ſermonibus quotidie pendendi; indigere ſe confitens in negotiis compluribus terrenis, alieno ductu, cùm in cæleſtium rerum inveſtigatione, viam ſibi ſatis ſapere videatur, ut ducem præter ſe non admittat ullum; atque, ut loquar cum Hilario, inſcitiam ſuam agnoſcens in minimis naturæ arcanis, de divinis ac reconditioribus fidei myſteriis audacter pronuntiat. *Æquanimiter in terrenis imperitus, & in Dei rebus impudenter ignarus.* Fidei nuntium remittit, ex utilitate pariter ac deſperatione; quoniam illi moleſtè fides obſtrepit ſua, quoniam voluptates interpellat, conſilia diſturbat, reprehendit facta injuſtè, nec alio pacto acres valet remordentis conſcientiæ ſtimulos frangere; malens fidei planè expers vivere, quàm habere quæ dies noctes-

noctésque immitem in se censuram exerceat, quæ condemnet. Ac per rationis intemperiem, quæ peccatum solet sæpius subsequi, res sibi tales esse persuadens, non quales sunt reipsa, sed quales optat, & utilitas ipsius poscit; quasi sit in ejus potestate, ut existant illæ vel non existant, & ex utilitatis ipsius ratione veritas illarum, aut falsitas pendere debeat. Fidei nuntium remittit, ex anticipata opinione, cunctis aliis in rebus videri volens ab omni vacuus præjudicio, cùm nulla non in re, quæ pertineat ad Religionem, vitio illo laboret; à nulla abhorrens quantumvis incredibili & absurdâ philosophi recentis opinione; cùm aliquod Ecclesiæ decretum agitur, ad illud perstringendum & proculcandum naturâ suâ semper propensus ac paratus; semper metuens, ne facilior, nunquam metuens, ne sit remissior ad credendum; removens à se ea super te, simplicitatis suspicionem, ut vitium, gravioris alterius vitii, hoc est pertinaciæ, admodum securus. Uno verbo rem ut absolvam, ab eo declinans tanquam à pusilli abjectíque animi notâ, quod nonnulla, quoad fidem, pars fuerit æquitatis; mentísque robur interpretans, quod obstinationem appello fidei contrarium. Nam ut plura dicere supersedeam de aliis, quæ ad hæc revocari possunt, impietatis generibus, sic quotidie pervenitur ad infidelitatem, sic amittitur

fides.

fides. Amplius dico, fidem impius ille deserit nullâ ratione adductus, sed quod mirum magis videatur, adversante etiam & repugnante ratione; ac, cùm Abrahami sanctitas accreverit ex eo maximè quòd crediderit contra fidem, quòd speraverit *contra spem* ipsam, sic hominis impii, ex eo quòd desciscit à fide, quod fidem deserit contra rationis, prudentiæque ipsius ductum, fit cumulatior improbitas. Fides enim illa quam profitemur, motivis, ut vocant, innititur, & argumentis, quæ sumpta seorsim, possint utique nobis esse supremæ cujusdam rationis loco; sed collecta in unum, simulque sumpta, divini quiddam in se continent. Etverò tam valida visa illa sunt, ut iis sapientissimi mortalium permoti atque impulsi fuerint ad credendum. Quid agit Impius? callum animo sibi obducit; motiva illa & argumenta verbis elevat, detrectatque malignè. Ponamus exemplum in miraculis, quando in iis concio nostra omnis vertitur. Ostendis, christianam fidem miraculis insignibus fuisse confirmatam. Ea falsi insimulat, testésque omnes, qui ea litteris prodidêre, & eorum se testes oculatos profitentur, & affirmant. Ac quoniam fuêre in iis miracula quædam maximè contestata, de quibus solis & ago, & agere oportet Evangelicum præconem; miracula, inquam, notæ melioris, quæ velut ordines ducunt, & christianæ

stianæ Religionis firmissima sunt fundamenta; miracula, quæ vel ipsi recognoscunt hostes fidei, argumentis probata omnibus, queis fidem & auctoritatem habere factum aliquod potest, & coargui nequeunt, ni ponantur tanquam certa, quæ nemo sanus dixerit; Evangelistas, v. causâ, fuisse impostores & insanos. Impostores, qui conspirarint in fraudem nostram. Insanos, qui ut impostruram suam defenderent, ad exquisitissima dare se supplicia non dubitarint. Paulum Apostolum viâ damascenâ falsò sibi visum de cælo percuti & affligi ad terram, imponi ab eo, aut Corinthiis potius illudi, cùm jubentur redire in memoriam miraculorum, quæ fuerant ab ipso coram iis edita; fuisse Augustinum mente imbecillem, qui populari & ipse superstitione captus, vidisse se Carthagine putaret ac testaretur, quod re quidem ipsa non viderat. Quoniam, inquam, sunt hujus generis miracula, nec eorum aliter vim eludat impius, quàm opinionum tam absurdarum commentis; eas admittit quantumlibet incredibiles & absurdas; eas adoptat: quod pudeat dicere, cogitare non pudet, &, quod canâ vetustate ac sanctimonia probatissimi quique credidêre auctores, audacter inficiari. An res ulla portenti ac prodigij nomine dignior? usq; adeone, Domine Deus, impietatis tabo depravari mens hominis credenda, & quo tempore

à te

à te avertitur, in tam densas tamque horridas tenebras immergi ? argumentum hoc si, quàm latè patet, persequi velim, finem non inveniat oratio. Quod ad alterum prodigium attinet, leviter tantùm attingam ; fidei dico corruptelam, arcano vel etiam aperto errorum, qui cum ea pugnant, studio, ac nominatim Hæreseos. Qua in abyssо fatebatur olim Tertullianus hærere se, quoties illam & divina judicia scrutari vellet. Qua tamen in abyssо dicere ausim non visa illi flagitia quædam, quæ sese indidem non extulere nisi multò post. Etenim Hæresi non spectata in se, quæ priscis Patribus ceu monstrum quoddam visum est ex iis omnibus conflatum vitiis, quæ mentis humanæ pravitas procreare ac gignere ex sese valet ; satis mihi sit post doctissimum hujus ætatis Cardinalem animadvertere hoc loco, è tot christianis, qui fidem suam postremis his temporibus siverunt hæreseos veneno corrumpi, vix paucos aliquot repertos, quos bona sua fides excusset, non dico apud Deum, sed apud homines ipsos, atque adeò quorum apostasia prodigii genus quoddam meritò numeretur. Satis mihi sit, si per temporis angustias liceat, è Catholicis innumeros vobis ostendere, qui imperitam multitudinem sequuti, abreptique torrentis impetu, transibant in castra Calvini ; illi doctrinâ nondum cognitâ, nec de rebus, quæ in controversiam vocantur, enodandis

dandis & explicandis valde solliciti; hi, cùm de novellæ doctrinæ falsitate esset fortassis omnino persuâsum. Quot enim tunc reperti, quibus Calvini de hominum reprobatione dogma quamquam horrori esset, illius tamen partes acri studio defendebant. Quod si quærere libeat, cur ergo ad eum se doctorem applicarent illi. Cur? aliud prodigii genus est non minus stupendum. Respondeam enim, testésque in id essent historiæ omnes, solitos eos agi maximè indignis & injustis rationum momentis. Alios ex quadam animi acerbitate, occultóque in Ecclesiam & ejus opiniones odio. Fuissent illi haud dubiè Ario vivente, Ariani: Pelagio, Pelagiani: alios, privatis quibusdam simultatibus, veritatem tantùm impugnantes, quoniam tuebantur illam ipsorum adversarii; eandem certi defendere, si quos habebant in hostibus, eam impugnare essent agressi: rapti eò nonnulli fœdæ utilitatis, multi partium studio: hi ex malignâ curiositate, utque fœderatis & ipsi ascisceretur, illi, ex misera ambitione, atque ut essent novæ militiæ duces & quasi signiferi. Principes; profanis politicisque rationibus adducti, & quoniam è rebus id suis esse ducebant; minores, cogente necessitate, & quoniam pendebat è dynastis ipsorum fortuna: matronæ nobiles, per vanam affectationem doctrinam & ingenium ostentandi; viri magis vano in easdem obsequio, ut Religionem

illi suam ad earum etiam nutum fingere & accommodare non dubitarent: qui mediocri erant ingenio, ut existimationem colligerent, quæ novitati solet adhærescere, qui mentem sortiti fœliciorem, ne in odium incurrerent novatorum, & venenatis eorum telis peterentur: amici ab amicis, propinqui à propinquis deliniti atque pertracti; vulgus, haud aliâ ratione, quàm quòd eò passim ibatur ab omnibus, & mos ita ferebat; pro se quisque, suæ ut indulgeret cupiditati: non sunt cuncta hæc, Auditores, in prodigiis ponenda, in ipsque prodigiis, quibus & ipsa fides nostra concutiatur, ni nos cõfirmet Pauli prædictio, & multò ante tentatione tam gravi provisa, monuisset, hæc non solùm terris ostendenda portenta, sed & necessaria esse ad Electorum discrimen. *Oportet hæreses esse, ut, qui probati sunt, fia manifesti.*

1. Cor. 11.

Sed ne diutius in his immoremur, christiani Auditores, eo in prodigio concio nostra desinat, quod ad nos attinet, nec jam sistum est aut in abdicatione, aut corruptelâ christianæ fidei sed in funesta, quæ inest nobis, fidei morúmque distantiâ. Nimirum christiani sumus, & vivimus Ethnicorum ritu; fidem habemus animo tenus & cogitatione; ratio nostra omnis infidelitatem meram redolet; aliter agimus, aliter sentimus. In reliquis facta nostra pulchrè consentiunt cum opinionibus ac sententiis nostris,

stris, amamus, odimus, adversamur, sequimur, patimur, aggredimur pro intelligentiæ nostræ vi ac modo. In iis solis rebus, quæ ad salutem animæ pertinent, per summè deplorandam perversitatem, refugimus ab eo, quod summum bonum nostrum judicamus, quod, vel nobis judicibus, summum malum est, sectamur; violamus, quod cultu dignum credimus, colimus quod contemptu; abhorremus salutis nostræ præsidia; deperimus, quæ certæ sunt exitii nostri causæ. Si re, quemadmodum & nomine, christiani simus, vita nostra, inquit Hieronymus cum fide congruens, juge quoddam miraculum videri possit, at prodigiosi nihil habeat. Si paganam religionem, citra fidem in Christum, profitentes, toti simus in curando corpore, in demulcendis sensibus toti, quantumvis perdita sit ac profligata salus nostra, nihil flagitiosa vitæ nostræ ratio habeat pravæ naturæ propensioni non consentaneum. Atenim credere, morésque præferre infidelium, hoc utique est, quod prodigium appello. Prodigium tamen, quod non agnoscunt impii, dum vitam contendunt & fidem inter se jugatas ac connexas; semper mores similes esse fidei, fidem moribus ut flagitia sua, quasi pro suo jure, in persuasionis defectum, nunquam in malitiam suam rejiciant. At non valde operosum est, errorem hunc eripere illis, cùm difficilius non sit, contra fidei, quam habeas,

agere quiddam, quàm contra rationis ductum. Id autem ipsis, quod & ultro fatentur, non quotidie usuvenit? faciamus ah! christiani Auditores, faciamus ut cesset tam domesticum, tam familiare prodigium. Consentiamus nobiscum ipsi. Consentiant mores cum fide quam profitemur. Quid alioqui non metuendum nobis ab ea fide profanata, læsa, contempta? veniat illa in pœnitentiæ nostræ partem, si ab hujus exercitiis descivimus; si in illius sumus salubre curriculum regressi, aut si nunquam eò sumus egressi, adjuvet illa constantiam nostram. Divinæ lucis, qua nos collustrat, ductum subsequamur; neu nos cupiditatibus cæcisque carnis appetitionibus fœdè mancipandos prorsus illam extinguamus.

Humanæ sortis arbiter, Deus, sunt ah! queis noxas nostras castiges; non una in justitiæ tuæ thesauris flagella. Feri, Domine, feri, ac si cunctis necesse est temporariis calamitatibus nos premi, meritis, ne parce: at fidem, traditum à te munus, sinceram & integram, bonus, conserva. Neque hoc satis est. Acue, excita, revoca fidem illam languidam, depositam, imò, opera bona si desint, emortuam fidem, tantùm in nobis, & quantùm vivet, in eâ & per eam vivemus; nec aliò nos, quàm ad sempiternam cælestium beatitatem, perducet.

Amen.

IN

# IN FERIA QUINTA PRIORIS HEBDOMADÆ

# CONCIO.

## DE PRECATIONE.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa; clamavit dicens ei: miserere mei, Domine fili David; filia mea malè à Dæmonio vexatur. *Matth.* 15.

SI se summa precationis vis ac potestas unquam ostendit palam & apertè christiani Auditores, in exemplo certè illo, quod oculis hodie nostris objicitur, in quo Deum ipsum, ut cum Ambrosio loquar, videre licet rei novitate commotum, admiratione stupefactum. Deum tartareas potestates subigentem, fugantem, miracula patrantem; virtutem suam omnem exerentem peregrinæ mulieris gratiâ, quæ ipsius opē dum implorat, dum orat, dum precatur, à veri

Numinis cultu quantumvis aliena, orare ac precari, exemplo nos suo, docet.

Matth. 15. Deum dico rei novitate commotum, admiratione stupefactum. *O mulier, magna est fides tua!* Ita Christus ipse, ac non videtur Chananææ mulieris fides, & precationis ardor habere quiddam, quod mirum illi accidat ac novum?

Deum dico infernas opes frangentem, miracula patrantem? quid ab eo fœmina sibi illa poscit? nimirum ut gnatæ corpore dirum hospitem exturbet; unóque & eodem verbo Christus Servator non crudeli solùm dæmonis tyrannide filiam liberat, sed

Ibid. & sanctitatem matri impertit. *Fiat tibi sicut vis.* Nihil ergo precatione potentius est apud Deum, nihil efficacius. Attamen unde fieri dicemus, Auditores christiani, ut vota Deus nostra tam rarò secundet? ut preces fundamus non exaudiendas? ut poscamus, quæ non auferimus? hoc ipsum est utique quod expendere libet hodiernâ die, & erit concionis hujus argumentum. Res est longè gravissima, & consideratione singulari digna. Docendi quippe estis scientiam omnium excellentissimam; docendi estis, ritè uti potentissimo salutis præsidio; tradenda vobis ars inæstimabilis planéque divina flectendi Dei pectus, cælóque pretiosissimos gratiæ thesauros in nos deducendi. Ut hoc precationis donum impetremus, utamur precatione

catione ipsâ, Deúmque, per Virginem deiparam, propitium nobis faciamus. *Ave Maria.*

DE summâ precationis efficacitate apud Christianos, Theologòsque omnes maximè firma est ac stabilis opinio. Vis est illius tanta, inquit Chrysostomus, ut hominis verbum æque potens, imò etiam potentius quàm Dei Verbum fieri per eam posse videatur. Æque potens: nam ut aspectabilem hunc mundum verbo condidit DEus, *dixit & facta sunt*, ita mortalium quisque, *Psal. 148.* si modò loqui, si modò orare valet, nihil non impetrat. *Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Potentius quodammodò, *Joan. 15.* nam Dei jussa facessunt res creatæ; homini loquenti Deus ipse dicto est audiens. *Obediente domino voci hominis.* *Josuë 10.* Queruntur quotidie apud nos christiani, quod inutiles sint parúmque fructuosæ preces, quas fundunt ad Deum. Ego verò istuc non miror. Quo enim sensu dicimus, precationem non carere suo effectu? si sancta videlicet ac pura illa sit; si in eâ instituendâ non discedimus à conditionibus datis à Deo, legibúsq; præscriptis, cùm fidem obligat nobis suam. Hæc autem ipsa sunt quæ in precibus nostris sæpe desiderat Deus, ac requirit. Imperfectæ sunt & quoad materiam & quoad formam, hoc est, quoad rem ipsam & mo-

Jacob. 4. dum. *Petitis & non accipitis*, ait Jacobus, *eò quòd malè petatis.* Licet & mihi apud vos verba facienti, christiani Auditores, eandem querelam integrare. *Petitis, & non accipitis eò quòd malè petatis.* Etenim non flagitamus à Deo quæ jubet is à se flagitari; primum precationis nostræ vitium, quod & illius materiam spectat. Non flagitamus qua ratione nos & modo flagitare vult; alterum precationis nostræ vitium, quod & formam, seu qualitatem illius spectat, Chananæam imitemur in precando. Nihil justius quàm quod à Christo contendit: orat ut natam dæmonis, quo tenetur, servitute liberet. Precatio nulla dignior quæ exaudiatur. Continet quippe ea cuncta, quibus capi ac permoveri Christi pectus potest, Chananæam, inquam, imitemur in precando; preces alioqui nostræ omnes infructuosæ ac steriles sunt futuræ; quid ita? aut quia non petimus quæ petenda; aut quia non petimus qua ratione petere nos oportet; præceptiones has duas, dum suâ luce omni donare studeo, attendite, & fructum ex iis, quem potestis, percipite.

PARS I. AB ipsâ rerum conditione, quas Deum homines poscunt, precationis natura potissimùm pendet, ipsiúsque adeò meritum, efficientia, virtus. Hinc ordiri nos oportet, inquit Chrysostomus, si recognoscere

scere volumus veram causam, cur preces nostræ parum apud Deum valeant, ac vanescant plerumque. Atque hoc primum est Chananææ mulieris documentum. Animadvertite enim, quæso, liceatque mihi mentem ita meam declarare; cùm prostrata ad Christi pedes mulier roget, filiam ut eripiat Dæmonis servitute, nos longè aliter animati, quod dæmonis, imò dæmonum multorum dominatum in nobis ac regnum fovet, à Deo quotidie postulamus. Non hoc satis est ut intelligatis, cur peregrinæ mulieris preces, edito etiam miraculo, Christus exaudiat; contrà Deus plerumque votis precibúsque nostris aures obstruat? accipite hæc animis, Auditores christiani; sunt enim dogmata quæ mox evoluam, Prædestinationis vestræ mysteria longè gravissima.

Ajo, petere nos à Deo, quæ dæmonis in nobis dominatum fovent ac Regnum; quomodo; quoniam Deum dum precamur, petimus aut saluti nostræ pernicioſa; aut bona merè terrestria, salutíque nostræ supervacanea; aut gratiarum etiam auxilia, sed quæ, prout illa intelligimus atque optamus, seducere magis & à rectâ salutis semitâ transversos agere, quàm ad præceptam sanctimoniam provehere nos valeant. Lucem, quam res tanta postulat, operæ pretium est afferre.

Precamur à Deo ſaluti noxia : atque hic eſt obex, quem divinæ miſericordiæ opponimus, & benignos illius ſiſtit curſus. Nolite enim exiſtimare, chriſtiani Auditores, quoniam Chriſti fidem profitemur extrinſecus, mores noſtros vitamque omnem à paganorum erroribus minus propterea diſtare. Fuit autem id inter alia paganorum, ſi paganis ipſis fides, vitium, ut à diis poſcerent ſuis, quid ? quod non auſi eſſent virum honeſtum ac bonum poſcere : quod citra ruborem palam & apertè non poposciſſent in templis : propinqui, verbi causâ, mortem, cujus hæreditatem expectabant; mortem competitoris, cujus gratia aut virtutes obſtabant & officiebant ipſis ; patria pupilli bona, queis ſpoliare illum ſtudebant; queis cupiditatis oculos adjecerant. Hæc erant eorum vota, quibus ne ſuum & pondus deeſſet, omnes ſuperſtitioſi cultûs cærimonias addere, cumulare donis altaria, mactare victimas, ritè ſe abluere ſolebant. Dementer illi quidem & inſanè, ut nobis videtur; atenim dum ethnicorum facta damnamus, chriſtiani Auditores, non damnamus & noſtra ? ſi eorum preces contendamus cum noſtris, non ſumus in minore, quid dico ? non ſumus majore, quàm illi, in culpâ ?

Pagani enim erant illi, qui non vana ſolùm & falſa colebant, ſed & vitioſa, auctoribus

ribus illis ipsis, & flagitiosa numina. Quid autem proclivius erat, quàm ut ejusmodi Deos poscerent, quæ blanda erant nequitiæ ipsorum & vitiorum adjumenta. Non penè necesse fuit ex eorum infidelitate istuc consequi? nos verò Deo servimus non minus sancto & casto, quàm potenti & magno; Deo, iniquitatis & peccati tam necessariò osori, quàm est necessariò Deus. Attamen à Deo illo tam puro tam sancto, tam recti & æqui amante quid petimus? ut expleantur abjectissima desideria nostra; ut facinora succedant per quàm sceleratè à nobis susceptа. Non flagitium est hoc appellandum, sed impietas, dicam enim liberè, sed sacrilegium. Christiani quidem nostrates, neque enim diffiteor, meliorem precibus suis colorem inducunt, verbisque concipiunt minus odiosis, nihil enim nunc est fuci immune. Sed, si nosmetipsi fallimus, non fallimus Deum, qui & audit nos, & mentis nostræ malignitatem verborum simplicitate probè secernit atque evoluit. Frustra igitur homo mundanus Deum poscit quod satis sit ad fortunam, ad statum suum tenendum. Cùm status ille, aut potius statûs illius species quam animo informat, aut immensa tantùm ambitione, aut insatiabili avaritia vertatur, illius consilia divina mens dum cognoscit, ut est infinitè perspicax, eadem disturbare amat atque disjicere. Frustra

ſtra liberis ſuis pater familias ſtabilem à Deo fortunam ac vitæ ſtatum precatur. Ut profanæ ſunt ac prorſus mundanæ cogitationes illæ omnes de liberis, nec exactæ ad conſcientiæ leges, nec ſuſpenſæ è Dei vocantis nutu, ſpeciem externam nihil morans Deus, quóque collimet humilis precator ſtatim intelligens, juſto judicio, domum illam evertit funditus, miſerè collabi ſinit, nedum extoliit. Fruſtra commodam valetudinem fœmina poſtulat à Deo: quoniam uſura illâ eſt ad otium, ad mollitiem, & fortaſſis ad vitam licenter ac libidinosè degendam, hæc videns Deus, non modò non ſuſtinet iratam manum, ſed & graviores plagas infligens, diuturno languore, vitioſi amoris ac vanitatis fomenta populatur. Fruſtra malæ fidei litigator Deum poſcit, cauſam ut obtineat, è qua fortunæ pendent ejus omnes. Quoniam iſtuc quod molitur, mera injuſtitia eſt, cæcâ litis caligine & forenſibus dolis tecta atque munita, flagitii non otioſus ſpectator Deus, pupilli ac viduæ patrocinium ſuſcipit, ſpéque hominem ingenti, non ſine opprobrio, deturbat. Nihil eorum interea prætermittitur, queis amicari cæleſte Numen poſſit ac propitium reddi: quin & ſolennes Eccleſiæ preces, ipſúmque adeò Altaris ſacrificium eam in rem haud ſemel adhibentur. Sed quoniam quod movetur tanto ſtudio, clandeſtinæ

stinæ molitionis opus est, quod perfici nequit sine proximi detrimento, innocentis ac pauperis tutor Deus, vel sanctissimas Ecclesiæ preces, & maximè venerandum sacrificium respuit. In hac inductione, si, quantum satis est, versari libeat, longius feratur oratio nostra. At, si vultis, christiani Auditores; ulterius progredi, & ad mores ipsi vestros eandem accommodare; facilè intelligetis, centies vos à vobismetipsis ita seductos, & in eum precationis abusum immissos, ut non dubitaveritis fœdissimis cupiditatibus vestris apud Deum ipsum patronos existere. Sed ad rem redeamus; atque ut gravissimo huic capiti firmamentum suum constet ac robur, date mihi hanc veniam, Auditores, ut Ethnicorum doctrinâ morali utar etiam hoc loco. Dixi satis eam esse ad nos convincendos; at quoniam hoc parum est, addo, aptiorem uno sensu eam esse ad pudorem nobis imponendum, quàm moralem veterum Patrum doctrinam. Liceat igitur mihi profanum auctorem è sacro hoc pulpito loquentem inducere, easdémque voces, tam vehementes & asperas, queis seculi sui pravitatem insectabatur, ad vos qui adestis, vel ad institutionem vestram dirigere, vel ad pudorem.

*Heus age, responde*, ajebat is, veteris Romæ vitia deplorans, impostorésque reprehendens & hypocritas, qui injustis suis votis

tis ſuperos fatigabant; *heus age, reſponde, minimum eſt quod ſcire laboro, de Jove quid ſentis?* eſt ne tanti apud te ſummus ille Cælitum Rex, ut eum integerrimo præferre non dubites Romanorum Judici? cuinam? hæres, ſubjiciebat cenſor ille idem; atqui non fruſtra iſtuc quæritur: hujus enim magiſtratûs, quem veréris, an prætorium ſubire audeas, nefandisque precibus, quas in Jovis aures, in auguſtiſſimo ipſius templo, quotidie dimittis, eundem ſollicitare? ergo Jupiter ille ipſe minus integer & æqui minus obſervans videtur, cùm eum ad audienda, imò & ad exaudienda vota tua paratum fingis. Ita Ethnicus ille: ita, inquam, amaris ſalibus Religionis ſuæ caſtigabat opprobria, & fortaſſe etiam emendabat. Atque hoc loco meritò dixerim, chriſtiani Auditores, infideles ipſos dare nobis pietatis documenta, imò mores etiam noſtros damnare. Etenim quid ſentimus de Deo, de Deo, inquam, illo ſanctiſſimo? an eſt vitiorum noſtrorum & patronus & fautor? an ſcelerum noſtrorum conſors? an is eſt qui, aut eſſe velit, aut poſſit? attamen eâ mente atque animo cum eo agimus, de rebus noſtris cum eo tranſigimus; cùm enim Deum precor, (cavere ne vobis effluat hæc Chryſoſtomi obſervatio) cùm Deum precor, id cogito, id ſpecto, ut Deus ex ſingulari ſuâ in me miſericordiâ, planéque paternâ facilitate, ſe mihi accommo-

Pers. ſat. 2.

modet; ut efficax ejus & omnipotens voluntas accedat ad meam, qua nihil infirmius; aut se illi conjungat; denique ut idipsum quod volo, & frustra velim sine illius ope, perficiat. Ergo, si mundano spiritu cæcante, Deum non modò non precor, ut par est christianum hominem precari, sed & eâ mente precor, ut ambitionem, ut superbiam, ut odium, ut vindictæ appetitum expleam, quid ago? id postulo videlicet ut mecum iis in rebus consentiat Deus: hoc est, vanus sit ut ego; cupiditatibus iisdem laboret, inflammetur, efferatur ut ego; & opificii sui causâ, idipsum velit, quod si velit, jam non sit Deus. Sic autem cùm precor, an precor ut convenit Deo? non injuriam infero? non illo, quantum in me est, ad flagitia mea abutor, quod apud prophetam lamentatur ipse ac deplorat. *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, & laborem mihi præbuisti in iniquitatibus tuis.* Observatote vocem hanc, *& laborem mihi præbuisti.* Quasi dicat, peccatorem compellans, permolesta mihi accidit precatio tua; quippe optabam annuere votis tuis: at repugnabat insita sanctitas. Igitur mens mea veluti coacta, inter sanctitatem ac bonitatem meam distrahebatur. Bonitas tibi mea favebat, repugnabat sanctitas. Ad preces tuas audiendas inclinabat altera, easdem altera respuere jubebat. *Et laborem mihi* Isai. 43.

*præ-*

*præbuisti in iniquitatibus tuis.* Etverò, christiani Auditores, si sui Deus oblitus, ejusmodi petitioni nostræ concedat, non offensionis nobis ansam præbeat atque scandali? non vocemus ipsi providentiam ejus in dubium? non me fugit, quod & docet Joannes Apostolus, *advocatum habere nos apud Patrem*, nempe filium, & orare nos per ejus merita. Sed, ut ad hominem eundem ac Deum privatim accommodem quod de Deo dixi generatim, volumus cæcæ cupiditati, quæ nobis dominatur, patronum eum esse? ac, si non est is animo sensus, cur ergo meritis ejus confidimus in iis votis, quorum prava cupiditas sola est auctor? non tales in usus, christiani Auditores, non tales in usus nobis, in Christi personâ, est datus à Deo sequester. Est is quidem flagitiosorum patronus, at nec fuit unquam, nec esse potest flagitiorum; ac velle eam in rem ejus uti gratiâ, est illum, auctore Augustino, funditus tollere velle. Quo pacto? quoniam cùm eum nobis exhibeant sacræ litteræ, ut gratiarum & virtutum auctorem, facimus illum vanitatis nostræ, cupiditatis & libidinis nostræ patronum. Nam si hæc secus æstimatis, subdit Augustinus, qua confidentiâ redemptoris nomen interponatis ad petendum quod redemptionem ipsam subverrit, grandibusque cogitationibus ac consiliis vestris tumidi, qua fronte

1. Joan. 2.

eum

eum ipsum deprecatorem apud Deum adhibeatis, qui, ut vos animi doceret demissionem, ad infimam sese & contemptissimam sortem ultrò demisit? fœlices, si Deus salutis vestræ studiosus, votis se vestris inflecti non sinat! in illâ severitatis specie agnoscete vos oportet summam ipsius misericordiam. Et verò quid vobis fiat, si se vobis præbeat indulgentiorem, & ex vestrâ libidine Deum? quid Pompejos, quid Cæsares, ajebat satyricus ille insignis, cujus hîc sententiam mutuari non dubito, & nobis ipsis loquutum existimes, quid Pompejos, quid Cæsares, *quid totas* Principum *domos evertit?* vasta videlicet atque immensa desideria; vota impia à superis eò malignius & crudelius infensis exaudita, quò faciliores illis & commodiores videbantur. *Juven. saty. x.*

*Summus nempe locus, nullâ non arte petitus, magnáque numinibus vota exaudita malignis.* Ego verò verba illa velut consecrans, dico, quam habuit causam tot christianorum reprobatio? nónne hanc ipsam, quod ea impetrarunt quæ nec sunt concessa, nec potuêre nisi à Deo summè irato concedi. Undè funesti tot mundanorum hominum exitus, qui largis ex opibus, ex inerti, mollíque plumâ, æternum ad exitium præcipites ruunt, nisi ex illo, ut quidem iis videtur, singulari Dei favore, qui insanis ipsorum votis annuit, omissis suavissimæ suæ *Ibid.*

providentiæ consiliis. Poscis à Deo, quod cupiditati favet tuæ, ac, si petiti dat copiam is, cui nota sunt quæ nocitura tibi, quæ labem animæ illatura, quæ tractura in abyssum, potest judicium exercere in te gravius? potest de te pœnas sumere graviores? procedamus.

Si non semper poscuntur pernicioſa & saluti prorsus contraria, certè poscuntur merè temporalia & supervacanea ad salutem. Non quod putem bona temporalia non esse numeranda in cælestibus donis, & censenda omnino saluti contraria. At quando talia esse putanda sunt, & cur ea tunc Deus negat? cùm videlicet neque ex ordine ab eo constituto, neque ad finem ab eo præscriptum ea postulamus.

Ac primùm terrestria duntaxat petuntur, quæ ad usus vitæ necessarios pertinent, dum de cælestibus, è quibus æterna salus pendet, vix cogitatur: fortunæ bona, prosperæ res ac secundæ, vita tranquilla & quieta; hæc vovemus, hæc inquirimus, hæc vovent, ut nos, hæc inquirunt ethnici: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* *Matth. 6.* Hæc quidem bona sunt, fateor; sed commutabilia, caduca, peritura bona; bona, infra hominem, præsertim christianum, posita; bona periculosa, quæ in vera plerumque mala degenerant. Sed bona solida ac vera, quæ marcorem sitúmque nesciunt, hoc est, morum integritas, recta con-

conſcientia, animi demiſſio, fides, charitas in proximum, quidquid ad animæ ſanctimoniam facit, eámque perficit, fateamur id, chriſtiani Auditores, & fateamur non ſine pudore, hæc nos non valde ſollicitos habent; hæc ratò vocant & alliciunt in templa. Quotusquiſque confugit unquam è vobis divinam ad opem, ut appetitiones magis ſedatas haberet; ut vitæ ratio omnis magis ordinata foret atque compoſita. Adeuntur martyrum tumuli, quamobrem? ut morbus, non ut tentatio pellatur. Vocantur cœlites in vota, cur? fœlicitas terreſtris & opulentia quæritur, non chriſtiana demiſſio major, non odium majus voluptatum. Si calamitates incidunt, inquit Salvianus; ſi famis, ſi peſtilentiæ denuntiatione terremur; ſi dira morbi lues vaſtitatem agris & urbibus infert, certatim concurritur ad aras: perſonant omnia lamentis gemitibúsque noſtris. Fidei chriſtianæ labem aſpergunt flagitia non jam occulta, ſed manifeſta, & publica: per hæc deformatur, vaſtatur Eccleſia: videmur admodum tranquilli; &, cùm haud lentis precibus adducendus ſit Deus ad comprimendam valde contagioſam impietatem, hæremus inertes & luctuoſum in modum remiſſi. Ergo haud aliter oramus, quàm ſceleſtus ille, cujus precatio, ſervilis cùm eſſet, grata Deo & accepta eſſe non potuit; *orabat ſceleſtus Dominum à* 2. Mach. 9.

*quo non erat misericordiam consecuturus.* Orasse dicitur, nec est dubium quin oraret omni studio; at orabat ut assolent homines mundani; *orabat sceleſtus*; non enim pœnitentiæ spiritum, non donum pietatis, non sacrorum, quæ polluerat, reverentiam poscebat, sed valetudinem, quam cæteris rebus anteferebat, & cujus erat mirabiliter
Joan. 16. studiosus. *Orabat sceleſtus Dominum.* Hinc clausus illi misericordiæ sinus fuit: *A quo non erat misericordiam consecuturus.* Ea est precum nostrarum ratio. Sed frustra; neque enim Christus precibus ejusmodi patrocinium spopondit. Quamobrem? cognoscite ex Evangelio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, inquit Christus, *dabit vobis.* Verùm animadvertite hanc vocem, *si quid*, ait Augustinus; ex eâ enim intelligere licet, quod in Christi nomine petimus, quidpiam esse oportere, & quidpiam eo dignum; alioqui se suámque operam, nostrâ causâ, Christum interponere non deceat. Terrestria autem omnia, ab æternâ salute ea si sejungas, nullo sunt apud Deum in numero. Ea igitur solùm poscere, nihil poscere est; ac quamquam Christi promissio rem nullam excludat, sed feratur generatim atque universè, per se tamen terrestria non veniunt in promissorum numerum. Quod planum ut fiat, audite quæ
Joan. 16. Christus subjicit: *Usque modò non petistis quid-*

*quidquam in nomine meo.* Quî potuit istuc Christus dicere, quærit Augustinus, cùm constet multa jam Apostolos ab eo petiisse? Petrum, perpetuam in Taboris jugo mansionem; primas in Servatoris Regno sedes, Zebedæi filios. Petierant utique, respondet sanctissimus Doctor, petierant hæc in beneficii quisque loco, sed quoniam illa eadem humana sunt, atque adeò pretii, Christo judice, nullius, putavit, pro jure ille suo, quæ petierant. Apostoli haberi pro nihilo posse, *usque modò non petistis quidquam.* Etverò Taborea illa mansio nihil habebat præter quemdam jucunditatis sensum, quem sibi proposuerat Petrus. Quæsitus in Regno Christi principatus, vanus erat honos ac titulus, quo se Apostolorum pascebat Ambitio, quoniam Regnum illud, quale est, cognitum non habebant atque perspectum. At Evangelicæ legis inextinctus ardor, constantia in adversis, sui ipsorum abnegatio, dona totidem erant, queis indigebant omnes, queis fulciendi, queis animandi, queis in Apostolicis muneribus perficiendi erant, nec dum tamen poposcerant à cælesti suo Magistro: *usque modò non petistis quidquam.* Quot christianis autem, ex his etiam apud quos verba facio, querelam hanc meritò accommodem, ita compellando. *Usque modò*, homo profane, non petisti à Deo quidquam; quoni-

am mundi, mundanarúmque rerum despicientiam & odium nunquam petiisti. *Usque modò*, homo flagitiose, *non petisti à Deo quidquam*, quoniam nunquam petiisti, ut longam à te peccati servitutem propulsaret; ut emolliret peccatoris tui duritiem; ut debellares ac vinceres te ipse; ut pravas consuetudines dimitteres. Atque hæc ipsa præcæteris optanda dona erant, & à Deo flagitanda.

Præterea cùm affirmat in Evangelio Christus, quidquid in ejus nomine petierimus, concedendum nobis à Deo esse, ita vult intelligi, ut regulâ, quam præscripsit, petitionem nostram metiamur. *Ab ipsa enim ordinata*, inquit Tertullianus, *& de ipsius spiritu animata jam tunc oratio, suo quasi privilegio ascendit in cælum, commendans patri quæ filius docuit.* Quænam est autem divina illa Christi regula ad quam orare nos jubet? *Quærite*, inquit, *primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Petite à Patre vestro cælesti *ut sanctificetur ipsius nomen, ut adveniat Regnum ipsius, ut voluntas ejusdem fiat*; petite, inquam, primo loco, non corporeum illum panem, túmque precibus vestris præsens adero. At, si ordinem illum invertitis, si ex vesano mundi amore, christiani professione indigno panem hunc cibarium ante Dei Regnum exposcitis, meritis meis, quam

Matth. 6.

quantumlibet infinitis, non jam decet inniti, quoniam vestra postulatio, ut ferventissima sit, non est ad formulam à me constitutam accommodata. *Quærite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus.* Non quòd prorsus petere non liceat à Deo bona temporalia, ea cùm nobis postulet Ecclesia ipsa; sed petenda ea sunt, quo pacto ab Ecclesiâ petuntur. Ea petamus posteaquam, & primùm, & præ cæteris, spiritalia nobis bona petita erunt; Jacobi non Esau *benedictionem* ambiamus. Egregium typum, exemplum hoc continet; quod à me qua ratione propositam ad rem accommodetur, accipite, atque attendite. Utrique fratrum ros obtigit cælestis: utrique terrestris pinguedo. In quo autem sors dispar, & quibus ex signis Jacobi Electio apud sacras litteras, Esau reprobatio colligi potest? in Jacobi videlicet *benedictione*, ros cæli ante terræ pinguedinem appellatur. *De rore cæli & de pinguedine terræ sit benedictio tua.* Contrà in Esau *benedictione*, telluris pinguedo primùm, dein cæli ros nominatur. *Det tibi de pinguedine terræ, & de rore cæli.* Et hoc etiam ipsum christianis compluribus usuvenire solet, ostenditque quid justæ ac legitimæ preces à pravis & perversis distent. Eadem orant in æde, eandem ad aram provoluti justus pariter ac mundanus preces fundunt. Atenim ille ut justum, hic ut *Genes. 27.*

mundanum hominem precari convenit. Quî fit istuc? an quod ille vota semper concipit de cælestibus, hic nonnisi de terrestribus bonis? minimè. Fieri enim potest ut vir justus precibus suis admisceat fortunæ bona; & mundanus Deo dum supplicat, cælestia non disjungat à fortunæ bonis. At, qui vitam exigit ex mundi legibus, ejusdem mundi instinctu, caduca ac mobilia fortunæ bona ante cælestia & ponit in precibus & appellat. *De pinguedine terræ & de rore cæli.* Qui verò mores suos ex Evangelio componit, sic precationem instituit suam, ut fortunæ muneribus cælestia semper anteferat. *De rore cæli & de pinguedine terræ.* Imperti, quæso, Domine Deus, ait ille, imperti morum sanctimoniam, castitatem, misericordiam, charitatem, patientiam; *de rore cæli*; dein largire de terrenis, prout postulabit æternæ salutis meæ ratio, *& de pinguedine terræ.* Fac, Domine Deus, ait iste, fac ut opes, ut amplitudinem, ut potentiam consequar, *de pinguedine terræ*; verumtamen gratiæ tuæ præsidia, ad vitam in mundo cum virtute degendam, necessaria, ne nega, *& de rore cæli.* Homine reprobo digna precatio! Cùm ita precamur, mirum est si se à nobis avertit, si nos non audit Deus?

Rem altè & capite ab ipso repetamus; atque ut penitus perspiciatis, quo fundamen-

to

to sit constitutum dogma quod tractamus, cognoscite principium hoc acceptum à Cypriano; preces videlicet nostras non valere, nisi prout cum Christi precibus sunt conjunctæ. De eo enim uno dici meritò potest, quod est dictum à Paulo, *exauditum eum esse pro sua reverentia.* Hebr. 5. Cùm preces nostras Deus exaudit, non spectat in eo, qui simus, & quid mereamur, cùm ex nobis ipsis nihil simus, nihil mereamur; sed filium suum respicit, qui oravit pro nobis, priusquam orare & causam ipsi nostram agere apud Deum possemus. Hoc cùm positum sit, quî Deus preces illas admittat, queis, posthabitâ salute, terrena deposcimus, cùm nulla tunc ratione Christi Servatoris & sequestri nostri precibus sint illæ connexæ? quid enim ille Patrem oravit? ut simus charitatis vinculo conjuncti. *Rogo, Pater, ut sint unum.* Joan. 17. Ut citra ostentationem ac fucum ullum sancti *simus in spiritu & veritate. Pater sanctifica eos in veritate.* Ibid. Ut cum mundanis hominibus agentes ex Dei præscripto, & pro conditionis nostræ ratione, animo simus tam vigili támque arrecto, ut eorum contagione afflari nos non sinamus, *non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* Ibid. Ecquid facimus? divitias, honores, inanem existimationem, vitam facilem & commodam petimus, nec post salutem petimus, & quoad illa conducunt ad salutem;

sed divitias, ut abundemus ; honores, ut fulgeamus ; existimationem, ut nominemur, ut cæteris secernamur ; vitam facilem & commodam, eâ ut fruamur ; atque ita petimus quod nunquam nobis Christus à Patre petiit. Cur autem nunquam istuc petiit ? attendite ad ea quæ sum dicturus. Quòd orare aliter non potuit, addit Cyprianus, quàm ex ratione finis, propter quem ad nos ille idem est missus. Erat autem eò tantùm missus, ut hominibus salutẽ afferret, eam unam ad rem dirigebatur divina ipsius legatio. Igitur propter unam hominum salutem laborare debuit, pati debuit, mereri debuit, atque adeò quod est consequens, propter unam hominum salutem pertinet, orare debuit.

Inde est, Auditores christiani, quod petitis nec impetratis, quoniam non petitis conjunctè cum Christo ; ac si sint efficaces, citra conjunctionem illam, preces vestræ, causæ nihil dixero, quin gloriari vobis liceat, bona quædam tributa vobis, quæ Christo Servatori non referri possint accepta ; quod ex fidei christianæ placitis est blasphemum. Atque hoc ipso nititur Augustinus, cùm tam validè probat, christianam fidem non spectare terrestria bona. *Nemo sibi promittat.* inquit ille, *fœlicitatem hujus mundi, quia christianus est.* Non eâ de causa sumus electi, non eâ conditione vocati à Christo.

Potest

Potest utique fide, quam nobis obligavit non violatâ, relinquere nos in egestate, potest fortunæ restanti, potest acribus morbis nos permittere jactandos. Postulata nostra delaturum se spopondit ad Dei solium, sed ea lege, ut sint illa christianæ professioni consentanea, & attineant ad cæleste Regnum, ubi nostram ille locavit hæreditatem. Quo argumento gravissimo idem sanctus Doctor utebatur adversus ethnicorum dicteria. Objicitis, ajebat ille, quòd, quamquam assiduâ prece cælum fatigemus, inopes tamen vivamus & rerum omnium egeni. Sed, ut oblatam criminationem repellam, satis est dixisse, non strictè pro perituris ac terrestribus, sed pro æternis bonis nos Deum orare. Igitur si vitam trahimus pauperem, non probat paupertas illa, frustra esse preces nostras, sed est illa quoddam divinæ fidei pignus, & fortunæ per eas melioris certus obses tenendæ. Tali argumento paganos revincebat Augustinus, cui sententiam subjiciebat ad permovendum valde accommodatam. In eo quippe, ajebat sanctus Doctor, divinam in homines munificentiam suspicere nos oportet. Non eam restringit ad bona terrestria, quoniam ea sunt nobis inferiora; quoniam explere nos ac satiare nequeunt; quoniam & naturæ nostræ nobilitati, & precum nostrarum valori haud satis illa respondent. Non agit nobiscum ut

cum

cum pueris infantibus, qui crepundiis ac nugis facilè tenentur. Tractare non vult velut ethnicos, quorum virtutes morales vitâ in speciem beatâ muneratur. Vult esse *merces* ipse nostra omnis. Ne sinamus igitur, inani nos rerum permutatione deludi. In bonis eligendis ac petendis stemus Dei nostri promisso. Spopondit fore, ut se nobis possidendum daret; quò fidem datam liberet, nihil petamus aliud ab eo præter ipsum;

*August.* *multi de Deo sperant, sed non Deum.* Nos alterum ab altero ne distrahamus, quod sine magno nostro damno fieri non potest, ac quoniam nihil speramus præter DEum, nihil nisi DEum, aut propter Deum, petamus,

*Idem.* *A Deo alia petunt præter DEum, tu ipsum Deum pete.* At temporalia non peto, salutis peto præsidia, nec ea tamen impetro. Sic est, christiane Auditor, non impetras, non exoras, quoniam in eo ipso, precatione rursum abuteris, fortasse imprudens, quod & ostendo. Nimirum cùm precatione nos uti oporteat velut instrumento, quo parari possunt vera salutis præsidia, hoc est, auxilia ad divinorum decretorum ordinem exacta, eâ utimur ad petenda auxilia cōmentitia, auxilia superflua, ad gustum nostrum, ad falsas nostras opiniones exacta. Planius expono, quid velim. Preces fundimus, & fundimus incensi, ut nobis quidem videmur, vero patriæ cælestis desiderio; at per cæcam fiduciam

pre-

precatione confidimus, quasi satis illa sine bonis operibus esset : quasi salus omnis in precatione verteretur, quasi Christus, cùm dixit, *orate*, non pariter dixerit, *vigilate, operamini.* Quasi sint gratiarum auxilia, queis nos sine nobis, & salvari possimus & debeamus. Oramus ac poscimus, ut sancta morte vitam claudamus, cùm sit nobis persuasum, satis esse, si tale ac tantum beneficium poscamus, non mereamur, & ad illud impetrandum vitâ nos meliore non comparemus. Oramus ac poscimus auxilia gratiarum, queis ad penitentiam, vitamque sanctiorem adducamur, sed auxilia in futurum, non in præsens tempus; auxilia, quæ difficultates omnes tollant, non ea, quæ quiddam nobis conandum & superandum relinquant; auxilia prodigiosa, quæ nos pertrahant ut Paulum, non quæ nos præparent paulatim, & ingressum etiam nostrum postulent; auxilia, quæ nobis adsint ubique, quæ certa sint ubique, quæ nobis permittant ut nos permittamus ubique, non ea, quibus bene nos uti oporteat. Verbo uno cuncta ut complectar, poscimus gratiarum auxilia, quæ præstitutum ordinem à Deo, & salutis nostræ œconomiam omnem invertant atatque perturbent. Claudat, Christiani Auditores, primam hanc concionis partem prophetæ precatio. *Unam petii à Domino hanc requiram.* Quid? *ut in habitem in domo* *Psal. 26.*

*mo Domini*, eundémque æternùm possideam. Agnosco enim, ô DEus meus, pergit Augustinus, & video jam, cur famuli tui preces toties repuleris. Quoniam videlicet ut misericordibus consiliis tuis responderem, *ea à te desiderare debui, quæ mihi cum impiis non essent communia.* Volebas ut in solenni præcationis officio secernerem me ab hostibus tuis; attamen inter eorum preces & meas nullum penè discrimen hactenus extitisse reperio, nisi quod bona, ut solent illi, terrestria cùm poposcerim, ea vulgò illis indulsisti; mihi, quia saluti meæ per se contraria erant, vel, quia salutis gratiâ non petebantur, vulgò negasti. Sed & in eo ipso, Domine, bonitas in me tua ac misericordia agnoscenda mihi est atque prædicanda; quoniam bona illa terrestria certam animæ meæ perniciem importassent, & me justis tuis flagellis dum admonuisti, emendasti. Si mundana mihi fœlicitas obtigisset, cepisset me facilius oblivio tui. Si fluxissent, ut aliis, ad vota, res prosperæ, subsequutus essem haud dubiè prava ipsorum exempla. Quapropter acceptas à te repulsas tecum, Domine, non modò non expostulabo ac querar, sed & gratulabor, & in beneficiis numerabo, quòd non perversæ meæ voluntatis, sed sapientissimi tui consilii, salutisque meæ rationem duxeris potiorem. *Et gaudeo quod non exaudieris ad voluntatem, ut*

*Idem Augusti.*

exau-

*exaudires ad salutem.* At nunc, Domine, Deus, votis meis patebunt deinceps aures tuæ; quoniam certum rarúmque est non nisi cælestia bona postulare; quoniam alia si postulabo, non aliter postulare consilium est, quàm quatenus ad ea referuntur. Quoniam inter salutis auxilia quæ sum petiturus, nolo jam alia petere, quàm quæ mihi utilia futura sunt, quàm quæ certiùs ac rectiùs perducere valent ad æterna. Ita Christi vox in nobis implebitur: *Petemus & accipiemus*, cum contrà non accipiamus, aut quia non petimus quod oportet; hoc ostendimus, aut quia non petimus ut oportet, quod parte restat alterâ vobis ostendendum.

SI Deo preces nostras admittere lubet, christiani Auditores, facit id utique certis quibusdam & omnino necessariis conditionibus: sed quaqua tandem ratione nobiscum is agat, humanásque res moderetur ac temperet, in errore eóque crassissimo versetur, si quis existimet, obices esse totidem positos à Deo, conditiones illas quarum obtentu dona sua, quasi pro jure suo, supplicibus hominum votis abneget. Sit ah! procul à nobis, inquit Augustinus, tam iniqua, támque abhorrens à Dei bonitate cogitatio, qui, teste scripturâ, misericordiæ suæ moderari non potest etiam iratus, *nunquid continebit* PARS II.

Psal. 78. *tinebit in irâ suâ misericordias suas* : qui non expectat dum eum precemur ; sed, ut psalmographus docet, desideriis etiam nostris occurrit, Psal. 10. *desiderium pauperum exaudivit Dominus* ; qui rogantibus tam faciles & pronas aures admovet, ut vel tacita cordis nostri vox in eas illabatur, Ibid. *præparationem cordis eorum audivit auris tua* ; difficilis profectò ac morosus, ut ita loquar, non fuerit sincerè atque ex animo precantibus ; at tantùm abest, ut per supremæ majestatis causam, in eo usu & familiari consuetudine, quæ nobis est cum illo, arroget sibi quicquam indebitum, ut dubitare potius liceat, annon idem de jure suo remittat plus quàm satis est, & noxis defectibúsque nostris nimis indulgentem se præbeat. Fateor, precationem, ut sit efficax, certis quibusdam dotibus quasi vestitam & instructam esse oportere : at in eo ipso contendo, culpari non posse Deum, quasi promissa sua restringentem consultò, aut dona beneficiáque sua arctius comprimentem. Quid ita ? quoniam, si rectè perpendantur dotes illæ, nulla occurret quæ non facilè habeatur ; nulla, cujus necessitatem ratio ipsa non probet ; nulla, quam ab hominibus homines non exigant, habitâ proportione ; &, quod jam notavimus, nulla, cujus exemplum & forma ab Chananæa illa muliere peti non possit. Etenim, quærit Chrysostomus, in eloquentissimâ,

simâ, quam ea de re habuit, homiliâ, quas conditiones à nobis exigit Deus ad precationis efficaciam? animi demissionem, fiduciam, perseverantiam, mentis attentionem, & cordis affectum. Estne autem in eo quicquam, non dico, quod fieri nequeat à nobis, sed quod grave & laboriosum videri debeat. Precari Deum oportet humiliter ac demisse. Quid rationi, quid naturæ magis consentaneum? quis primariam hanc legem negligat, ni prorsus ignoret quid sit precatio? an aliæ dynastis ac Regibus preces adhibentur? cui grave est, abjicere se illis ad pedes, & suppliciter orare, cùm libellum oblatum oportet, ac, si res succedit hac via, num queritur is, nimio, quod est impetratum, stetisse. Quis dicat majoris illos beneficia sua vendere, cùm temerario negantur arrogantius petenti? cur hoc de Deo dicatur, cui submittere se multò æquius est aliunde, proindéque facilius quàm mortalibus mortales. An dubitavit Chananæa mulier de qua Matthæus, abjicere se supplicem ad Christi pedes, atque adorare? an admodum ægrè indignitatem ipsa suam est confessa? an graviter tulit repelli se non semel? non est, ait illi Christus, *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Potuit institui magis ignominiosa comparatio? an motum illâ est generosum fœminæ pectus? an tristitiâ ullâ vultum contraxit repulsæ & *Matth. 15.*

ignominiæ dolor? quid dico? non agnoscit ipsa verborum veritatem, dum commodè sibi ea asciscit, ultróque aptat? *etiam domine.* Ita oravit illa. Quomodo nos? pagana erat, & quamquam pagana, nihilominus demittit se tamen. Christiani sumus, & accedimus ad Deum precandum superbiæ spiritu tumidi, quem excutere non valemus, vel cùm miseriam cogimur & egestatem nonostram confiteri? ac quoniam spiritu illo tenemur, Deum precamur arroganter, quasi peculiarem nostri rationem habere, respicere nos privatim, preces nostras referre ipsum oporteat in accepta. Ne quid dicam de fastu illo exteriore qui in sacrificiis etiam nostris sese ostendit, & ad pœnas nobis irrogandas Deum impellit, ne dum ad preces excipiendas. Ne quid dicam de luxurie illa vestium, quam inferimus in sanctuarium ipsum: de habitu illo celso, & fastidiosius erecto, de statu illo vano atque affectatè neglecto, quem prætendimus; quæ cuncta non conveniunt in orantem supplici ter, Deóque preces nostras exosas reddunt, cùm nihil ille, teste scripturâ, magis oderit, quàm *pauperem superbum.* Ac ne singillatim attingam unamquamque rem, Deum bona poscimus, quomodo? non ut beneficia, sed ut debita, parati, si largitur, efferre nos atque inflare: in querulas, si negat, murmurationes erumpere. Bona poscimus

ſcimus, ut iis acceptis, illius obliviſcamur, à quo accepimus, ut ea habeamus, ut iis utamur, nullo ad eorum auctorem reſpectu. Et mirum videatur, ſi ſuum nobis ſinum clauſum habeat *Deus?* volumus exaudiri, vel cum ipſius honoris diſpendio? non dicendus ſit bona ſua projicere, ſi ea temerè in ſuperbos pariter ac humiles effundat? precari nos oportet vividâ fide ſubnixos; quid æquius? Dominus eſt idem hominum ac Deus, qui, quæ eſt ipſius miſericordia, ita non ſolùm precari nos jubet, ſed & honori habet hanc fidem, qui ſexcentis ſcripturæ locis ipſi potius, quàm ſuæ tribuit miſericordiæ (ne vos offendat hæc mea propoſitio, ſana quippe eſt atque orthodoxa) qui ſexcentiis, inquam, ſcripturæ locis huic fidei potius, quàm ſuæ miſericordiæ mirabilem precationis vim tribuit, cùm non dicat ad ſe accedentibus, & divinam ipſius opem implorantibus, bonitas mea, potentia mea, ſed, *fides tua te ſalvum fecit.* Potuit aſtringere nos conditione magis commodâ? nonne eam Chananæa, continuò admiſit quamvis à fide aliena? facilitas illa nudandi Chriſto pectoris, quam & ſignificat oratione ad eum directâ, *miſerere mei, Domine*: tenera, nec affectu carens ratio, qua Chriſtum mollire ſtudet, blandè Davidis filium appellando, *Fili David*: clamores illi quos integrat pia mulier, prout increpant & tacere jubent *Matth. 15.*

Apoſtoli, *dimitte eam, quia clamat poſt nos*: conſtantia illa, qua filiis deſtinatum panem patitur libens ſibi ſubtrahi, fluentes modò de mensâ micas fas ſit excipere; hoc eſt, interprete Hieronymo, qua minimis divinæ potentiæ viribus contenta, pro certo habet, ſatis illas fore ad miraculum, quod poſcit, perpetrandum, *nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*: non erant hæc omnia divini præſidii, quod orabat, certa ſpe fidentis ac ſecuræ? quid agat illa, ſi chriſtianâ lege jàm imbutæ ſit Chriſtus æquè illi cognitus ac nobis? ſi non pro Davidis ſolùm, ſed pro Dei viventis hæ buiſſet Filio? attamen non verè dici poteſt cum eximia illa opinione quâ ſumus de Chriſto teneris ab annis imbuti, ferè non precari nos illum ratione & modo illo ſimplici, at eximio, quem præſcripſit Jacobus Apoſtolus, hoc eſt, ſummâ cum fide & citra dubitationem ullam? *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Tametſi Deus tam multa præſtiterit ad firmandam fidei noſtræ imbecillitatem; tametſi ad depellendam incredulitatem & diffidentiam noſtram, fidem ſuam obligaverit interpoſito jurejurando maximè ſolenni; & quoniam *neminem habebat, per quem*, ut Paulus Apoſtolus loquitur, *juraret, majorem, juraverit per ſemetipſum*, vincit tamen diffidentia, vincit incredulitas noſtra. Homini fides habetur, non habe-

Jac. 1.

Hebr. 6.

habetur Deo. Precamur, at turbamur inter precandum; fovemus curas inutiles, tacitis angoribus nos dedimus; confugimus ad Deum, at semper cùm jam sunt res desperatæ, cæteraque deficiunt. Minus Deo confidimus quàm nobis; prudentiâ magis nostrâ, quàm precibus nostris. Ea ipsa cæcitas est quàm deplorabat olim Ambrosius, & summam Dei æquitatem ostendit, cùm se quodammodò retrahit à nobis, nec dignatur benignam manum ad opem porrigere. Perseverantia in precibus retinenda est: quid convenientius? Deus, donorum suorum arbiter, & dispensator unicus, non potest pretium illis quod libitum est constituere; nec digna illa sunt quæ & sæpe petantur, & diu? cùm Christus pertinaci silentio probat Chananææ mulieris fidem, nec verbo illam uno dignatur: *Et non respondit ei Verbum.* Cùm videtur arcere illam à se velle, repulsâ severâ nonnihil ac duriusculâ, Apostolâsque palam illi significat, illius ergo non veniſſe se; *non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israël*: num propterea desijt orare, blandiri, instare? sic est, christiani Auditores, ipsius perseverantiam auget Christus, dum repellit, vincit eadem repellentem, dum perseverat. Mysterium illa statim intellexit, Deíque Servatoris piam in homines propensionem; ac penè compulsa cum eo quasi in arenam & certamen

deſcendere, ſimulatæ immiſericordiæ veros ſanctioris pervicaciæ motus & conatus opponens, divinæ providentiæ leges ac decreta veluti perfregit: merita eſt ut, quamquam externa, haberetur in Iſraëlitarum numero; exoravit miraculum duplex, gnatæ videlicet libertatem, & converſionem ad Deum ſuam. *O diſſimulatrix clementia*, exclamat è Patribus nonnemo, *quæ duritiem te ſimulas, quantâ pietate pugnas adverſus eos pro quibus pugnas! noli igitur deſperare*, ſubdit ille idem auctor, *ô anima, quæ cum Deo luctari cœpiſti, amat utique vim abs te pati; deſiderat à te ſuperari. Et abſit, Fratres*, concludit jam citatus Pater, *ut fortis ſit adverſum nos, qui pro nobis uſque ad mortem infirmatus eſt.* Ita ſentiebant eâ ſuper re ſancti. At nos, (neque vos iſtuc præterit, chriſtiani Auditores) errore occupati prorſus contrario, abreptúque inconſtantiâ ac levitate quadam mentis, Deo cedimus invito illo ipſo; cedimus cedere volenti; tædet egeſtatem noſtram inculcare toties Deo, opé ipſius expectari à nobis, & gaudet tamen efflagitationis importunitate: labori & oneri eſt illa precationis aſſiduitas: faſtidium nobis & ſtomachum movet. Satis eſſe velimus acceſſiſſe ad januam ſemel, obliti quod ſapiens monet, longas Dei moras ferendas æquo animo; *ſuſtine ſuſtentationes Dei.* Non placet illa Iſaiæ vox: *expecta reſpecta.*

Mini-

Minimâ morâ despondemus animum; ac sæpe cùm jam prope est ut votis nostris Deus respondeat, precationis merito fraudamur ac fructu. Quem accusare nos oportet? Deum, an nos ipsos potiùs?

Postremò precationi nostræ comitem esse oportet attentionem & affectum; quid magis necessarium precationi? finienda concio capite hoc omnium gravissimo. Requiritur ad precandum mentis attentio: requiritur cordis affectus. Atque hæc duo, post Aquinatem, precationis velut animam appello, sine quibus non magis illa stare potest, quàm sine anima Corpus. Quid est enim precatio? Theologiam ne consulamus, sed sensum duntaxat & opinionem communem quam habemus de sancta illa pietatis exercitatione; quid est, inquam, precatio? colloquium cum Deo, quo mens in sanctuarium, ut ita loquar, admissa, suam Deo penuriam ostendit, suos casus significat, tentationes patefacit, veniam flagitiis suis precatur. Hæc autem omnia non tacitum in sese mentis recessum postulant, & sensum interiorem? igitur si aberrat, si peregrinatur illa, quo tempore ago cum Deo, adeò ut attentionem hanc interiorem volens & pietatem amittam, quidquid id est quod ago, non est istuc precationis nomine dignum. Ut divinas laudes concinam: ut noctes exigam in templo vigil: *ut adhæreat* *Psal. 118.*

*anima mea pavimento*, quemadmodum loquitur Regius Vates, & erat illi solenne, cùm cessat mentis attentio, cessat utique precatio. Hinc tria colligit Angelicus Doctor, quibus nihil addam, sed ea cùm animis vestris considerare vos & attentius meditari velim. Acerba sunt ac prorsus auditu tristia consectaria illa, ex quibus planè cognoscetis, quî fiat ut preces nostræ tam parum valeant apud Deum.

Primum consectarium. Cùm verè dicatur attentionem necessariò ad precandum requiri, dici non sine causâ potest, sed majore doloris sensu, precationis usum penè sublatum de Christianorum cœtu, penè extinctum esse. Quid ita? quoniam si preces adhuc funduntur apud illos, funduntur absque mentis attentione. Quo enim recidit pietas nostra omnis? ad formulas quasdam precationum quas recitamus quidem ac decurrimus, sed animo cætera dissipato, & ad alia semper aberrante. Labia movemus, non ut pia illa Samuelis mater, de qua temerè Pontifex summus judicavit, sed ut Judæi, quorum mens, quod exprobat illis Deus, cum ipsorum ore non satis consentiebat. Ita vulgò preces nostræ meræ sunt hypocrisis, meritóque Christus nobis accommodet, quod ipse olim Pharisæis cuMatth. 15. mini vertebat. *Hypocritæ benè de vobis prophetavit Isaias: populus hic labiis me honorat,* cor

*cor autem eorum longè est à me.* Neque verò pertinet hoc malum ad solam multitudinem, quæ fatali quadam ignorantia, non precatur quotidie precando, quia videlicet nec quem alloquatur, nec quid postulet, attendit. Non ad solas mulieres pertinet, quæ, cùm precantur, pietatis in eo summam ponunt, ut loquantur multa, innatam mentis levitatem non frænant, perparum attendunt. In ea culpa sunt etiam homines minimè omnium rudes & ignari; homines addicti sacris altaribus, rerum divinarum præsides, ipsi, inquam, Dei ministri, qui per summè deplorandam perversitatem, dum frequentius precantur, non precantur omninò; & adeò piam exercitationem ac munus non modò non perficiunt assiduitate quotidiana, verum etiam depravant iidem atque corrumpunt.

Consectarium alterum. Cùm precatio mentis attentionem necessariò postulet, inde consequens est, in precationibus quæ jubentur, attentionem ipsam, præceptam itidē esse, Adeò ut non sit satis recitare ac proferre verba, sed diuturnam & voluntariam mentis evagationem, in offensis gravibus ac mortiferis ponendam esse. Hoc autem, christiani Auditores, vobis & mihi maximè dictum volo, quod potissimum ex officiis nostris in eo situm est; & precatio,

quæ voce fit, est sacrum veluti tributum quod quotidie à nobis Ecclesia & exigit & expectat. Permirum enim sit, si actio tam Religiosa per sese, quæque ad sanctimoniam nostram conducere debet, in nostram perniciem vertat; & quod cælestium nobis gratiarum fontem esse oportet, unus è nostræ fiat damnationis fontibus. Meminerimus, cùm divini Officii recitandi legem nobis ipsi sponte imposuimus, actionis Religiosæ simul imposuisse necessitatem; actionem religiosam, exercitium non esse merè externum; ac, quemadmodum Ecclesia dum præcipit noxarum confessionem, unà & dolorem de iis præcipit, ita, cùm precationis legem nobis imponit, simul & mentis attentionem præcipere. Seu nascatur hæc obligatio proximè ac directè ex ipsius Ecclesiæ præcepto, ut opinantur Theologi quidam doctissimi; seu fluat illa è præcepto naturali, quod ad Ecclesiasticum præceptum accedit, ac vi cujus jubemur sanctè & dignè perficere imperata, quemadmodum aliis placet. Ut ut est, illa opinionum discrepantia, mera videtur scholæ subtilitas, & secnndùm utramque opinionem pariter peccatur. Caveamus ah! Christiani Auditores; ne funestum hoc malum, quod propheta divinæ gloriæ studio flagrans, flagitiosis hominibus interminatur, in caput nostrum accersamus. *Ora-*

*tio*

*tio ejus fiat in peccatum.* Quot autem Dei ministris, aut de quot Dei ministris metuendum, ne meritò dici istuc possit? si se Augustinus in eo damnat inertiæ, longè profectò æquius fuerit nos à nobismetipsis damnari. *Psal. 118.*

Tertium ac postremum consectarium. Igitur non sine causâ preces nostras respuit Deus, cùm illæ nihil minus sint quam preces; cùm illum offendamus & irritemus, tantum abest eundem ut colamus. Quæ est enim æquitas tua, Christiane Auditor? vis Deum preces tuas, cùm precari lubet, attentius audire. Dicis utique cùm Propheta, *Domine verba mea auribus percipe: intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ.* At quo tempore ita loqueris, aliò mens tua fertur. Poscis ut te Deus alloquatur, nec eum alloqueris; poscis ut te audiat, nec audis illum; non te ipse audis, non animum ipse intelligis tuum. Emendemus istuc, Christiani Auditores, & vitam nostram omnem emendabimus. Nam, ut ait Augustinus: *recte novit vivere, qui novit orare.* Cur tot flagitiis sumus obnoxii? quoniam aut non oramus, aut malè oramus; & vice nimium frequenter versa, cur non oramus, aut cur malè oramus? quoniam nolumus è vitiis nostris emergere, & sanari metuimus. Petamus à Deo res illo & nobis dignas. Petamus *Psal. 5.*

eas

eas ratione & modo qui sit illo nobisque dignus: uno verbo, poscamus ab eo gratiarum auxilia, & ritè poscamus, impetrabimus ea utique, sed inter alia, & præter alia, precationis donum ab eo poscamus. In ore nostro versetur illa Apostolorum precatio. *Domine doce nos orare.* Ea est infirmitas nostra ut sine te, ne egestatem quidem nostram, ut par est, patefacere tibi possimus, nec opem tuam implorare. Tuum est, Domine, facere ut miserias cùm fructu nostras sentiamus. Tuum est attrahere nos tuum ad altare, ut easdem ibi, in oculis conspectúque tuo exponamus. Tuum est suggerere nobis, quæ tibi ad te flectendum dicere nos conveniat. Illam igitur necessariam artem, nobis ipse, Domine Deus, imperti; & auxilio illo cælesti, quo tanquam semine ac fonte, cætera quodammodo continentur auxilia, doce nos uti precatione, ad illa impetranda, queis ad meliorem frugem, ad sanctimoniam vitæ, ad salutem, perennémque demum gloriam promoveamur. Amen.

*Luc. 11.*

* *
*

IN

# IN FERIA SEXTA PRIORIS HEBDOMADÆ

# CONCIO.

## DE PRÆDESTINATIONE.

Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset JEsus jacentem & cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: vis sanus fieri? *Joan.* 5.

REX CHRISTIANISSIME,

QUID inspeciem minus necesse fuit, quàm Paralyticum hunc ita à Christo Servatore interrogari? languebat is annos jam octo supra triginta, atque ut cæteri, in piscinæ margine porrectus, cupidè opperiebatur, qui, cùm primùm salubres aquas moveret Angelus, in eas ipsum demitteret. Hominem desiderabat misericordem, qui hanc sibi operam tribueret, miseram sortem

tem haud tacitè lugens ac moerens. quòd nondum talem potuisset, qualem optabat, nanciſci. Ad exrremum nihil illi optatius erat, quàm ut membris vetus languor pelleretur. Hæc una dies noctésque cogitatio, hæc una illi animo, cura insidebat. Quid est igitur opus, num sanari velit scisitari? *vis sanus fieri?* Non id quæritur sine causâ, respondet Augustinus. Fuit æger ille peccatorum typus; ipséque, ut peccator, sanari non potuit, quin & unà converteretur ad Deum, pro instituto Christi, qui corporibus nunquam sanitatem restituebat, quin & animorum morbis medicinam simul afferret. Quantumvis autem paratus is esset ad medicinam admittendam, non erat æque fortassis ad conversionem; atque id causæ est, cur Christus, qui sciebat alterum ex altero pendere, nolebatque unum conferre quin consentiret in aliud, primùm omnium poscat, num recipere sanitatem velit. *Vis sanus fieri?*

Ea est, christiani Auditores, animæ nostræ ratio. Languemus fortasse jam pridem peccatis onusti, manci ac debiles hæremus in semita, aut potius extra semitam salutis, actionis ac motûs omnis expertes. Nos inter videt fortasse Deus paralyticos vereres, hoc est, in vitiis suis homines obfirmatos; atque utinam in iis, apud quos verba facio, non sit, de quo meritò dicatur,

erat

*erat autem quidam triginta & octo annos habens in infirmitate suâ.* Hæret ille in flagitiis suis jam annos triginta & octo. Homine nobis opus erat, qui peccati nos eximeret servitute. Advenit is optatò, Christus videlicet, homo idem & Deus. In piscinam, hoc est, in salubre baptismatis nos immisit lavacrum, in quo & sumus fœliciter renati. Quamquam exciderimus tanti beneficii possessione, paratus tamen est Christus, ad nos novam in piscinam, lachrymas nimirum ac pœnitentiam, mergendos. Atenim à nobis omnibus universè ac privatim prius postulat, num velimus sanari: num id optemus sincerè, atque ex animo. *Vis sanus fieri?* nostrum est videre, quid ad hanc responsuri simus quæstionem, quæ mihi locum aperit, argumentum longè graviſſimum pertractandi; agitur quippe de divinis in nos quoad salutem, consiliis, & de modo, quo nos ea par est adjuvare, & optatos ad exitus adducere. Atque in eo ipso ingens consistit prædestinationis mysterium Mysteriū altum & venerandum: mysterium de quo tot & motæ sunt quæstiones, & quotidie moventur. Mysterium de quo apud vos, ut illius usum, ut errores ac scopulos vobis ostendam, agere constitui. Virginem Deiparam primùm omnium salutemus. *Ave Maria.*

EA

PARS I. EA est hominis sors calamitosa, tès ut nulla sit, quà is non abutatur. Ut ipsâ Dei dona, ipsas Dei perfectiones, ipsa etiam Dei mysteria, partim innatâ nequitiâ, partim errorum contagione depravet atq; corrumpat. Hoc ipsum est, Auditores christiani, quòd cùm Augustinus significare vellet, orationem esse usus valde audaci, cùm dixit, Deum, qui sanctitas est & integritas ipsa, flagitiosis & impiis hominibus, nec sanctum esse, nec integrum, utrisque profanationis & impietatis ab Deo ipso veluti causam arripientibus. *Immundis nè Deus quidem ipse mundus est.* Quod de Deo pronuntiavit Augustinus, multò verius est de Dei prædestinatione. Est enim hæc gratiæ mysterium, quo dum homines abutuntur, casûs ac ruinæ fit illis occasio.

Prædestinationem causantur alii, vitam ut traducant otiosam, desidem, & salutis malè securam; alii illius obtentu diffidunt divinæ bonitati, spémque salutis sibi ipsi præcidunt omnem, abutuntur illi prædestinatione, ut Deo nimis confidant; hi, ut nusquam. Illi, è divinâ prædestinatione temerè colliguut, salutem suam positam in tuto, nec sunt de illâ valde solliciti. Alii contrà jacent inertes, animo defecti, spéque salutis prorsus abjectâ, studium & curam illius omnem, ut supervacaneam remittunt. En mala gravissima duo, in quæ

quæ coniicimur prædestinationis obtentu; en gemini errores nobis declinandi, confidentia videlicet & desperatio. Atque hoc utrumque malum ipsum est quod hodiernâ concione cum aliquo fructu impugnare constitui, perficiámque si ostendero, neutri favere divinam prædestinationem; inexcusabiles nos esse, cùm ex hoc mysterio, vanæ fiduciæ, atque adeò salutis negligendæ causam sumimus, hoc, erit primum concionis caput; aut agimus nos in desperationem, hoc alterum erit concionis caput. Quam in rem haud aliâ mihi regulâ, probatione haud alia sit opus, quàm hac Christi voce; *Vis sanus fieri?* quum enim à nobis pariter atque à Paralytico illo quæratur, num sani fieri velimus, num salutis æternæ desiderio teneamur? eam optare reipsa; in illius curam incumbere nos oportet; atque hoc erit nimiæ fiduciæ nostræ remedium adhibendum. Cùm ostendatur satis esse nobis, si salvari velimus; nihil est quòd turbemur, quòd despondeamus, quòd desperemus; atque hoc erit diffidentiæ nostræ remedium adhibendum. Sunt hæc fidei nostræ capita duo gravissima, de quibus mentem meam dum aperio, vestris moribus emendandis, operam, si vultis, non inutilem dabo. Fiduciam in Deo suâm, spémque omnem defigere; agnoscere illum velut auctorem, aut, ut loquun-

tur sacræ litteræ, velut salutis suæ Deum, *Deus salutis meæ*; Christi Servatoris meritis niti, & redemptionis beneficio; dicere, *omnia possum in eo qui me confortat*, ac quidquid erit unquam in me boni, id utique Deo & ejus gratiæ referam acceptum, sunt, fateor, christiani Auditores, pietatis sensus quos ingenerat Religio, quos gerere nos oportet imo in pectore, & cum cunctis fidei regulis rectè conveniunt atque conspirant. At hærere in eo, & salutis curam rejicere in Deum & generalem ejus providentiam, cujus est arcanis suis consiliis & rationibus ei prospicere; dicere, tempus & horam expecto, qua Deo libitum erit emollire mihi pectus, & perstare nihilominus in pravitate sua pacatè ac tranquillè; habere conversionem suam pro negotio, quod in se recipit omninò Deus, & nobis præstandum non erit, confidentiæ genus est, Auditores christiani, cujus principium tam malè fundatum est, quàm sunt illius effectus pernicioſi. Percipite diligenter hæc duo. Confidentia, cujus principium malè fundatum est; cujus sunt valde pernicioſi effectus. Utrumque à me planum fiet, si modò animum ad ea quæ dicam attenderitis.

*Philipp. 4.*

Dico, confidentiæ hujus malè fundatum principium esse. In promptu causa est, eáque evidens. Quoniam quoquo nos

nos modo prædestinaverit Deus, fide constat, salvandos nos ab eo non esse, quin operam cum eo nostram conferamus. Si autem necesse est ad salutem, ut operam virésque conferam cum Deo, jam non licet ita illo confidere, ut abjectâ salutis curâ, illam planè Deo permittam. Habeo jus sperandi in Deum, sed id oneris injectum mihi est ut agam cum Deo, ut veniam cum eo in operis jussi consortium. Si fiduciam hanc divello ac distraho ab actione, ab opere illo, inverto ordinem à Deo constitutum; extra salutis viam cursu transverso feror. Et verò quis est ordo constitutus à Deo quoad hominum salutem? expressit illum Augustinus his duobus verbis, quæ sunt, centies á vobis audita. *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Deus ille infinitè sapiens ac potens, qui te extraxit é nihilo, & opis tuæ non egens creavit, noluit perducere te ad salutem citra consensum & laborem tuum. Quin & salute sumptâ quàm latè patet apud Theologos, hoc est, ut ponit & includit conversionem nostram ad Deum, non est, sine nobis, salus nostra in Dei quodammodo potestate. Quamobrem? quoniam penes nos ipsos, inquit D. Thomas, hoc est, in nostra voluntate præparata, *elevatâ*, roboratâ per gratiam, conversionis nostræ Mysterium omne situm esse necesse est.

Par non est cæterorum Dei operum ratio, & miraculi illius nominatim, quod hodiernà continetur Evangelii lectione. Cùm Paralyticum Christus interrogat, num sanari velit, non eò facit, auctore Ambrosio, quod indigeat ipsius consensu. Poterat quippe pro suo imperio, & potestate in morbos omnes, non consentientem, imò etiam nolentem sanare. At cùm parat Deus animæ nostræ medicinam, tacitéque poscit, num eam libeat admittere, facit hoc ex quadam veluti lege, qua se ipse volens astrinxit; quidquid enim agat Deus ex sese, nunquam fiet ut convertamur nisi volentes. Quin & hæc duo repugnant inter se, converti quempiam, & converti nolentem; cùm ex Patrum omnium doctrinâ, converti hominem ad Deum, aliud nihil sit, quàm velle converti, îdque ex animo ac sincerè.

Non me præterit, gratiæ cælestis auxilio, voluntatem hanc, tanquam auctori & causæ suæ, referri acceptam oportere. At non me etiam fugit, gratiæ solius non esse voluntatem hanc, ac quantum vis victrix & potens cogitari à me gratia illa possit, hæreat necesse est, Catholicum hoc dogma, actum illum voluntatis humanæ, liberum esse. Si autem liber est, jam non possumus eundem illum alteri mandare; à nobis reposcere nos oportet, ut reposcen-

ti Deo

ti Deo, rationem illius facilè olim reddamus.

Hinc qui nos facit in sacris litteris Deum ita compellantes, *converte nos Domine*, *Thren. 5.* Deum etiam ita nos compellantem facit; *convertimini ad me.* *Isaï. 45.* Quo autem modo duæ illæ sententiæ, inquit Augustinus, inter se consentiant? si convertimur à Deo, cur præcipit ut convertamus nosmetipsi? ac, si convertimus nosmetipsi, cur petimus ut nos ille convertat? en, fratres, respondèt Augustinus, en arcanæ hujus prædestinationis mysterium, in quo cuncta vertuntur vitæ christianæ munera. Nimirum quantùm Deo fuerit injuriosa hæc cogitatio, posse nos converti citra ejusdem auxilium, ita nobis inutile fuerit sperare, fore ut convertamur à Deo solo. Atque ut convertamur ex præscriptis à Deo legibus, duplex est necessaria conversio. Dei & nostri. Conversio Dei ad nos, nostri ad Deum. Convertat se Deus ad nos necesse est, gratiâ nos suâ præveniendo; nos vicissim ad Deum convertamus nos necesse est, gratiam ipsam ducem fideliter sequendo. En christianæ Theologiæ summa. Alterum quidem promisit Deus ac recepit se sanctissimè observaturum, & est tantummodò penes illum. Sed enim alterius observatio non minus verè nobis incumbit, ceu conditio, quam nobis imposi-

tam, à nobis ipsis olim præstandam, voluit. Ita igitur sollicitudines curasque meas omnes, si rectè ratiocinari voluero, in Deum

1. Petr. 5. conferre me oportet, *omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*, ut earum mihi partem aliquam reservem; aut potius, ita eas omnes conjicere me in Deum oportet, ut in me tamen permaneant adhuc universæ. Quid ita? quoniam cùm salus mea à Deo pariter & à me pendeat, atque ut pendet à Deo, permittere illam debeam ejusdem sapientiæ & misericordiæ, ita, quoad pendet etiam à me, in illius curam incumbam necesse est pro meâ parte studioque omni. Standum mihi est geminis illis Christi præceptionibus, tanquam in duobus cardinibus, in quibus prædestinatio mea, meaque

Matth. 25. vivendi ratio omnis vertitur. *Vigilate & orate.* Debeo orare, quia nihil possum sine gratiæ cælestis auxilio. Debeo vigilare, quia, quantumvis potens sit gratia, nihil agit ac molitur sine me. Vigilare, nec orare, hominis est superbi; orare, nec vigilare, hominis est in errore versantis. Vigilantia, precatione sejunctâ, facit ut obliviscar innatæ servitutis; precatio, vigilantia si desit, mei ipsius immemorem me reddit. Utriusque copulatione & veluti concentu efficitur temperamentum illud, in quo divina prædestinatio consistit, quantum ad nos attinet. Hac ratione nihil periclitans, cuncta tueor ac conservo.

Ar,

At, si sum à Deo prædestinatus, dixerit quis, nihil est quod metuam; sin minus, frustra erunt curæ meæ omnes ac metus, nec afferent me cælo. Auscultate, quæso, Auditores christiani; en argumentum vanum ac futile, quo semper usa est impietas ad se tutandam. Si sum à Deo prædestinatus, nihil est quod metuam; quàm hoc est consequens? ego verò respondeo, contrarium hinc omninò effici oportere, ac dicendum; si sum à Deo prædestinatus, salutem meam *operari* oportet *cum metu & tremore*; *Philip. 2.* si sum à Deo prædestinatus, hoc ipsum est quod diligentiam ac vigilantiam meam acuere & excitare debet. Est hæc propositio paradoxa nonnihil primâ specie; minimè verò. Fundata quippe illa est non solidissimis modò, sed & maximè apertis ac simplicibus rationis principiis. Si sum enim à Deo prædestinatus, liquet, talem nec esse me, nec esse posse, nisi per adjumenta illa ac præsidia, è quibus prædestinationem meam voluit aptam esse ac suspensam; aut, ut accuratius loquamur, per adjumenta illa & præsidia, quæ sunt in prædestinatione meâ velut inclusa. Docet autem fides, in gravissimis illis ac firmissimis præsidiis ponendam esse æternæ salutis curam, divinorum judiciorum timorem, propriæ fragilitatis diffidentiam, vigilem custodiam sui, qua frænentur cupiditates, & prohibeatur morum

solutio. Si qua prædestinatio ad nos attinet, hæc omnia certò complectitur ac continet. Igitur quid ago, cùm in salute curandâ sum remissior vano illo prædestinationis obtentu? admiramini, christiani Auditores, humanæ mentis, cùm semel à viâ deflexit, imbecillitatem. Quid ago? nimirum ipsemet diruo quod est à me substructum; hoc est, prædestinationem meam simul pono, simul tollo. Quid ita? quoniam ab eâ divello quod divelli non potest, quod est cum eâ necessariò connexum, & sine quo stare nequit ex Dei mente ac decreto. Atque ita dum Theologum ago, imperitè ratiocinor, & ut homines solent Theologorum armis haud satis instructi. Etverò, inquit S. Prosper, non nos Deus prædestinavit ex mente ac libidine nostrâ, atque ita ut liberam unquam peccandi potestatem prædestinatio nobis nostra concedat. Cælesti nos gloriæ destinavit, sed ut ratione præditos, ut liberos, ut meriti capaces, & quorum est cæleste Regnum armis expugnare, aut mercedis nomine consequi. Istuc ipsum est quod sacræ litteræ omnes docent. Habendum igitur pro certo, bonum humanæ rationis usum, obsequium voluntatis, merita acquisita, acquisita dico per gratiam, Deoque juvante, opera bona, virtutes, facta, boni studium, odium & fugam peccati, hæc, inquam, omnia, prædestinatione nostrâ, si sumus

mus in salvandis, includi. Quin meritò dicatur, elucere in eo ipso Creatoris nostri sapientiam, qui nos prædestinarit ratione & modo tam consentaneo tamque apto naturæ nostræ. Ex quo efficitur, superbam illam confidentiam, per quam Deo salutem nostram permittimus, abjectâ curâ illius omni, sibi utique apertè contrariam esse quoad vivendi rationem, & eum hominem, qui eo vitio tenetur, dum directâ viâ, sibi à Deo præscriptâ, discedit, aberrare, conturbare seipsum, atque ut Prophetæ verbis utar, secum in flagitiis suis non consentire. *Et mentita est iniquitas sibi.* Non hæc satis sint ad cavendum tam crassum, tam apertum errorem? *Psal. 26.*

At, si malo principio nititur error ille, effectus habet non minus funestos; atque hoc loco attentionem vestram omnem postulo. Quo enim evadit pernicioſum illud dogma, ex quo salutis nostræ curam omnem Deo permittimus, in eóque acquiescimus, quòd fuerit ab illo constitutum? ad duo mala æque periculosa, & vitari nequeunt; eò nimirum ut in homine christiano bonorum operum ardorem planè restinguat, & ipsius licentiam & impietatem foveat. Dixi superbiam illam confidentiam restinguere bonorum operum ardorem; hæc est prima ac potissima ipsius proprietas, quod argumento est, eóque aperto, illius auctorem ac fontem,

tem, Deum non esse. Etenim quo quo sensu rem intelligas, quo quo modo prædestinationem spectes in Dei mente, ad eam regulam, à qua nobis decedere non licet, semper revertendum, si videlicet prædestinationem nobis fingimus, quæ ad christiani fervoris imminutionem, & ad officiorum negligentiam nos inclinet, quantumvis speciosa sit, falsam & commentitiam formam illam esse. Vel si videatur illa Patrum omnium testimonio subniti, fallimur utique & perperam eorum mentem interpretamur. Quid ita? quoniam non intelligimus, prout intellexit Petrus Apostolus, cui magis cognitæ res erant atque perspectæ, quàm nobis, earúmque notitiam omnem quam habuit, ad excellentem hanc retulit conclusionem. *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona vestra opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 1. Petr. 1. Quasi dicat, quid juvat, Philosophorum ritu, argutius disputando, electionem & prædestinationem vestram (quod semper frustra, imò perniciosè à vobis fiet) scrutari? quin id potius studetis; quid? ut electionis hujus vestræ fructu non careatis immortali. Ut multis operibus bonis insistatis, quæ prætermittitis inconsultè, dum interea vanis altercationibus & argutiis tempus consumitis. *Quapropter magis satagite ut per bona opera, &c.* Atque hac notâ maximè in-

insigni, si Theologis credimus, dignosci potest in rebus ejusmodi, quæ gravissimi momenti sunt, & dignosci tutò, quid solidum insit ac verum: quid inane ac falsum. Mentem aperio. Sana sit nec ne doctrina quæpiam de divinâ prædestinatione, dubitatis, &, seu ex privatâ animæ vestræ utilitate, seu ex Pauli præscripto, vultis istuc cognoscere, *Omnia autem probate.* Aio ego, hinc æstimandam eam esse. Præparatne humanum pectus doctrina illa ad serviendum Deo? an ad id invitat? an ad id instigat? an illius studium injicit? an acuit illa, firmátque mentem & voluntatem eâ de re susceptam? jam minus ex eo suspecta esse debet. At, nihilne perficit ex iis quæ dixi? suspectam eam esse oportet; &, quantumvis insignitas veritatis notas habeat, ab eâ tanquam à scopulo declinare. Ad eam quippe normam Lutheri & Calvini opiniones exegit Ecclesia in suprema Synodo. Damnavit illas & anathemate percussit. Quid ita? quia videlicet per causam prædestinationis efferendæ, in occultum bonorum operum contemptum homines adducebant. Etverò annon alteruter è famosis illis novatoribus, sectæ suæ principiis insistens, per quàm lepidè de peculiari aliquo pietatis officio christianos Auditores ursisset è superiore loco? postquam significasset divinam prædestinationem ejus esse naturæ, ut absolu-

*1. Thes. 5.*

ſoluram hominibus agendi neceſſitatem imponat; actiones noſtras omnes bonas & malas in eo demum verti, quod eſt à Deo æternitate ab omni decretum. Nobis huic decreto ſubjectis liberum jam non eſſe, bonum eligere, aut devitare malum. Amiſſum eſſe liberum arbitrium, atque adeò præcepta legis, iis, qui ea non obſervant, impoſſibilia eſſe; his fundamentis poſitis, non fuiſſet, inquam, alterutrius cohortatio ſecundis auribus accepta, ſi verba faciens de pœnitentiæ neceſſitate, concionabundus dixiſſet, contendite, fratres; abrumpite vincla queis jacetis conſtricti: aſſerite vos in libertatem: ſubducite vos pravæ occaſioni: flagitiis veſtris nuntium remittite. Atenim potuiſſet quiſpiam, oratorem interpellans, reponere, quid iſtuc orationis eſt? Si peccatum meum in immutabili illo divinorum decretorum ordine conſtitutum eſt, quî poſſum nuntium illi remittere? quî poſſum contrà non ei nuntium remittere, ſi de meâ ſalute eſt decretum. Si non ſum è prædeſtinatorum numero, quî poſſum redire meliorem ad frugem? ſi ſum è beato illo ſalvandorum grege, quî poſſum è vitiis non emergere? quid ergo verbis opus eſt, quid cohortatione ullâ, cùm mihi, te ipſo auctore, neceſſitas impoſita ſit alterutrum efficiendi? Deum dicis unum, applicare me ad bonum; quid verbis igitur eſt opus ve-

he-

hementibus, queis me ad illius electionem cohortere? tali responso non defendisset flagitiosam vitam mortalium teterrimus, adversus severissima novellæ hujus, ac, si Deo placet, purioris sectæ placita?

Inde erat, quòd ex iis qui conciones habebant ad populum (notavit hoc doctissimus Cardinalis, ætatis nostræ decus & ornamentum, nec non Ecclesiæ Catholicæ acerrimus defensor) inde erat, quòd purioris hujus & emendatioris doctrinæ disseminatores, seu potius hujus hæreseos ministri, cohortationibus fermè nunquam utebantur, cùm, ex officio, de divinis rebus verba factitabant. Auditoribus suis assiduè inculcabant altam illam ac profundam DEI judiciorum abyssum: incutiebant illis eorum terrorem: jubebant admirari venerandam illam inæqualitatem, qua ex aliis *vasa iræ*, *vasa misericordiæ* ex aliis fiunt. Verumtamen vix committebant illi, ut commonerent paulò acrius de privatis cujusque officiis, aut, ut inordinatos eorum mores exprobrarent ad pudorem: si fiebat id nonnunquam, fiebat languidè, ac repugnanter, quasi sentirent loqui se pugnantia; & agnoscerent ipsi, magnos illos ac vehementes indignationis, exprobrationis, comminationis, & objurgationis motus adversus homines nequam, sacris libris aspersos tam convenienter, & in quibus prophetæ vim illam

*Rom. 9.*

illam & gratiam omnem cælestis illius spiritûs, qui eos afflabat, exeruerunt, quasi, inquam, intelligerent ipsi, cuncta hæc non consentanea illis esse. Quamobrem? quoniam non valebant hæc nisi apud eos, qui libertatem admitterent, quam evertere studebant illi; cujus umbram duntaxat & nomen retinebant inane. Eò tandem sunt progressi, ut, ne dissentirent à seipsis, &, errorem alio errore tuerentur, docere scriptis etiam publicis non dubitaverint, opera bona non venire in salutis nostræ partem, totúmque prædestinationis negotium, ad caput unum revocari, ad simplicem dico Christi meritorum *imputationem*; ut satis hoc foret ad salutem, si quis crederet, & interiore fidei spiritu certum atque exploratum haberet, se justificatum reipsa & prædestinatum esse. Ars mira profectò, & explanandæ salutis viæ valde accommodata; ac cujus adminiculo percommodè in eâ ambulent non languidi solùm & imbelles, verumetiam flagitiis omnibus homines cooperti. Quæro autem ex vobis, an vel istuc unum ad eos falsi convincendos non satis sit?

Dicat aliquis, doctrinam illam, dum cuncta refert in Dei prædestinationem, permitútque nihil humanæ libertati, magis valere ad hominem deprimendum, ejusdémque superbiam frangendam. Ego verò non satis

tis intelligo, Auditores, quî fieri possit, ut tam inani difficultate impediri se quis finat & in errorem abduci. Qua enim in re sita est vera hominis depressio? nónne in eo, inquit Bernardus, ut habeat quod exprobret ipse sibi? ut habeat unde pœnitere, unde accusare, unde condemnare se possit; ut peccatum semper intueatur velut amplam pudoris materiam, ut malitiam & infidelitatem pœnâ dignam; ut non possit non dicere contra se ipse testimonium illud, peccando pugnasse se Dei consiliis, ejusdem gratiæ defuisse? en, ex sacris litteris omnibus, quod peccatoris superbiam contundat ac frangat. Quî possit autem ita de se sentire, si eo errore sit imbutus quem impugno? si ea mentem occupavit cogitatio, non potuisse caveri malum, quomodo sibi illud exprobrabit & crimini vertet? si persuasum est illi, flagitium illud suum habuisse necessitatem fati, quod non sit penes se, quis ab eo impetret, illud ut confiteatur? quid non possit afferre Deo, ut invidiam illius à sese culpámque omnem amoliatur? non id mali à Catholicæ doctrinæ principiis fidéque communi metuendum. Deum enim his verbis compellamus; sic est, Domine, imperium tuum rebellis detrectavi. Vocasti, nec fui tibi dicto audiens. Ingratus sum, fateor, ac perfidus; &, quod pudorem incutit gravissimum, eò sum tantùm de-

devolutus, quia volui, & auxilio tuo subnixus ut eram, poteram nolle. Dum ita loquimur, deprimimus & abjicimus nosmetipsi. Atenim qui simplice illâ discedit fidei viâ, alium, planéque diversum sermonem instituat necesse est. Dum se ipsum accusare debet, Deum accusat. Deum flagitiorum suorum auctorem facit. Quòd vitiosus, quòd violentus est, Deo tribuit. Sic libertatis usu sublato, non modò non deprimere seipsum homo christianus, sed & erigere se, inque Deum ipsum insurgere docetur.

Præterea sanum ut sit dogma quodpiam, non satis est ad nos deprimendos esse idoneum. Humiles nos efficiat simul & servidos oportet; humilitatem, quam edit in nobis, ni subsequatur fervor ille, vana est ac mendax hæc animi demissio, certúmque ad exitium nos trahit. Sola autem Catholicorum hoc habet doctrina, ut hæc duo conciliet, fervorem dico & humilitatem; quoniam sola est, apud quam perfectum illud prædestinationis ac libertatis fœdus reperiatur. Videbatur quippe pelagianum dogma, vires homini dum tribuebat ad agendum, è Dei non pendentes auxilio, addere illi fervorem, sed nimirum dabat id unde se se insolentius efferret. Calvinus Dei prædestinationem ut extolleret, liberum arbitrium perimendo, hominem in spe-

ciem deprimebat, sed omnem adimebat reapse bonorum operum praxim. Quid Ecclesia? mediam init, inter devios illos calles, viam, & cælestis Rectoris sui ductu, qui spiritus est veritatis, doctrinam tradit, per quam & christiana retinetur demissio, sine ullo fervoris dispendio, & fervor acuitur in nobis, citra ullam christianæ demissionis jacturam. Doctrina illa, ea ipsa est quam nunc trado. Ut impleatur videlicet divina prædestinatio, laborandum esse nobis, operâ nostrâ cum divini Numinis operâ collatâ.

Quodni fit, non deficimus solùm ipsi, & sensim obimus officia christiana remisse, sed in gravissima etiam flagitia, quod est consequens, prolabimur. Nam dogmate illo sequioris hujus disciplinæ semel constituto, si fert istuc Dei voluntas, si fuit istuc ab ipso præviśum, non posse non converti hominem improbum, atque adeò tempus illud non nisi frustra præverti, quò non procuritur? rapi nos sinimus violento cupiditatum æstu. Fœdissimis obsequimur appetitionibus: modum non ponimus ullâ in re. Hinc dura illa prædestinationis dogmata, ex certâ profanæ sapientiæ ratione, nec valde obscuro utilitatis cujusdam studio, flagitiosi & impii homines probare semper visi sunt atque defendere. Quamobrem? quoniam vel in ipsâ opinionum illarum asperi-

tate habebant hi unde se consolarentur, inordinatos suos mores & importunissima sua flagitia sibi ipsis probando. Agebatur enim cum iis præclarè, quòd illud prædestinationis mysterium ita proponeretur ipsis, ut miseratione viderentur quàm reprehensione digniores. Ut flagitiorum, quibus dediti essent, abstersâ turpitudine, ipsorum pudori consuleretur; ut suggererentur voces, queis noxas facilè ipsi suas confiterentur, ad hunc modum. Peccavi, fateor; at defuit mihi auxilium cæleste. Ut potestas daretur violentis animi motibus se permittendi, maledicendi, petulanter & impudicè vivendi, nec fas esset quicquam illis exprobrare, nisi quòd flagitiis his se omnibus obligassent in Adami personâ, primigeniam illam noxam, quæ nobis exitium attulit, cum eo, aut per eum potius, admittendo. Istuc autem facilè agnoscebant & fatebantur haud gravatè, labis hujus contagione ad universum mortalium genus pertinente. Contrà verò Ecclesiæ doctrina scrupulorum & anxietatum fons illis ingens erat; quoniam opponebat semper malum illum libertatis usum, quem excusare ac defendere non poterant. Hæc illos revocabat ad ordinem, coarguebat, convincebat, condemnabat, atque adeò odiosè interpellabat nequioris vitæ dulcedinem. Illa, cùm nihil exigeret, nisi ut sortem suam deplo-

plorarent illi calamitosam, ut omnipotenti se Deo obnoxios agnoscerent atque subjectos, perplacebat ipsis utique. Non recusabant abjicere se ac demittere in hujus majestatis conspectu, modò contentus eo esses, nihilque exposceres insuper.

Inde etiam est, quod magis solutis ac corruptis ætatibus, quæstiones illæ de prædestinatione liberóque hominis arbitrio majorem venêre in contentionem & controversiam, visæque ad præsentem seculi morem & ingenium magis accommodatæ. De iis ut disputarent, sumpserunt hoc sibi illi, vel illæ etiam ipsæ, quas minus decebat loqui. Vanam illam scientiam affectarunt nominatim ipsis interdictam à Paulo: disertæ factæ sunt circa debilem summéque à Deo pendentem hominis naturam: eo de argumento differere, pars illis pietatis fuit, quæ & recidit ipsa tandem ad commentitiam hanc & verbosam humilitatem. Mihi autem, fateor, christiani Auditores, adeò non imposuit sermo ille, ut facere vix unquam potuerim, quin esset mihi valde suspectus. Sat enim notum est quorsum evadat is, & ex speciosâ illâ humani generis infirmitate, quàm pravè flagitiosi impiíque homines argumententur. Summam infirmitatem, ad quam sumus per peccatum redacti, verbis deploret quispiam virtute summâ præditus, & officiorum apprimè retinens; habet ejus

oratio quod moveat; quid ita? quoniam vita sanctior, animi recta & verè catholici sentientis index est & testis. At prædestinationis mysterium, humanámque infirmitatem dum assiduè ingerit & inculcat homo vitiosus, mihi haud parvæ dat offensionis ansàm atque scandali. Nam, ut mittam scrutari, quid ille pravè colligat, non possum non perspicere quid inde colligi ab eo atque inferri queat. Quò autem non ferantur hæc conclusio? iterum dico, nescit tantopere philosophari, nescit ostentare ingenium & doctrinam homo christianus simplicitatis amans & recti: novit ille quid præcipiat, quid vetet Deus, in eóque salutis spem collocat: ibi anchoram figit. Sed præcepto, spéque illâ positâ, scit suum esse moderari cupiditates suas, facta sua omnia præstare, atque ita non hominum modò censuram, sed & Dei ipsius judicium vitare. Igitur non argumentando ac disputando, christianam ac veram deprehendit philosophiam sitam in eo, ut se in officio contineat, & vivat integrè. Etverò quò res humanæ fuerint loco, si norma illa ac regula tollatur? si mundi hujus aspectabilis administratio, in principio illo vertatur, homines, positâ illâ Dei prædestinatione, non esse suæ voluntatis arbitros? quò recidat, non dico Religio christiana, sed politia ipsa, qua Regna stant & respublicæ omnes? quæ pro-

probitas inter mercatores? quæ fides inter conjugatos? quæ submissio in populis? quæ moderatio in præpositis? dicat ille, abripuit me iracundiæ vis, nec sum mei compos. Iste, dominationem non fero patienter, nec sum natus servituti. Hic, satis efficax me gratia nondum excitat ad alienum æs dissolvendum. Expecto, dicat illa, ut datam connubii fidem retineam, dum Deo permovere me libeat. Hinc autem quam rerum perturbationem, quam depravationem morum consequi necesse est? satis istuc intelligitis, Auditores, atque utinam morbus ille, qui seculum hoc nostrum nimium valde incessit, planè illud non corrumpat, faciátque consummatæ iniquitatis seculum! certè quidem constat, horrenda, quæ ex doctrinâ illâ consequuntur, mala, paganos ipsos animo prospexisse. Eam enim ob causam, Auctore Augustino, cùm Ciceroni mentis acies hebetior esset, ad conciliandam cùm Dei præscientia libertatem hominis, sibíque alterutrum negandum duceret, de divina præscientia maluit, quàm de humana libertate dubitare. Quid ita? quoniam hominis libertatem retinendo, morum, virtutum, & officiorum fundamentum retinebat ac basim. *Nos autem, addit Augustinus, utramque complectimur; illam, ut bene credamus; istam, ut bene vivamus.* Quod de præscientia dixit Augustinus, de

*Cic. l. 2. de divin. 18.*

prædestinatione, & jure ego multò potiore, dixerim.

At, inquiet fortassis quispiam, liberum illud arbitrium, illa cooperatio nostra, dat nobis locum gloriandi. Si justi sumus Deique filii, respondet Augustinus, non nos habere oportet unde in eo, quemadmodum
2. Cor. 10. Paulus, & per eum gloriemur? *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Nónne ita sancti gloriabantur, & nominatim Prophera? *In*
Psal. 55. *Domino laudabo sermones meos.* Hoc est, in Deo de meis operibus gloriabor. De meis operibus; quoniam in iis edendis, Deum unum spectavi. In Deo, quoniam
Augustin. unde illa ederentur, ab eo accepi. *Et in Deo, & meos; in Deo, quia ab ipso; meos, quia accepi.* Nónne eam ob causam, ait idem sanctus Doctor, opera nostra bona, quæ totidem sunt accepta à Deo beneficia, in meritis etiam nostris censentur; &, cùm nos remunerat, beneficia in nobis sua remu-
Eccliſ. 35. nerat. *Coronat in nobis dona sua.* Nusquam veritum est, concludit Augustinus, in Deo gloriari, cùm è contrario constat, ni suppetat nobis, unde in Deo gloriemur, nos ab eo reprobandos. Væ nobis, ait Bernardus, si appareamus in Domini conspectu præsumptionis & superbiæ pleni; a enim væ etiam nobis, si *appareamus in ejus con-*
Bernard. *spectu* meritis & operibus destituti. *Felix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec*

*præsumptio sine meritis deest. Habet unde præsumat, sed non merita, habet merita, sed non ad præsumendum.* Unde consequens est, arcana quadam Dei arte, haurire illam ab ipsâ etiam præsumptione suâ, sanctimoniam suam, utpote quæ in uno Christo nixa sit atque fundata; ejusdémque merita, gloriæ illi segetem esse apud Deum, quoniam nascuntur illa ex libertate divinæ voluntati perfectè plenéque subjectâ.

Ita christianum quemvis hominem ratiocinari oportet. Spe simus igitur in Deum defixâ, sed animo simul viligi & arrecto ad salutem, ut divinis consiliis respondeamus. Quisquis aliam inibit viam, in præsumptionis vitium incurret. Scitis autem, christiani Auditores, qua ratione coarguet olim Deus ac convincet præsumptionem illam nostram? per nosmetipsos videlicet, ex ipsis opinionibus nostris, ex confessione nostrâ ipsâ, ut servum illum Evangelicum. *De ore tuo.* In aliis enim negotiis omnibus, quamquam persuasissimum sit nobis de providentia & prædestinatione Dei, nihil negligimus eorum, quæ sunt in potestate nostra; plures etiam quàm satis est, vias & rationes inimus; molimur quiddam, in quo fortunæ & honoris nostri interest? tametsi dubium nobis non sit, prævisum esse à Deo suscepti hujus exitum, notatúmque in ejusdem prædestinationis ordine, curam tamen *Luc. 19.*

omnem in eo adhibemus, utimur gratiâ omni qua valemus, occurrimus incommodis omnibus, obstacula removemus omnia. Quin & ardorem illum nostrum, studium illud acre in sapientiâ ac virtute ponimus. Quid sit, inquimus, futurum, novit Deus; at vult ille idem mihi ut non desim; neque enim is ego sum, propter quem miracula patrare eum oporteat; illaque ipsa Dei prædestinatio invitat me ad iis præsidiis utendum, quæ mihi suppeditat eam in rem, quam sum aggressus. Ita argumentamur, & quidem in eo probè. In una salutis procuratione, longè alia nobis ac diversa mens est. Tantæ rei summam volumus penes Deum unum esse; acquiescimus in ejus providentiâ, dum interea hæremus desides ac tranquilli.

En autem christiani Auditores, quod damnationis nostræ, in Dei judicio, velut complementum erit. Illa nostri nobiscum pugna, illa opinionum nostrarum repugnantia, vehemens illud rerum temporalium studium, ignavia illa, illa salutis incuria; en, queis Deus os nobis occludet; en, queis nihil erit unquam quod opponamus. Quid facere nos oportet? accipite præclaram morum regulam; atque utinam animis illam vestris altius insculpere valeam. Percipite eam diligenter. Terrestria negotia sic curamus, quasi nulla sit neque providentia, neque Dei prædestinatio, ac cuncta sint in nobis

nobis unis sita, & salutis curam gerimus, quasi credita nobis non esset, & cuncta sint in Deo uno sita. Alterum altero corrigamus; alteriúsque immoderatio, alterius defectum suppleat. Ita nimirum negotia curemus terrestria, ut ea paulò permittamus magis divinæ providentiæ, in quo, cùm salus agitur nostra, modum non servamus; salutémque curemus majore illo studio & sollicitudine, quæ in terrestribus negotiis obeundis nimia esse solet. Temporalia geramus negotia majore in Deo fiduciâ, majore Dei voluntati submissione, ut agnoscere videamur, sine ipsius ope, curas nostras omnes supervacaneas esse; operam saluti nostræ impendamus, animo simus in nosmetipsos intentiore, majore nostri diffidentiâ, majore virtutis studio, ut agnoscere videamur, sine opera nostra salutis nostræ negotium nolle Deum perficere. Hæc duo si conjuncta habeat vitæ nostræ negotium nolle Deum perficere. Hæc duo si conjuncta habeat vitæ nostræ ratio, non dubium est, quin optatum Christianæ sanctitatis apicem attingamus. Atenim ad illam maximè Christi quæstionem, ad eam voluntatem, cujus ipsi velut obsides sumus, semper revoluamur oportet: *Vis sanus fieri?* non libet levari morbo illo veteri, qui animæ meæ certa pernicies est ac pestis? levari effrænatâ illâ cupiditate? amoribus illis inconcessis? pudendo illo vitio?

nunquamne ex eo emergam ? nunquam id ut fiat providebo ? nam sæpius à nobis ipsis istuc sciscitando, sæpius boni hujus necessitatem retractando nobiscum, incipiemus velle, & sæpius volendo, cùm sit voluntas illa sanitatis nostræ, imò conversionis ipsius principium, eò tandem perveniemus. Hac via vitatur præsumptio : diffidentia ac desperatio vitari quî debeat, proximum est ut ostendam.

PARS II. SCitum est illud, & cunctis prudentiæ legibus fundatum placitum, in habendâ deliberatione, ordiendum semper ab tutis & apertis, ut de dubiis & perplexis post demum decernatur ; & est hominum haud infrequens error, ut in vero investigando, si quid occurrit obscuri ac dubii, statim arripiant, unde in apertis etiam certisque rebus molestiam sibi certam aspergant. Error ille, qui tam exitiales habet exitus, is ipse est, in quem circa prædestinationis mysterium incurrimus. Planum facio quid velim. In prædestinatione spectatâ quoad nos, est quid incertum, est quid certum; quiddam evidens, quiddam obscurum ac tectum. Hoc evidens est & apertum, Deum, quoquo tandem modo homines salvos præstet, summè bonum & misericordem Deum esse, ac, si contingat excludi nos beatorum cœtu, tribuendum hoc inertiæ & incuriæ nostræ, per-

per quam est factum, ut oblata à Deo salutis persidia & auxilia, caruerint effectu suo. Est hoc fidei nostræ non dubium dogma, quod & facilè percipimus. Est autem incertus & occultus modus, quo Deus homines prædestinat. Cur benignius cum nonnullis agat, quàm cum aliis; cur hos potius, quàm illos eligat, cur non ea semper largiatur gratiarum auxilia, quæ possit planè largiri; sunt enim hæc, quæstiones illæ profundæ, de quibus Cælestinus primus loquitur, quas in sacris litteris non satis explicatas habemus, & vult Deus spectari à nobis, ut arcana totidem, quorum notitia est illi uni reservata. Inde est, quod Ecclesia ipsa, nihil super eâ re prountiavit, maluitque nos relinquere suspensos & incertos, quàm immensa illa & obscura Dei consilia scrutari.

Jam verò animum advertite, christiani Auditores; quod non capiunt angustiæ mentis nostræ in hoc prædestinationis mysterio, quod in dubium vocamus, hoc ipsum nos angit ac turbat. Contrà verò quod in eo percipimus, de quo non ambigimus, vim habet magnam ad solatium & robur animis nostris adhibendum, ad caliginem offusam iis discutiendam, ad formidines anxias & acerbas à nobis depellendas.

Igitur ex divinis consiliis si vitam degerent Christiani, alterum altero emendarent, suavissimisque illis dogmatibus ad spem nostram

ſtram partim acuendam, partim firmandam, nobis à Deo revelatis, tanquam armis inſtructi ægras illas cogitationes ac diffidentias, quæ dubitationibus ſummùm nituntur, amoverent. Quid autem fit? viam inimus omnino contrariam. Dubitationes illas falſas & inanes trahimus in tentationum moleſtias, contra fidem à Deo toties nobis datam; neſcio an ſatis intelligatis, quid velim: ac quoniam in prædeſtinationis myſterio certa capita ſunt, quæ ſuperant captum noſtrum, quæ nos conturbant, quæ nos perterrent, iis ita occupamur, ut dubitemus de ſincero Dei in nos amore; ut credamus noluiſſe eum ſalvos nos fieri; ut ad deſperationem, quam extrema plerumque flagitia conſequuntur, tandem adducamur. *Diſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* An eſſe poteſt magis periculoſus, magisque funeſtus error? quapropter tale ac tantum malum ut caveamus, hæc principia duo tenere nos oportet, quæ in Evangelio nobis hodie proponit Eccleſia. Divinam videlicet bonitatem, & liberum noſtrum arbitrium. Divinam bonitatem, cùm Paralytico præſentem medicinam offert Chriſtus; liberum arbitrium, cùm conditionem hanc apponit, ut velit ſanari: *Vis ſanus fieri?* divinam bonitatem, quæ Deum nobis præſtat. Liberum arbitrium, quo fit ut damnationem nobis

Epheſ. 4.

bis nostram ascribamus. Quæ duo languorem illum pellere debent, quem nobis affert ignavia nostra, prohibétque, ne vitiis emergamus. Sic enim argumentor, & argumentari quemvis Christianum oportet. Occultas vias & rationes, quas DEus iniit ad salutem meam constituendam, nec novi, nec meum est illas perscrutati, at certò scio, Deum bonum esse, illúdque prædestinationis mysterium, quod mihi primâ specie tam formidolosum videtur, ipsius misericordiæ mysterium cum primis esse. Scio, atque hoc ipsum reficere me vel maximè, & sustentare debet, huic prædestinationis mysterio esse consequens, salutem meam penes Deum esse. Hoc scio, & ab eâ mente, quæ Pauli Apostoli fuit, nunquam desciscam. *Scio*, ajebat is, *cui depositum meum credidi*, atque hæc notitia qua nitor, fiduciam meam ita corroborat, nihil ut eam convellere possit & labefactare. De Dei bonitate an dubitem ego, ni ejusdem naturam, atque ut Augustinus loquitur, ipsius essentiam revocem in dubium? 2. Tim. 1.

Igitur quisquis de Deo sermonem habens, dirum illum mihi ac crudelem describit; Deum, qui eò me creavit, ut æternis cruciatibus addicat; qui salutem meam in iis ponit rebus, quæ fieri à me nec possunt, nec ut possint, adjuvet, certum ac paratum, ni fiant, pœnas nihilominus à me reposcere;

Deum

Deum denique hominibus à se creatis ita utentem, ut nullus sit tantisper æquus ac mitis pater, quem non pudeat talem erga liberos suos se præstare (hanc enim Dei speciem fingit Calvinus, eáque continet omnia prædestinatio, ex ipsius sectæ decretis) quisquis, inquam, Deum mihi describit ac depingit ita comparatum, non debeo turbari multò minus desperare. Habeo enim unde falsi convincatur, unde commentitia hæc deleatur Deóque injuriosa species. Dicam, non is est, qui me finxit & fabricatus est DEus. Si talis esset qualis exprimitur, non jam possum amare illum: si amare non possum, non jam Deus is meus fuerit, neque *opus ego manuum ejus.* Non is est Deus, quem invocare sacræ me litteræ docent, ut salutis auctorem meæ. *Deus salutis meæ.* Ita comparatus, ita in me animatus Deus, damnationis potius meæ fuerit Deus. Verum quidem est, *terribilem eum esse in consiliis suis*; at, non minus verè dicatur, ejusdem consilia, summè amabilis Dei consilia esse, ipsiúsque misericordiam, hac saltem in vitâ justitiam ejusdem semper vincere ac superare; si autem talis fingatur Deus, qualem diximus, non misericordiam ejus solùm vincat ac superet, sed & prorsus extinguat ipsius justitia; ac Deus, divinissimâ suâ proprietate, si fas ita loqui, spoliatus, jam sit, quoad me, pars aliqua sui duntaxat. Timeam illum,

*Job. 14.*

*Psal. 87.*

*Psal. 65.*

lum, at eo metu, quo Dæmones eum tremunt. In eum credam, at ejusmodi fide, ex qua non nisi odium nascatur. Quoquo autem modo res à me sumantur, prima hæc à Spiritu sancto mihi tradita regula est, *ut de Domino* semper *sentiam in bonitate*; &, si prædestinationem informo, quæ cum ea regula non consentiat, falsam eam esse & commentitiam concludam necesse est, atque ut talem rejiciam. Amplius dico, ac contendo, illud prædestinationis mysterium habere unde nos consolemur, ne dum turbemur. Quod ut persuasum habeamus satis est meminisse, mysterium esse charitatis illius æternæ, qua nos dilexit Deus; *In charitate perpetuâ dilexi te.* Igitur mysterium hoc incomprehensibile possum admirari; possum exclamare cum Apostolo, *ô altitudo!* at vox proximè sequens satis ostendit, nihil in eâ profunditate, nihil in eâ inesse abysso, propter quod animum despondere nos oporteat. *O altitudo divitiarum!* potest enim divitiarum abyssus movere admirationem, non animum ita debilitare ac frangere, ut despondeat, ut concidat. Hoc enimvero fundamentum illud est, quo nixam esse volebat Petrus Apostolus interiorem fidelium pacem. *Omnem sollitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* Quasi dicat; deponite, quæso, fratres, ac deonerate sollicitudines & angores vestros

*Sap. 1.*

*Jerem. 3.*

*Rom. 11.*

*1. Petri. 5.*

omnes

omnes, quibus sustinendis fieri potest ut
partes non sitis. In quem autem? in Deum
vestrum, qui animo est in vos planè patrio,
qui vestri curam nunquam est abjecturus.
Fateor, salutem nostram in eo positam esse,
imò magis ab eo, quàm à nobis eandem
pendére. At nonne id ipsum lætitiæ nostræ
cumulum afferat, quòd possimus Deum hìs
etiam verbis compellare; *in manibus tuis*
*sortes meæ.* Est in te posita, Domine Deus, *Psal. 30.*
non dico temporalis mea sors, sed & æterna.
Ut fas mihi sit arbitrium sortis meæ trajicere
in alium, ubi tutior sit quàm in Dei, æquè
potentis, æquè boni ac fidelis, manibus? si
esset in meis, quo meæ res forent loco? qua
sum inconstantiâ ac fragilitate, quo niterer
præsidio; qua in re spes meas defigerem?
quid Christiano jucundius, quàm Deum, ut
salutis suæ custodem, ac veluti depositari-
um spectare? & peccatori maximè invete-
rato, quanta spei seges enascatur ex ea cogi-
tatione, salutem suam in Dei manu
positam adhuc esse; potestne gravius pla-
cere, quàm si tantæ rei curam illi commit-
tat, ipsum ipsi permittendo? &, an non ita
se gerit Deus, cùm in hominem maximè
profligatum & impium omnes severitatis
suæ justitiæ aculeos exercet? nonne id ex-
perimur quoties è peccatorum emersi cœno,
primo revivíscentis animæ motu feriuntur in
Dei sinum, amissam assiduo mundanorum
ho-

hominum usu, salutem quæsituri? ac si de se ipsi testari velint homines impii, nonne agnoscant ac fateantur quamquam inviti, ultimum veluti gradum quo perveniunt eò ut obdurescant, pessimam hanc conclusionem esse, qua colligunt illi, nullam sibi deinceps in Deo positam salutem, nullam nisi frustra ab eo sperari ac peti posse? magni igitur nostra interest, pendére salutem nostram à DEO, eundémque de ea priorem statuere, præpatatione illa gratiarum, quam Augustinus prædestinationem appellat.

Atenim sanctis terrorem incussit hujus mysterii consideratio; ac si sanctos perterrefecit, cur non impios agat in desperationem? addo verbum unum ad mores vestros informandos, christiani Auditores, & probatione maximè invictâ concionem concludo. Fateor tremuisse sanctos in hujus mysterii cogitatione defixos: at tantùm abest, ut, quæ causa terrorem ipsis incussit, desperationem nostram excuset, illam potius ut damnare contendam. Cujus rei facilis est & aperta ratio. Tremuerunt illi videlicet ob id unum, quod mysterium illud è Deo jam summopere pendens, intelligerent cum libertate insuper suâ, quàm flagitiorum omnium fontem putabant, necessariò conjunctam esse. Hoc ipsum autem salutis desperationem, inexcusabilem reddit. Quid ita? quoniam vel ex eo uno,

quòd humana libertas venit in prædestinationis partem, consequens est, si cælesti excidimus gloriâ, jacturam illam tantam nobis unis, qui eam volumus, attribuendam esse. Libenter istuc inficientur homines flagitiosi; atque hæc est eorum ars una, ut persuadere nobis studeant, salutem in mundo, certè in quibusdam mundi statibus, possibilem non esse, quò liberius, quasi pro suo jure, nullum non audeant, nullum non moliantur flagitii genus. Atenim prætextum illum Deus vel maximè diluit, cùm gravissimas has minas peccatoribus intentat in sacris litteris: *Vocavi, & renuistis: ego quoque*
*Prov. 1.* *in interitu vestro ridebo.* Neque enim dicit, vocavi, nec me sequi potuistis: ex quibus verbis salutem nostram, quamquam Deus, præstare cogeretur; nos contra eum veluti causam obtineremus, sed *vocavi*, & ad me venire noluistis; hoc est, noluistis efficaciter, noluistis omnino, noluistis constanter, noluistis eo modo, quo cætera perficere velle solebatis, cùm simulata non erat voluntas vestra. Hoc autem constituto, positum fuisse in nobis istuc ut vellemus, quid aut erat, aut est adhuc causæ, cur desperemus? si ad parandos sibi honores amplasq; fortunas, satis sit id velle, quis nostrum eò pervenire desperet? *vide, frater*, inquit Augustinus, *si labor est, ubi velle satis est* Damnatis desperationem affert hæc cogitatio, po-

poteram saluti consulere, nec volui. Quid dico ? non inde tantum nascitur eorum desperatio, sed ex hac alia cogitatione, saluti ut consulerem, erat in me situm, at nolui; jam, cùm sit istuc in optatis, non est in me situm. Nunquam autem talis est, quandiu vivimus, sortis nostræ ratio: fas enim nunquam est dicere, volo, nec possum: certò semper dicere nos oportet, istuc possum adhuc, quæ Dei singularis est in me benignitas, hoc unum super est, ut velim. En argumenta, queis olim Deus convincet anxietates nostras, aut fœdam potius morum nostrorum dissolutionem, cujus causa est anxietas ac desperatio illa, quam impugno. Frustra causabimur salutis difficultates: potuistis illas superare, respondeat DEus, at noluistis. Illáque salutis, si superis placet, insuperabilis in mundo difficultas, non modò nos non excuset apud Deum, sed & primum futura est, auctore Chrysostomo, damnationis nostræ instrumentum. Etenim ante omnia scire, credere, & persuasum habere nos oportebat, salutem in mundo, certisque vitæ conditionibus, ad quas eramus à Deo vocati, possibilem nobis esse. Igitur quòd eam finxerimus supra vires nostras esse; quòd spe Christianâ funditus eversâ ac profligatâ, res nobis redierit ad desperationem, hoc, inquam, primum ac potissimum erit subeundi à nobis judicii caput.

Salutem adipiſci volumus, quis enim tam inſanus, iſtuc qui nolit? at volumus voluntate generali & incertâ: conſiſtitur in votis quibusdam vagis, nec deſcenditur unquam ad certa ſalutis præſidia capeſſenda. Volumus voluntate debili & remiſsâ: moratur nos ac retardat in via minimus obex: deterrent à propoſito vel leviſſimæ difficultates: volumus voluntate inerti & otioſa: ubi manus operi eſt admovenda, ubi labori incumbendum, ubi certa quædam officia nobis obeunda neceſſariò, ubi certis ſumus exercitiis ac legibus ſubjiciendi, animis fracti, continuò cedimus. Volumus, voluntate finibus quibusdam ac cancellis circumſcriptâ: parati ſumus ad hanc & illam viam ineundam: ad hoc & illud agendum: at ita tamen, ut nihil ultra requiratur.

Itáne verò, inquiet Deus, cætera omnia volebas? itáne lethalis morbi ſanationem? itáne cauſæ victoriam? quot ſteriles Deus & infructuoſas voluntates reprobaturus eſt, easdem ut falſas & ſimulatas cùm rejiciet! volebat Pilatus morti Chriſtum eripere: an eſt propterea fidem habiturus, cùm dicet, iſtuc volebam. Volebat incolumem Herodes ſervare Joannem Baptiſtam: an audebit is affirmare, voluiſſe iſtuc, quantùm voluiſſe oportuit. Volebat juvenis ille evangelicus, Chriſtum pauperem pauper ſectari: at an voluiſſe dicendus eſt, cùm poſt

post salubre Christi Servatoris consilium, pedem retulit tristis ac mœrens. Nihil est, christiani Auditores, quòd nobis plus æquo blandiamur, nostrámque nobis salutem dicamus cordi esse. Ita quippe loqui, est Deo fucum facere velle: est secum pugnare: quoniã interea nosmetipsi tacitâ, nec unâ conscientiæ voce testamur, nihil minus nos, quàm salutem nostram velle: nihil minus, quàm ut eam velimus conari.

Atque hoc etiam loco detegendus vobis est alius quidam error nunquam fortasse vobis notatus, sed, si paulum attenditis, facilè agnoscendus. Quid enim fit? (est hæc egregia Chrysostomi observatio, nec minoris, meo quidem judicio, quàm integra concio facienda) quid fit? in sacris litteris, locis sexcentis significat Deus, idque disertissimis verbis, salvos ipsum nos velle. *Qui vult omnes homines salvos fieri.* 1. *Tim.* 13. Idem sexcentis aliis locis nobis exprobrat, & verbis iisdem, salutem illam, quam ipse vult, nos nolle. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* *Luc.* 13. Nos autem, per morosam quandam obstinationem, persuadere nobis ipsi studemus, nos istuc velle, non item Deum. Cùm certâ Dei voluntate fidere ac securos esse oporteat, de nobismetipsis diffidere ac dubitare, de Deo diffidentes, nihil non de nobis spondemus. Arguitas consecta-

mur, ut nobis ipsi probemus, Deum nolle, quod vult reipsa: contrà solertes sumus & ingenioſi, ad fucum nobis faciendum, quasi velimus, quod nolle nos constat. Utrumque autem quorsum evadit? ad universam & absolutam eorum omnium, quæ ad salutem pertinent, incuriam. At tamen quidquid id erit quod agamus, semper verum erit, exitium nostrum nobismetipsis ascribendum, nobismet, inquam, ipsis liberis ac volentibus; nos peccasse, nos deerrasse; nos in abyssum præcipites cucurrisse. Minus ah! scrutemur, christiani Auditores, humanis mentibus impervias illas de gratiarum auxiliis quæstiones; ne tam curiosè nos inferamus in tenebrosum hoc prædestinationis mysterium: at hæreamus in iis quæ sunt nobis à Deo revelata. Fuit hæreticis prædestinatio multiplicis erroris argumentum; sit nobis generosæ fidei mysterium ac seges. Fuit hoc dogma lubricum semper & errori finitimum; stemus Ecclesiæ decretis. Abusi eo sunt homines flagitioſi & impii, ut in suâ impietate flagitiisque suis perseverarent; eo nos utamur ad acuendum in nobis bonorum operum studium. Quin & longius progressi, rem fingamus, si necesse est, in extremum adductam discrimen; dicamusque cum solitario illo, qui salutis desperatione animum occupante, gravitérque jactante,

ctante, si fixa rataque est, inquiebat ille, damnatio mea, divinæ saltem gloriæ vivus inserviam. Atenim cur animum subeat tam deformis cogitatio, cùm me Deus sperare in ipsum, ut Servatorem meum invocare jubeat; cùm ad pœnitentiam invitet, cùm plectat, si eam omitto, atque adeò his doceat & pœnitentiam & salutem in meâ esse potestate sitam. En quod ignorare nequeo, quod agnosco, & cujus cognitio satis est ad firmandam imbecillitatem meam, ad extimulandũ, ad virtutis studio pectus inflamandum.

Nulla est igitur vitæ conditio, in qua sit æterna salus desperanda. Est enim vita præsens, salutis via; & quandiu sum in viâ, possum utique pervenire ad terminum, quoniam cuncta semper suppetunt ad eum assequendum necessaria præsidia, & nobis in manu est, ut iis utamur, & satis est istuc velle, ac seriò velle. Cur alioqui Deus interroget, num sanus fieri velim? *Vis sanus fieri?* Adulterii simul & homicidii labem suscipit David, nec despondet veniam omnem. Quid dico? cùm Deum, non dum nocens, vocaret Regem ac Deum suum, *Rex meus & Deus meus*: admisso peccato, nomine jam illum teneriore compellat ac blandiore, quod est notatum ab Augustino; *Deus meus, misericordia mea.* Quam in rem idem Augustinus exclamans, ô nomen, inquit, dulcedinis, solatii, & fi-

*Psal.* 5.

*Psal.* 58.

duciæ plenum! ô nomen, per quod mihi non licet esse diffidenti! *ô nomen, sub quo, nemini fas est desperare!* Cælesti Regno Judas excidit, non tam ob proditionem planè suam, quàm ob desperationem. Potest ex Apostata, è Sacrilego, è proditore recipere se ad bonam frugem, dein numero prædestinatorum ascribi, quemadmodum Petrus de blasphemo ac desertore, Apostolorum factus est princeps & Augustum Ecclesiæ caput. Tantam inter utrumque distantiam fecit, non peccatum ipsum, sed vera hujus falsáque illius pœnitentia: alterius fiducia, diffidentia alterius. Si Petri spem esset æmulatus Judas, jam inter cælites, ut & ille, coleretur; & de salute item, ut Judas, si desperasset Petrus, in reproborum numero, ut & ille, jam esset ascriptus. Credidit alter nondum sibi misericordiam exhaustam: atque hoc fuit illi prædestinationis initium. Animum induxit alter, sibi jam nullum veniæ locum superesse, atque hæc ejus damnationi causa fuit. Ex quibus egregium vos documentum capere velim, Auditores christiani. Nimirum non modò non licere ulli de summa Dei desperare bonitate, sed & hanc desperationem, novum crimen esse, quo cætera cumulantur. Etenim quantumlibet impurè ac flagitiosè vixeris, manet semper præceptum, quo præcepto jubéris con-

confidere Deo. Imò quo peccatis pluribus coopertum te vides, eò magis fiduciam tuam intendere te oportet, Deúmque orare Regii Vatis exemplo, tecum ut agat ex singulari sua misericordiâ. *Secundùm magnam misericordiam tuam.* Quod olim Judæ, est & certis quotidie peccatoribus ruinæ causa. Certos peccatores dico, non omnes. Peccatorum enim vulgus, spes nimia damnat. Nequitia & impietate insignes, spei defectus. Ea nimirum fraus est dæmonis; veram aliis fiduciam, aliis verum adimit timorem, in utriusque locum, hinc falsam fiduciam, inde falsum timorem, substituens. *Psal. 50.*

Fac igitur, Domine Deus, ut pios illos timoris pariter ac fiduciæ sensus aptè temperem: fiducia, si desit metus, animos tollet mihi, & superbum faciet. Metus, ni comes adsit fiducia, avertet à te, & me plus æquo timidum reddet. Doce me, quî metuere me oporteat sperando, & sperare metuendo; spem habere in tuâ misericordiâ, at simul tuam justitiam formidare. *Semel loquutus est Deus*, aiebat Propheta, *duo hæc audivi, quia potestas tibi est & misericordia.* Quid sibi vult sententia illa, quærit Augustinus? apud se quidem, semel Deus locutus est, respondet S. Doctor, quia unum Verbum genuit. At Verbum illud, sermo ille à Deo prolatus, fecit ut geminam *Psal. 61.*

*Psal. 118. Mahtt. 16.*

vocem audiremus, vocem misericordiæ, vocem justitiæ *Misericordiam, qua plena est terra; justitiam, qua reddet unicuique secundùm opera sua.* Minatur ac terret justitiæ vox: animum reddit vox misericordiæ. Habet hoc utraque, ut miro illo fiduciæ ac timoris fœdere temperata, in æternæ nos felicitatis iter deducat. Amen.



IN

# IN DOMINICA SECUNDÆ HEBDOMADÆ CONCIO.

*DE SAPIENTIA ET SUAVITATE CHRISTIANÆ LEGIS.*

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipsum audite. *Matth.* 17.

REX CHRISTIANISSIME,

HOC illud est mysterium insigne, quod ad Hebræos Apostolus scribens significat, cùm dicit: *Deum multifariam multisque modis loquentem olim patribus in Prophetis, novissimè loquutum nobis in filio.* In admirabili quippe Christi transfiguratione, quam Mat- *Hebr.* 1.

Matthæi verbis expreſſam oculis hodie noſtris Eccleſia ſubjicit, Pauli ſententiæ veritas plenè atque apertè oſtenditur. Data primitus lex erat in monte Sinai, cujus promulgator ac fidus interpres, imò, ſi verba ipſa ſcripturæ ſequimur, etiam auctor videri Moſes potuit. Conſecutis dein temporibus Prophetæ ſunt ab eo ſubmiſſi, qui legem hominibus exponerent, qui declararent enucleatè, qui ejuſdem violatores coarguerent, partímque minarum terrore, partim pollicitationum illecebris, ad ejus jugum capeſſendum pervicaces animos adducerent.

Cæterum & ſubſecuti prophetæ, Chriſti fuêre præcurſores duntaxat, léxque promulgata ab iis, præparatio quædam ad ſanctam novámque legem, quam Chriſtus allaturus erat in terras. Inde eſt quod Moſen inter & Eliam, illum legislatorem, hunc prophetam, medius ſtat, & ſtat inſolito ſplendore collucens; quo videlicet nos admoneat, diſciſsâ vetuſtæ legis caligine, planéque evolutis ac nudatis vaticinationum integumentis, nullum jam alium eſſe Doctorem, quem audire, à quo vivendi præcepta petere nos oporteat. Auſcultemus igitur, chriſtiani Auditores, novum hunc legislatorem, in eóque obſequamur Deo jubenti. *Ipſum audite.* Hunc tam juſtum, támque neceſſarium ſenſum vobis ut in-

injiciam, de christianâ lege verba facere apud vos hodie constitui. Quod argumentum tam grave ut dignè pertractem, sentio quàm mihi præsidio cælesti sit opus. Illud, B. Virginis interventu, supplex à Deo postulo. *Ave Maria.*

CUM ait Paulus, *placuisse Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, nihil est quòd propterea putemus, inesse quidquam in lege christiana, veræ sapientiæ ac rationi contrarium. Etenim, quod Hieronymus observat, qui tali est usus oratione, idem alibi significat, sui muneris esse, *sapientiam ut loquatur inter perfectos.* 1. Cor. 1. 1. Cor. 2.

Eodem munere, quo gentium Doctor, quando fungimur, quamquam indigni, eandémque legem annuntiamus, possumus pro jure nostro, affirmare, Auditores, quod & affirmamus in hoc ipso concionis hujus exordio, Evangelicam legem, de qua sumus hodie apud vos acturi, legum omnium esse & rationi & sapientiæ maximè consentaneam. Hæc prima sit propositio. Atque ut vestrum in eam studium magis inflammem, ulterius progressus addo, tam sapientem hanc legem, omnium suavissimam & amabilissimam esse. Hæc altera sit propositio. Geminæ dotes in lege Christi potissimùm spectandæ. Illa mentem,

tē, hæc hominis. Prout mentē respicit pectus respicit nihil habet illa non magni à nobis faciendum. Prout pectus, nihil habet illa amore nostro non dignū. Hac viâ principia duo falsâ con futaturus sum, queis christianæ Religionis hostes eam in contemptum & odium semper adducere conati sunt: in contemptum, dum persuadere volunt, pugnare illam cum sensu communi & veræ prudentiæ legibus. In odium, dum eam ostendunt ut acerbam ac duram plus æquo, omníque prorsus animi jucunditate privatam legem. His autem erroribus geminas oppono Evangelicæ legis proprietates, rationem dico ac sapientiam. Lex illa est summè rationalis, hoc prima concionis pars docebit. Est summè amabilis; hoc docebit pars concionis altera. Quæ duo capita graviſſima dum aperio vobis, attendite.

PARS I. SI res per se spectentur, & intra legitimi hujus officii fines, quo supremo rerum omnium Conditori subjici nos oportet, non nostrum est coarguere, imò excutere atque examinare legem à Christo delatam in terras, & ab eodem promulgatam. Etenim si Dynastis ac Regibus ferre leges ac sancire licet, tacitâ facti sui causâ, quoniam ipsorum voluntas, & arbitrium, est illis pro ratione, profectò æquum videtur, privilegium idem, idem obsequium, eandem reve-

reverentiam à nobis ei tribui, qui non legislator noster solùm ac magister, sed & Servator idem est ac Deus. Postulat igitur officii nostri ratio, ut nos ejus legi, non legem nobis, censuræque nostræ submittamus; ut eam observemus perquàm accuratè, non scrutemur superbè curiosi. Attamen videmus, nullam unquam legem hominum censuræ magis obnoxiam, atque adeò magis vexatam, magísque notatam, quàm legem Christi; ut meritò de eâ dicatur, quod legimus in Ecclesiastæ libro universè dictum de terrarum orbe, Deum ex singulari consilio, infinitis mortalium altercationibus ac dissidiis hunc veluti permisisse: *Tradidit mundum disputationi eorum.* Hæc enim lex, quantumvis sancta ac verenda, fuit ab ipsis penè incunabulis, seculorum omnium, si fas ita loqui, problema. Pagani, & è christianis homines facinorosi & impii, carnali prudentiâ suadente, reprobarunt illam, ut excelsiorem multò, & supra id quod fert mortalis conditio, positam; hoc est, ut affectantem immodicæ perfectionis formam, & præscriptos à recta ratione fines transeuntem. Contrà heterodoxi complures, judicio suo præfractè confisi, eam impugnarunt ut nimis commodam, & humanæ naturæ faventem plus æquo; hoc est, nimiam adhuc hominibus libertatem ac licentiam *Ecclesiast. 3.*

am

am largientem, & ab iis exigentem imperata non satis rigidè. Culparunt in eâ priores nimiam severitatem, nimiam indulgentiam postremi. Conquesti alii sunt, teste Augustino, rerum terrestrium abdicationem imperari ab ea commentitiam, & insanam; *Visi sunt iis christiani res humanas stultè & supra quàm oportet, deserere.* Alii, seri ac temerarii seculorum castigatores, atque, ipsis si creditur, cælo reformatores delapsi, & illud ipsum vitio vertére, quod in eo sit nimis indulgens, & exigat à nobis pauciora. Scitis, Auditores christiani, quid inde colligere primum libeat? nimirum legem christianam æquam, rationalem, regulæque illi, quàm Dei spiritus universè sequitur, consentaneam esse legem. Quid ita? quoniam medium tenet inter duo illa contraria. Nam, ut humanum est, semper in alterutrum à duobus ferri; contrà divini Numinis est, auctore Gregorio Magno, servare modum; pené necessariò sequitur, legem, quam homines, ut severiorem simul & laxiorem damnarunt, eam ipsam esse profectò, in qua sapientiæ simul & rationis temperationem illam reperias, unde, psalmographo auctore, lex efflorescit macula prorsus immunis: *Lex Domini immaculata.* Etverò addit Augustinus, (est hoc notatu dignum) si christiana lex probata esset ethnicis parte ab omni, jam tunc

*Psalm. 18.*

ratio-

rationalis esse quodammodo desiisset; ac si profligatis illa & improbis probaretur, jam nobis utique deberet esse subjecta; quoniam & placuisset, & placeret adhuc vitiosis hominibus atque corruptis. Ut sit qualis esse debet; ut sit irreprehensa lex, necesse est non sapere illam ipsorum palato. Quin & immoderatus, quem culpant in eâ, rigor, est ejusdem purgatio. Idem dixerim de hæreticis falso incensis divinæ gloriæ studio, vanâque superbiâ tumentibus; legem illam tam arctam per sese restringere conati sunt, & emendare id ipsum, à quo decebat eos emendari, quod alicubi Vincentius Lirinensis queritur. Atque ut christiana lex statueret severitatis modum, contineretque se intra fines *rationabilis hujus obsequii*, quo differt ab aliis, & discernit eam Paulus, necesse fuit, non consentire illam cum eorum commentis ac somniis, & ab iis aliquot in eâ nævos reperiri, ut nullum inesse constaret.

Si defendenda tantùm essent hoc loco christianæ Religionis officia, possem hic vela contrahere, & susceptæ causæ patrocinio abundè functus, finem facere dicendi. Sed ulterius progressus, volo, christiani Auditores, quantùm in me est, animos vestros ita parare ac munire, ut jam nihil contradicentes, nihil repugnantes, cælesti huic magistro, quem audire jubet

Deus, planè vos ſubmittatis. *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Volo, non vulgarem legis illius, cujus eſt auctor, vobis amorem excitare, ipsámque adeò, quantum neceſſe eſt, notam facere. Attendite quæſo. Fateor igitur, legem chriſtianam, ſanctam eſſe atque perfectam; at ſimul contendo, ejuſdem perfectionem, immoderatam non eſſe, quod mundana ſibi improbitas perſuadet; fateor, legem eſſe moderatam, atque ut talem humanæ accommodatam imbecillitati; at contendo, nihil in illius moderatione diſſoluti ineſſe, quemadmodum hæretica pravitas ſibi finxit. Hæc autem duo ritè cognita atque perſpecta, ad eam legem obſervandam me fortiter impellunt; præjudicia cuncta evertunt, queis contra eam, aut impietate, aut pravo ſui amore cæcata mens, occupari poteſt. Mihi denique perſuadent, ut vitam inſtituam ſanctè ac piè, quoniam nihil mihi videatur rectius & rationi convenientius, quàm ex hujus legis vivere præſcripto. Quem fructum non percipiamus ex hac doctrina, ſi ſit illa mentibus altè noſtris inſculpta?

Nihil habet chriſtianæ legis perfectio, inquit Chryſoſtomus, idem argumentum pertractans, nihil habet quod humanam prudentiam, quantumlibet moroſam ac difficilem, offendat; & rejicere illam, ut finem

finem & modum transeuntem legem, est immerenti facere injuriam: est eam ignorare: seu spectemus quæ præscribit illa universè, & ad omnes status pertinent, seu considerare libeat, quæ cuique præcepta vivendi tradit illa privatim, fert secum ubique supremæ rationis, à qua dirigitur, veluti sigillum. Ubique ostendit, ortam se é divino consilio tanquam è fonte. Etenim, pergit Chrysostomus, quid est in lege Christi adeò singulare, quod limatissimo cuivis judicio probari non debeat? hominem jubet abnegare seipsum, vim sibi inferre, carnem crucifigere, jubet comprimere cupiditates, utilitates suas contemnere, acceptam injuriam ferre patienter, & relinquere inultam, ablata sibi bona non repetere: imperat duo in speciem maximè pugnantia, certè maximè paradoxa: alterum, ut amicos & sanguine sibi conjunctos odio habeat; alterum, ut sibi inimicos, ut hostes amore prosequatur. Ponit illi criminis loco, opum & honorum conquisitionem; humilitatem in virtutibus; in fœlicitate paupertatem; in lætitiæ causis vexationes & afflictiones: quin & ipsius desideria cogitationésque moderatur ac premit; imperat, ut oblata certa occasione, aut oculum eruat sibi, aut brachium amputet. Denique hanc etiam illi necessitatem imponit, ut vitam profundat; ut necem subeat-

at, eámque crudeliſſimam, iſtuc Religio cùm flagitat, & eſt fides quam profitetur aliis probanda. Hæc autem omnia, chriſtiani Auditores, ſunt omninò conſona rationi, & tam conſona, ut ea ſi non exigat Evangelica lex, quantumvis moleſtiæ redire ad me ex his debeat, quantumvis mei ſint mores corrupti, ægrè illam non condemnem. Singula perſequamur, & eò, unde abiit, revertatur oratio.

Ita prorſus; rationi cenſonum eſt, ut abnegem memetipſe: non poſſum iſtuc vocare in dubium, ni me planè ignorem. Etenim cùm nihil ſim aliud ex natura mea, quàm vanitas, quàm mendacium; cùm boni quidquid in me eſt, non ſit ex me; cùm ſim aliud nihil per me ipſe, quàm miſeria, quàm cæcitas, quàm violentia, quàm diſſolutio, æquum non eſt, ut me, dum talem agnoſco, exhorreſcam, odio me ipſe perſequar, â me ipſe diſcedam? atque ita eſt intelligendũ præceptum illud inſigne, *abneget ſemetipſum.* Non præcipit Chriſtus, ut veras utilitates meas, ut veram mei ipſius charitatem, ut vera mea jura prætermittam & abjiciam prorſus, at, quoniam falſa ſunt jura, quæ veris confundo; quoniam falſa charitas eſt, quæ mihi blanditur, quæ me ſeducit; quoniam falſæ ſunt utilitates, quibus capi me, quibus profligari me permitto, &, quod mei ipſius nomine ſignifico, aliud nihil

*Luc. 9.*

nihil est præter hæc omnia, hæc ut omnia dimittam, vul ut dimittam me ipse, me videlicet ipsum abnegando.

Est rationi consonum, carnem meam ut cruciem, quoniam illa, si secus fecero, in rationem, imò in Deum ipsum rebellabit; sensus ut captivos teneam, quoniam, si sibi ipsi permittantur, in infinitos me tentationum laqueos immittant, ut *corpus castigem, & in servitutem redigam*, quoniam sanctæ austeritatis jugo, artus si solvantur, in vitiosam pudendámque mollitiem mores mei labantur haud dubiè. 1. Cor. 9.

Rationi consonum est, mihi ut fas non sit, privatas meas injurias ulcisci: quid enim fiat si penes quemque jus sit & arbitrium, odium suum explendi, & quò nos cæca cupiditas non trahat? rationi consonum, non modò ut acceptas injurias remittam, sed ut sim ad novas alias perpetiendas paratus; & infinitis in occasionibus, in quibus, quæ mea fragilitas est, christianæ charitatis naufragium sim facturus, si jura mea tueri restrictè ac præfractè velim, de iis sponte decedam. Quamobrem? quoniam charitas bonum est excellentius, atque adeò ob nullum aliud in discrimen adducendum; quoniam nihil est, quod gratiæ, quæ necessariò cum proximi charitate jugata est atque conjuncta, posthabere non debeam. Rationi consonum, ut amor

ille proximi, ad infensissimos meos hostes se porrigat; cùm, ne quid dicam de magnanimitate illâ christianâ planéque heroicâ, quæ in amore inimici se ostendit, & in officiis in eum collatis, doceat fides, hominem hunc, quamquam mihi inimicum, fratrem nihilosecius meum esse; méque, si cum Deo inimicitias gererem, expectaturum ab eo, ut in me misericordem se præberet, & gratiæ suæ præsidiis me præveniret. Cur enim animo sim ad deponendam offensionem rigidiori, quàm Deus ipse? Rationi consonum, ut vice valde mirâ & paradoxa, amicos, propinquos, imò parentes ipsos; odio habeam, si saluti meæ hi & illi sint impedimento. Tunc enim postulat ratio ab iis ut secedam; ut eos fugiam, ut eos abhorream; atque ita intelligenda est vox illa Christi: *Si quis venit ad me, & non odeit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus.* Sententia, quæ, ut ait Gregorius Magnus, pietatem non abolet liberorum in parentes, sed impietatem damnat parentum illorum, qui acceptâ potestate dum abutuntur, filios suos, dæmonis partibus susceptis, in deterrimam viam immittunt. Quid? aiebat olim Tertullianus, Evangelicæ hujus doctrinæ æquitatem ostendens, necesse erat Romanos, milites ut fierent, abdicare parentes suos & ejurare quodammodo inter militare Sacramen-

Luc. 14.

mentum; & videbatur illa disciplinæ severitas non necessaria minus quàm justa. Igitur si Christus eâdem nonnunquam lege nos astringit, putà cùm gnati pietas in patrem, uxoris amor in virum, stare non potest cùm cultu & obsequio divino, possumus affirmare, nimium à nobis postulari?

At cur oculum sibi quis eruat? cur sibi manum amputet? causam ipse tuam agas, divine hominum Servator, & de sermonis hujus tristitiâ, humanæ prudentiæ, verbo uno satisfacias cumulatè: quoniam, inquit ille, multò satius est, in cælum hominem ingredi, oculo altero captum, alterave truncum manu, quàm sempiternis ignibus addici. Quoniam, eorum, qui Deo serviunt, pudorem, homo mundanus, ex profana sapientia, oculum sibi quotidie eruit, amputat manum, quo rem sensu Christus intelligit; hoc est, abstrahit se ab eo quod est illi longè carissimum, ut publicam vitet hominum offensionem, unde sibi, fortunæque suæ grave aliquod malum metuit. Quoniam mundana fœmina, quæ rationem adhuc ducem sequitur, vincula, queis tenetur, quantumvis blanda, quantumvis utilia sint, abrumpit, cùm primùm ea intelligit, sine magno famæ suæ detrimento, ferri amplius non posse. Quasi sit à Deo decretum, ut ratio *filiorum hujus seculi* ce- *Luc. 16.*

dat *in lucis filiorum eruditionem*; aut potius, ut Evangelicæ hujus præceptionis apo-
Matth. 18. logia quædam sit, tacitaque defensio; & *oculus tuus scandalizat te, erue eum.*

Neque hoc satis est: cur crimini nobis vertuntur desideria, & habetur pro adulterio, oculorum in mulierem impurus lascivúsque conjectus? discite istuc, Auditores, ex Hieronymo. Quoniam, quod requirere non licet, desiderare non licet. Quoniam quæcunque lex desideria impunita fert, lex est imperfecta, hypocritis & simulatoribus, quàm justis efficiendis aptior, cùm emendari nemo homo possit, quin prius animi appetitiones emendentur. Cur beatitas ponitur in paupertate, tam vili
Matth. 5. tam abjecto statu? *Beati pauperes spiritu.* Ex sensu vestro rem ipsam expendite atque æstimate, Auditores christiani; quoniam quantùm vulgò paupertas coacta contemnitur, tantùm constat apud omnes, voluntariam pauperiem, de qua Christus loquitur, honore nonnullo dignam esse. Et aliunde docet experientia, solos *pauperes spiritu*, fœlices esse in terris; cùm acre terrestrium bonorum studium, sit maximè vulgaris ægritudinum nostrarum omnium causa. Denique (& hoc præcipuum est caput) cur homines naturâ tam imbecilli, terrâ astringantur & horrificâ necessitate, ut, aut apostatæ fiant & *anathemata*, aut difficilibus

libus quibusdam Ecclesiæ temporibus, acerbissimis suppliciis torquendum corpus præbeant? in eo quippe divina lex videri possit profanæ sapientiæ cultoribus minus moderata. Jubet illa, idque æterno cruciatu proposito, ita nos semper animo esse constitutos & comparatos, ut emori, quàm fidem dissimulare atque obtegere malimus. Est hoc autem, inquitis, rationi consentaneum?

Respondeo ego, potestis istuc vocare in dubium? atque ut pateat attendenti, an alia re opus quàm primo rationis lumine? etenim quæritur, an æquum sit, ferro potius objicere caput, quam Deo debitam fidem violare? Quæro ego vicissim, annon æquum sit, regiæ subjectum potestati, paratum esse, vitam potius amittere, quam Regi obligatam fidem? quæro ego vicissim, an non æquum sit, hominem honestum, quidvis paratum esse potius perpeti, quàm ignavè quid & perfidiosè feciſſe? quæro ego vicissim, an non æquum sit, hominem militarem, capitis sui periculum adire millies, ut devotam, & sub cultro semper pendentem victimam, quàm militari officio turpiter deesse? non æquum illi modò, sed & honorificum & glorioſum istuc videtur. Quid ergo, inquit Augustinus, mortem oppetere Christi causa, stultum habebitur, mundi studio, generoſum & nobile? alte-

rumne vix probabit humana ratio, in necessariis officiis alterum dum ponet? nihil est in eo, christiani Auditores, nihil in reliquis quod censuræ nostræ mucronem ferre ac sustinere non valeat. Vivamus convenienter rationi, & fatebimur, Evangelicam legem cum ratione magis congruere, quàm nobiscum. Animum nostrum planè submittamus rationis imperio, nec erit in Christi quicquam lege quod nos amplius offendat. Si enim nos offendit, ideò tantùm offendit, quod nihil cupiditati tribuens, in angustiorem rationis veluti gyrum nos compellit. Advertite, quæso, Auditores. Non dico, christianam legem, nihil superaddere rationi, qui Pelagianorum est error; dico legem Evangelicam rationi nihil superaddere quod non eam perficiat, quod non eam attollat, quod non eam purget, nihil quod non sanxisset ratio ipsa, si per se fuisset, ad illius excellentiam & utilitatem perspiciendam, minus hebes.

Non me fugit, christiani Auditores, atque ita transeo ad alterum dogma propositum a me, quo primum multò validius probatur, tantùm abest ut illud infirmet; non me fugit, & fateor, homines semper extitisse singulares ac devios, qui commentitiis suis opinionibus occupati, Evangelicæ legis fines longius produxêre. Animum intendite: digna res est, animadversione vestrâ.

Scio,

Scio, quod est observatum ab Augustino, Evangelicam perfectionem malè intellectam, falsóque subnixam Religionis studio, genuisse maximè obstinatos errores, atque ut horum exempla subjiciam, scio jam inde ab Ecclesiæ primordiis exortas esse, quod scribit Apostolus, perfectorum & illuminatorum, ut vocant, hominum sectas, quorum illi conjugium, hi promiscuum ciborum usum, alii iteratam pœnitentiam, alii fugam in persecutione damnabant; privatâ auctoritate, quidvis reprobantes, quod minus sanctum ipsis videretur, idque non reformatorum ritu, sed pro principum & legislatorum imperio. Scio, fuisse unum hunc è Pelagii erroribus, ut consilia confundens cum præceptis, pugnaret, nullam, citra veram terrestrium bonorum abdicationem, salutis spem esse, negarétque fas esse christianum hominem possidere quicquam, quin incideret in Apostasiæ genus quoddam, & ab officii religione declinaret. Scio, nonnullos eò etiam progressos, ut hominum turbarent societatem, dum in hac Christi sententiâ litteram sequuti, *ei autem & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*, morem receptum bona sua reposcendi per judicem, in flagitiis numerabant; nec satis animo providentes, quæ per eam doctrinam mala inveherentur, quámque fructuosa cupidis & avaris hominibus futura illa

Luc. 6.

illa esset, bona sua, etiam sublata per vim, christianum repetere vetabant. Scio, inquam, hæc omnia, ac, si vultis, & hoc etiam scio, commentitias illas perfectionis formas, eò tantùm vulgò valuisse, ut legem christianam adducerent in contemptionem ethnicorum, intolerabilem redderent hominibus flagitiosis & impiis, ut casûs ac ruinæ causas infirmis ac timidis afferrent. Atque hoc ab Augustino est etiam observatum. Dixi, ut christianam legem adducerent in contemptionem ethnicorum, qui eâdem ex iis æstimata, repudiarunt illam velut insanam, quamquam absolutissimum sit illa sapientissimæ mentis opus. Ut intolerabilem illam redderent hominibus flagitiosis & impiis, qui cùm aguntur christianorum officia, gaudent res exaggerari verbis, ut habeant aliquid causæ, cur iis fidem abrogent, ac præsertim ea ut omittant quasi pro suo jure; aut onera sibi plura imponi, ut eo prætextu nihil non detrectent. Ut casûs & ruinæ causas infirmis hominibus afferrent, qui per eos errores, conscientias sibi conflarunt, unde vera crimina, tanquam à suo fonte sunt profecta. En quippe fructus quos semper edidit ejusmodi perfectio, quoties ad veræ fidei regulas non fuit exacta. Atenim non est hæc christianæ legis perfectio. Quid ita? quoniam nihil est in his omnibus quod christiana fides non

non abnuerit tanquam adulterinum, imò censura etiam notarit. Ut semper improbavit Evangelicæ severitatis condimenta, quæ poterant ipsius integritati labem aliquam inferre, ita nunquam passa est ejusdem præceptorum vincula, quo falsus illi sanctitatis color induceretur, arctius, quàm par est, astringi. Quæ se illi cunque ostendit reformationis species, in ea semper stetit Pauli sententia, *rationabile obsequium vestrum*; ut nihil haberet, inquit Hieronymus, quod opponeret quantumlibet morosa infidelitas; ut nihil occurreret, quo humana ratio quantumvis perspicax meritò posset offendi. *Rom.* 12.

Etenim si diligenter eam legem excutimus, quò magis apices ejus omnes perscrutabimur, eò sapientia ejus omnis magis elucebit. Seu voluptatibus nostris adversetur; seu quædam honesta & moderata concedat oblectamenta; seu susceptа nostra vituperet; seu certas nobis permittat honestas, ac sæpe etiam necessarias curas; seu compescat ac refrænet ambitionem nostram; seu nos finit servire vitæ necessitatibus, & ratione ac viâ non iniquâ, stabilem ac propriam nobismetipsis fortunam parare; seu rigidâ falce luxuriem premit nostram; seu decentiam quandam approbat modestam, Christianóque homine dignam; idem se ubique nobis cælestis sapientiæ nitor,

tor, ac veluti, character ostendit. Igitur perfecta est lex Evangelica, sed eâ perfectione, quæ pectus expugnat, dum mentem evincit. Perfecta est, sed eâ perfectione, quæ se ad omnem accommodat hominum sortem ac conditionem. Perfecta, sed eâ perfectione, quæ nihil non componit, nihil non emendat, nihil non continet, tantùm abest quicquam ut turbet ac misceat. Perfecta, sed eâ perfectione, de qua Ambrosius, quæ nobis animum deprimit, sed non serviliter & abjectè; quæ magnanimos nos reddit, at sine fastu; modestos, at non coactè; liberos, at non effusè, omnes animi motus & affectus æquato velut examine sustinens ac librans. Perfecta denique, sed semper quantùm duæ illæ voces, prudentia & veritas, patent.

Addo, sic eandem divinitus esse constitutam, ut, quemadmodum immoderati nihil habet ejus perfectio, ita soluti nihil habeat, quem tenet, modus. An hoc loco immorari nos oporteat, ni vivamus eâ ætate, qua verbi divini præcones nulli non malo necesse est occurrere? sic est; soluta nusquam est Christianæ Legis moderatio. Frustra conati sunt Eterodoxi eam ob rem maculam inurere ipsi. Falsam criminationem apertè semper depulit, imò posuit aliquâ in laude. Frustra Tertullianus in remittendis flagitiis indulgentiam ipsi exprobra-

bravit; frustra est in catholicos invectus, & carnales eos appellavit: frustra nobis Ecclesiam effinxit velut apertum humanæ licentiæ campum; *de campo laxissimæ disciplinæ.* Id unum acriore perfecit stylo, naturam ut proderet & zelum amariorem, nec nisi pauciſſimos imbecillæ mentis homines moveret. Non jubet Evangelica lex saluti peccatores desperare, sed metum illis iniicit desperatione magis salutarem; fiduciam non præcidit ac vetat; at habet illa unde vanum præfidentis animi tumorem comprimat. Non minatur quidem quasvis ob noxas æterna supplicia; at quamquam ea non minetur ad commissum quodvis, sexcentis tamen in rebus, eorum periculum non omittit ostendere, ut vel sanctos ipsos sacro pavore perfundat. Id omne quod peccatum est non damnat quidem, ut lethale, sedenim quisquis Deum non ignorat, quisquis salutis cupidus est, horrorem illi summum iniicit peccati, etiam illius quod veniale dicitur. Secernit illa quidem à consiliis præcepta; at simul significat, consiliorum neglectu, viam sterni ad præcepta violanda, alterúmque ex altero penè necessariò sequi. *Tertull.*

Fateor autem, christiani Auditores, ex omnibus argumentis, quibus mihi Religionis, quam profiteor, veritas persuaderi potest, nullum esse illo potentius. Multis in Ec-

Ecclesiâ Christi vinculis teneri se dicit Augustinus, eáque dum percenset sigillatim, habet ejus oratio quod animos maximè pervicaces & incredulos convincat. *Multa me in Ecclesiâ justissimè retinent.* Ego verò in purâ illâ ac planè cælesti Christianæ Legis sapientiâ inesse quiddam singulare sentio, quod me movet, quod allicit, quod attrahit ad sese. Ita quippe ratiocinor cùm Ruperto, Deum esse cùm constet, idque argumentis demonstretur maximè evidentibus & apertis; cùm idem ille cultu proprio & certæ religionis exercitio sit colendus, errare non possum, hanc si amplectar, in qua summam deprehendo planéque divinam sapientiam ac sanctimoniam, quæ & humanam industriam & conatus omnes prorsus superat. Si profana esset sapientia illa, posset utique prima illius species oculos mihi præstringere; sedenim ad eam planè cognoscendam paulò diligentius attendenti vitiosum quid brevi occurreret, quo delusa mens errore suo liberaretur. Religio non minus sapiens, quàm Christiana, sit oportet, hoc est, sapientiâ omnino sanctâ, sapientiâ virtutum omnium velut fundamento quodam subnixâ, ut eam amplectar, quoniam Dei, citra controversiam, est opus, nec suppetit quod ei opponam. Exclamo jure multo potiore cum Petro Apostolo, *Domine bonum est nos hîc esse.* In bonis ah!

*Matth. 17.*

Do-

Domine Deus, nec satis unquam æstimandis bonis, ponendum mihi est, quòd legem hanc tuam cognoverim, quòd eam fuerim amplexus. In eâ mihi figenda est anchora; atque ut in eâ firmiter permaneam paratus sim oportet, Martyrum tuorum exemplo, ad jacturam bonorum omnium faciendam, imò ad sanguinem etiam ipsum profundendum: *Domine bonum est nos hîc esse.* Optabat Petrus, lætitiæ suæ non satis compos, Thaboreo in monte commorari; ac quoniam istuc optando, beatitatem quandam temporalem tantùm cogitabat, non sempiternam illam ac cælestem, addit Evangelista, nescisse Petrum quid diceret, *nescions quid diceret.* Ego verò, Domine Deus, probè intelligens quid dicam, réque planè cognitâ atque perspectâ, des hoc mihi postulo quæsóque, ut in tenenda & observanda divina tua lege, firmus semper & inconcussus persistam: *Domine bonum est nos hîc esse.* Neque verò eam sequutus errare metuam, quoniam lex nulla est, cujus doctrina sit rationi & sapientiæ magis consentanea, ut nulla est, quam unctio sua & amabiliorem & dulciorem reddat. *Luc. 9.*

MAgni Numinis est, Christiani Auditores, magna posse imperare, magna posse exigere; atenim ejusdem Numinis magnitudo postulat, ut magna illa, quæ ab PARS II.

hominibus exigit, officia, non modò eos non opprimant difficultatum pondere, sed ut grata etiam ac jucunda ipsis fiant. Nam, ut ait Cassiodorus, ad heri hujus præpotentis gloriam pertinet, ut à famulis ipsa famulandi necessitas in fœlicitate ponatur. Atque hîc etiam erratum ab iis est, qui suo sensu Christi legem dum metiuntur, alterum ex his principiis nimiùm amplexi sunt, alterum non satis attendêre. Verum quidem est summum hunc legislatorem nostrum, legem nobis suam, ut onus aliquod ac jugum, proponere; at simul significat, nec huic oneri levitatem, nec jugo suavitatem

*Matth. 11.* deesse: *Jugum enim meum suave est, &c.*

Inde est, quod ex mirabili sapientiæ suæ consilio, eos tantùm invitat ad illud in humeros tollendum, qui jam onusti erant aliounde ac gravati; levamentum laboris spondens illis ac promittens, haud aliud tamen quàm quod jugi sui conferre potest gestatio:

*Ibid.* *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Mysterium quod prima quidem specie impossibile visum est ac secum pugnans, sed cujus certissimam veritatem res ipsa comprobavit. Mysterium, justorum, imò peccatorum omnium experimento firmatum, cùm sit evidens, nullâ re levari magis posse flagitiorum pondere gravatum, mundanæque servitutis pertæsum hominem, quàm Christi Servatoris jugo

jugo libentem ac pronam cervicem submittere.

Igitur ut absoluta Legis Evangelicæ forma haberetur, hæc duo, tam sanctè, tamque divinè ab eâ vincta atque connexa, jugum & suavitas, non erant unquam ab invicem disjungenda. Atqui hoc ipsum est, quod homines diduxêre; homines, inquam, amore sui ipsius occupati, quique in his jugi & oneris vocibus hærentes, atque ut supperteret quod obtenderent ignaviæ suæ, omissâ, quam Christus spopondereat, unctione, legem Christianam sibi finxêre ut acerbam, ut gravem; ut intolerandam, ad eos tantùm vexandos compositam ac fictam legem; quò factum est, ut in ipsorum & in aliorum illa fastidium & odium veniret. Haud absimiles Israëlitis illis, qui, ad explorandam promissam à Deo regionem, præmissi, id unum perfecêre, ut horrorem illius injicerent cunctis, tristi specie Telluris objecta, quàm & immanibus scatere belluis ac monstris dicerent, non sine cruenta indigenarum strage. *Hæc terra quam lustravimus, devorat habitatores suos; ibi vidimus monstra.* Numer. 13. Damnosa non minus quàm subtilis dæmonis ars, qua incautis mortalibus exitium jam olim parare solitus est, & eorum animis cuncta erüere pietatis ac religionis semina. Atenim frustra eam adhibeat adversus hominem Christianum Evangelicâ

doctrinâ perfectè planéque instructum, & paratum ex animo ad eam, quam profitetur, Religionem tuendam. Quid ita? quoniam cùm talis sit, facilè se tueri possit hac cogitatione, qua fides ipsum instruit ac munit, quantùm videlicet lex Dei perfecta est, tantùm ejusdem unctione, quam semper habet adjunctam, facilem illam & amabilem reddi; ac quicquid caro, quicquid contra suggerat mundus, ad eam semper Regii psaltis mentem revolutus, exclamabit, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Quàm suavis est, Domine Deus, lex tua, quàm iis suavis est, qui gustum illius habent, & quam terrestris sit oportet, quàm carne demersus, cujus illa palato non sapit! Etverò, si vigente lege rigida, qualis Mosaica fuit, sanctissimo Prophetæ ita loqui fas erat, non probrosum modò, sed & flagitiosum fuerit, de Christianâ lege, quæ charitatis & gratiæ lex est, non sentire idem & loqui? notate, quæso vos, Auditores, geminas illas dotes, quæ Christianæ sunt legis propriæ. Est gratiæ, est charitatis lex; en quæ juvant ad eam observandam, ad difficultates, quæ nobis obsistunt, superandas, & excusationes nostras omnes apud DEum vanas reddent. Animum advertite.

*Psalm.* 118.

Dixi, legem esse gratiæ, in qua dat certò DEus id quo fiat id quod jubet, aut potius quo

quo DEus ipse id perficit in nobis, quod à nobis exigit. Quid est quod exoptetis ampliùs? quæ prohibent, ne divinam hanc legem observes, Christiane Auditor, ac ne speres fore, ut eam unquam observes, est, inquis, pravæ tuæ naturæ pondus, caro illa concepta in peccato, sempérque in spiritum rebellans; at finge, inquit Chrysostomus, DEum te his verbis compellare: certum mihi est, ô homo, auferre à te cor illud profanum, novum aliud substituere in ejus locum. Humanæ tantùm suppetunt vires, volo divinas adjicere. Non solus ages postmodum, non solus pugnabis, non solus resistes; ego ipse in te pugnabo; ego ipse de pravis illis cupiditatibus, de carne illâ corruptâ triumphabo. Si te Deus in eam sententiam alloquatur; si tam luculentam ultro deferat conditionem, num sortem adversam conqueri rursum ac deplorare audeas? quot autem scripturæ locis istuc spopondit? non dixit apud Ezechielem, *ablaturum à te cor lapideum, & daturum cor novum*, cor videlicet docile, & legi suæ subjectum? non fide constat, promissum illud ad illos attinere, quibus lata illa gratiæ lex esset? non vobis autem, qui Christiani estis, lata illa est? quid ergo metuitis? ne fidem Deus obligatam non liberet? at est hoc dubitare de ipsius fidelitate, ne, contra Dei promissum gravior sit divi- *Ezech. 36.*

næ legis obſervatio ? At eſt hoc dubitare de ejuſdem potentiâ ? *Da, Domine, quod jubes*, ajebat olim Auguſtinus, *& jube quod vis.* Hoc eſt præcipe, Domine, quidlibet, dum gratiæ tuæ præſidio, vires ad id quod præcipis, perficiendum, ſuppedites. Noli, Domine, noli mollitiæ meæ habere rationem ullam ; noli qui ſim attendere: cùm enim vincere in me debeas, tuæ, non meæ virtuti confidere me oportet. Utere ergo jure & auctoritate tuâ ſummâ : onera me omni mandatorum tuorum pondere: quod ſenſus, quod pravus mei ipſius amor magis refugit & abhorret, id ipſum præcipe. Age me per vias anguſtiſſimas : adjuvante gratia tua, nihil labori erit; expertus loquor, Domine Deus, ſubdit idem Auguſtinus ; *dirupiſti* enim *vincula mea*, & liber iſtuc ad nominis tui gloriam, & legis tuæ defenſionem palam apertéque prædicare. Ah! quid in me non potuiſti, DEus meus, & quid non potui tecum? quàm facilè mihi fuit abſtinere voluptatibus illis quibus me fœdè mancipaveram ; *quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, quale & quantum dimittere gaudium fuit.* Mihi fingebam in te, fingebam in me monſtra quædam, quæ nullis viribus ſuperari ac vinci poſſe videbantur. Sed enim cùm primùm pectoris mei duritiem emollîit gratiæ tuæ benig-

*Pſal. 115.*

*Conf. 9. cap. 1.*

benignitas, agnovi commentitia esse monstra illa. Quapropter in his, quæ ad legem tuam pertinent, nihil jam exceptum volo: *Da quod jubes, & jube quod vis.* Ita sanctus ille Doctor; ac si ea est gratiæ cælestis vis ac potestas, quî possumus expostulare cùm Deo de nimiâ jugi legisque ipsius gravitate? at deest illud gratiæ præsidium, quo instructus agebat Augustinus. Fortasse vobis deest illud, Auditores christiani; at de eo parando an estis solliciti? an id agitis istuc ut impetretis? an exposcitis à Deo? an eos aditis fontes, Sacramenta videlicet, è quibus ad nos illud derivari voluit? an ea cuncta removetis à corde vestro, quæ obstant illi & officiunt? ac permirum non est, cùm nihil agatis eorum, quæ legem vobis faciliorem reddant, summas ejus difficultates causari vos, cùm vos ipsos, vestramque ignaviam unam accusare vos oporteat? habebit profectò, christiani Auditores, habebit Deus unde ignaviam illam vestram valde vituperet ac damnet, cùm errorem confutabit, qui & causa illius est, & velum quo se obtegit. Dicet enim vobis, & merito vestro majore dicet, quod olim populo suo: non legis meæ rigor apud me excusare te aut potest, aut debet. *Mandatum hoc* (sunt verba ipsa Dei loquentis in sacris literis,) *mandatum hoc non erat supra te neque procul positum, nec in cœlo situm*

*ses dicere : quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus ? Neque trans mare poſitum, ut cauſareris ac diceres ; quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre : ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt.* Imò *juxta te erat ſermo : in ore tuo & in corde tuo, ut faceres illum.* Habebas mandatum intra ordinem, intra fortunæ tuæ conditionem, ut facilis eſſet illius obſervatio. Quamobrem? quoniam unà conjunctum cum eo erat gratiæ meæ præſidium. His autem verbis unum Deus voluit, ſpecioſas videlicet & inanes cauſas omnes diſturbare, per quas divinam ipſius legem violamus, dum eam ſpectamus per ſe ſolam, iiſque præſidiis, quorum aſſatim illi eſt, nudam ac deſtitutam. Dicere ſenim præſidia illa deeſſe nobis, etiam cùm ea poſcimus à Deo ; promiſſi hujus inſignis de ſpiritu ſuo plenè in nos effundendo, tam levem fructum eſſe, ut ne id quidem nobis ſuppeditet Deus, quo ſubnixi jucundè & hilariter viam mandatorum ejus decurramus ; novæ legis excellentiam ſupra veterem, ad nihilum recidere, Chriſtique Servatoris obitam pro nobis mortem, eo tantùm valuiſſe, ut jugum Domini gravaret ; hæc, inquam, dicere, eſt injurioſas & contumelioſas in ſummam Dei bonitatem ac fidem voces jactare. Quid ergò nobis deſit ? duo. Sincera fides

Deut. 30.

&

& spes viva. Alterum, quo fiduciam in Deo nostram constituere possimus. Si enim gemino illo nexu sibi nos DEus devinctos teneret, mutaretur in robur invictum imbecillitas nostra, juxta illam Prophetæ vocem; *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Excusso torpore, jam gressus haud segnes moliri, jam currere, jam volare inciperemus aquilarum ritu; *Assument pennas ut aquilæ: volabunt & non deficient.* At quoniam desciscimus eb eo, hærenus debiles semper ac languidi, animo nunquam mœrore, tædio, molestis & angoribus vacuo; quasi Evangelium non sit gratiæ lex, quæ vias omnes planas euntibus & expeditas faciat. *Isa.* 40. *Ibid.*

Quid si addo, illam gratiæ legem, charitatis & amoris legem esse? amoris & charitatis, cujus hoc proprium est cuncta ut mitiget & molliat; cuncta ut reddat non possibilia modò sed & facilia; non tolerabilia modò sed & jucunda, jugo ut onus omne detrahat, ac si fas etiam dicere, quò gravius est, eò levius jugum efficiat. Paradoxa vox, quam Augustinus explicat percommoda similitudine, quam & mutuari ab eo non piget. Videtis avem, inquit sanctissimus Doctor, pennis instructam & onustam; at, quod oneri est, agilem facit, &, quò pennis est magis onusta, eò perniciore fertur volatu. Pennas igitur si demis, nativo qui-

dem pondere levas, at levatam deprimis, & hærere cogis in terris: *Quoniam exonerare voluisti, jacet.* Contrà, redde alas; onus ablatum restitue, continuò videas tollere se humo præpetem, corpúsque in alas, non jam segnes ac pigras, librare. Quid ita? quoniam dum fert pennas, ab illis fertur. Fert illas in terrâ, & fertur ab illis in aëra: *redeat onus & volabit.* Talis est, addit Augustinus, lex Christi. *Talis est Christi sarcina.* Fert & fertur. Fertur, dum ei paremus, dum eam observamus; fert, dum nos excitat, dum nos acuit, dum vires addit: *Alia sarcina pondus habet, Christi pennas.* Abeamus à similitudine, & firmiora subjungamus.

Tres, prout homines respicit, titulos obtinet summus ille mortalium conditor atque effector Deus. Herus dicitur, quæ nos illi mancipat appellatio. Remunerator, quo nos nomine, ceu mercenarios, spe mercedis propositæ, pellicit ad sese. Est & inditum patris nomen, quo sibi nos tanquam filios, arctè devinctos tenet. Pro titulo autem illo triplice, (id animadvertit Bernardus) triplicem Deus legem hominibus imposuit. Legem auctoritatis, ut servis; spei, ut mercenariis, ut filiis, amoris, priores duæ, laboriosæ fuerunt & graves. Tertia, suavitatis est & jucunditatis plena. Quid est inde consequutum? laboriosis, inquit Augustinus

gustinus, molestis ac formidolosis exercitum legibus humanum genus, servitutem ingemuit suam. Atenim non gemitus, non labores, non molestiæ, non terror assiduè injectus, herilis imperii severitatem mitigare potuit: cùm Christianis contrà, legem Evangelicam cælestis quidam sapor amabilem, unctio perjucundam & acceptam reddat: *Timuerunt & non impleverunt, amaverunt & impleverunt.* Quandiu viguerunt primæ duæ leges, Deum cupiditatis vindicem, homines cupidi & avari metuêre; at nihil prohibebat metus ille, quin aliena bona injustè & per vim auferrent, certè appeterent. Contra vigente jam lege Evangelicâ, addixêre se amanter pauperi Deo mortales innumeri, ejusdémque studio, non rapuere aliena, sed & ultrò abjecêre sua & omnia: *Timuerunt & rapuerunt res alienas, amaverunt, & donaverunt suas.* Hoc vesani non intelligunt mundi amatores, quamquam per sese ipsi, atque ex proprio suo sensu facilè intelligere, si velint, possint. Videmur illis aliena loqui, cùm sermonem habemus apud illos de mirabili divinæ charitatis efficientia: at, ex profano, quo tenentur, amore, quid sacer possit æstiment. Queis se legibus, volentes astringunt? officii legibus, justis quidem, sed laboriosis? peccati legibus, iisque injustis ac pudendis. Receptis in mores legibus, sed ineptis ac ridiculis,

culis; humani respectûs legibus, duris iisdem ac tyrannicis, decori legibus, fastidiosis illis & molestis. Attamen quoniam tenentur illi mundi studio quod inesti n mundi obsequio magis acerbum, magis incommodum, magis durum ac difficile, facile fit illis atque expeditum. Nihil est illis grave, cùm sunt obeunda civilia quædam officia; cùm profanæ consuetudines retinendæ; cùm est habenda honestatis ac decori ratio, cùm est ineunda fallax mundi gratia. Pari autem in DEum illi quo in mundum amore ferantur; nec mutato affectu, sed re, amorem abjiciant illinc, transfundántque in DEum, & lex illa Dei, supra vires hominum credita, in aliam videatur illis repente mutari. Operi manum admovebunt, & opere in ipso facilè acquiescent; pugnabunt, & inter pugnam, pax illis erit tranquilla, abdicabunt terrena omnia, & erit illis abdicatiò ipsa thesauri instar; nullas non pœnas Deo dependent, nullâ non in re vexabunt se ipsi, nec erunt pœnæ tam graves, nullum vexationis genus tantum, in quo fœlicitatem illi suam non ponant. Ita divina lex & jugum est simul & levamentum, onus & adminiculum. Ea de re, si dubium est, appello non conscientiam vestram, cùm testari nequeatis quod vestrum non est sentire, sed tot cœlites, qui sunt istuc olim experti; tot homines justos, qui & id ipsum expe-

rtun-

riuntur assiduè. Quid? non catenas lex illa mutavit in vincla honorifica? non cruci illecebras, non ignibus vim addidit refrigerandi? Testis Paulus, testis Andreas, testis Laurentius. Tot miracula non edit etiam num in oculis nostris? non facit illa, tot Christianianæ Virgines, monasticis ut septis inclusæ, disciplinæ durioris incommoda cuncta perpetiantur? non facit, ut pœnitentiæ dum dant operam tot mortales, acre bellum sibi inferant ipsi, corpúsque castigent ac mactent assiduè? non facit, ut divitiis paupertas, obsequium libertati, castimonia libidini, jejunium, inedia, cilicium, cunctis vitæ mollioris commodis præferantur? quid dico, cujus exempla, eaque frequentia, non extent, & in oculos vestros incurrant? non sunt illa proposita vobis ad imitandum? igitur si lex vobis, inquit Hieronymus, difficilior videtur, non lex non ejus difficultates accusandæ, sed vosmetipsi, sed vestra illa rerum cœlestium incuria. Est iis difficilis, qui eam metuunt, qui eam laxatam & solutam velint; est iis difficilis, quos Dei spiritus, qui gratiæ & charitatis spriritus est, non excitat, non acuit, non movet, quoniam moveri ab eo nolunt. At, si confisi Deo, eique placendi studio succensi, viam mandatorum ipsius ingrediemur, in iis utique *ambulabimus*, Regii psaltis exemplo; in iis *curremus*, ad sempiternæ, per eas demum felicitatis terminum perventuri. Amen.

IN

# IN FERIA SECUNDA SECUNDÆ HEBDOMADÆ CONCIO.

*DE IMPOENITENTIA, UT VOCANT FINALI.*

Ego vado, & quæretis me; & in peccato vestro moriemini. *Joan.* 8.

MOrs & peccatum, Christiani Auditores, mala sunt gravissima duo: peccatum, per quod mors est hunc in mundum invecta; mors, qua Deus peccatum plectit admissum: peccatum, per quod homo donis cælestibus, queis erat ornatus, excidit: mors, hominem quæ tollit ac delet. Peccatum, quo beato illo primigeniæ innocentiæ statu fumus deturbati; mors, quæ terrestribus nos nudat bonis, quorum usus nobis est à Deo, etiam post peccatum, permissus. At tamen, christiani Auditores, mors & peccatum, si seorsim spectentur, non sunt in ma-

lis

lis extremis numeranda. Imò affirmare ausim, sua illis commoda, suas utilitates non deesse. Mors quippe, citra peccatum, sancta esse possit *ac prætiosa in Domini conspectu.* Peccatum verò, citra interitum, excellentissimis virtutibus, quæ Deo gratum hominem reddunt, seges & materia esse potest amplissima. Mors, citra peccatum, fons gratiarum & meritorum perennis in Christo fuit; peccatum, citra mortem, fuit in prædestinatis, ut Theologi docent, & principium prædestinationis ipsorum & effectus. Mors, citra peccatum, Mariæ Virginis sanctitati veluti fastigium imposuit; peccatum, citra mortem, Magdalenæ conversionis causam attulit. At summum maximéque horrendum malum est peccatum unà cum morte conjunctum. Mors, quæ peccatoris impœnitentiæ sigillum imprimit; peccatum, quod mortem malitiæ suæ formâ percutit ac signat. Mors, per quam peccatum in omnem fit æternitatem inexpiabile; peccatum, per quod mors fit mala, Deóque in perpetuum exosa. Mors in peccato, mors cùm peccato, mors, quod sæpe contingit, per peccatum etiam ipsum: hoc nimirum illud est, christiani Auditores, quod me terret, & terreat vos etiam necesse est; hoc illud est, quo nihil formidolosius in iræ suæ thesauris habeat Deus; hoc illud est, quod Judæis minatur hodie Chri- *Psal. 115.*

stus

ſtus Servator, & non ſecus ac illos, cavere nos oportet. Salutares hos ſenſus ut accipiamus, B. V. interventu, quam & quotidie precamur ut propitia ſit in morte, cæleſte nobis eſt implorandum auxilium. *Ave Maria.*

LUCTUOSA prorſus Judæis olim fuit, Chriſti tamen verbo ſulta veritas, in peccatis poſtquam vixiſſent obſtinati, morituros eosdem eſſe pœnitentiæ expertes: *In peccato veſtro moriemini.* Quo autem ſenſu illa Chriſti vox eſt intelligenda? magni quippe noſtra intereſt iſtuc noſſe, cùm ad nos etiam Chriſti pertineat ſententia, nihilque minus agatur quàm æterna animæ noſtræ reprobatio. An ſimplex dicenda illa eſt comminatio, qua refractariam hanc Chriſtus & incredulam gentem reducere ſtudet in viam? an decretoriam fert ſententiam, & ſignificare vult, impletâ criminum menſurâ, nihil jam eſſe quòd ullam à Deo veniam ſperent? locum hunc interpretatur Chryſoſtomus eo ſenſu, qui magis favet, putátque, fuiſſe velut minacem duntaxat ſententiam, qua Judæi docerentur, quæ mala, in ſua ſi perſeverarent infidelitate, ſibi metuenda eſſent; qua ratione Ninivitas ad pœnitentiam Jonas adhortans, ſignificat, poſt elapſos dies quadraginta, civitatem extinguendam eſſe: *Adhuc 40. dies, & Ni-*

*Jon. 3.*

*nive*

*nive subvertetur*, sequutus litteram Hieronymus, existimat, Christum Judæos alloqui, non Prophetarum ritu, ad terrorem, sed pro judicis ac summi principis more, ad dominationem; hoc est, non denuntiari illis futuræ reprobationis periculum impendens, sed certam ac consummatam reprobationem disertè significari. Cùm enim Deus, ait sanctissimus Doctor, in sacris litteris id unum agit ut minetur, minis suis conditiones semper adjicit, quæ eas suspendant ac temperent; sic Adamum compellans, *in quo die comederis*, inquit, *morte morieris*. Contra Christus absolutè & citra conditionem ullam Judæos alloquens, *in peccato*, inquit, *vestro moriemini*. *Genes. 2.* *Joan. 8.*

Atenim, christiani Auditores, seu decretorium judicinm, seu comminationem tantùm contineant verba Christi, non satis est ad terrorem nobis incutiendum, si cogitemus his Deum minari? Deum, qui non loquitur frustra; Deum, qui non loquitur ex pravo aliquo affectu, Deum, qui non pronuntiat causâ incognitâ, sed humani pectoris abdita, résque futuras omnes uno intuitu prospiciens, videt multò ante, qui vitæ nostræ finis & exitus sit futurus. *In peccato vestro moriemini.* In eo tamen non hæreamus, sed experientiam adhibeamus in consilium, ac videamus, num ea Christi prædictionem, quoad flagitiosos, hominésque

nequam, comprobet; est enim experientia, cùm à Dei verbo discessimus, maximè certum, maximè evidens argumentum. Qualis est igitur flagitiosorum ferme omnium interitus; flagitiosorum, inquam, qui improbitatem veluti profitentur; qui in eâ hærent obfirmati, nec verè unquam de admissis peccatis doluêre. Qualis est eorum interitus? est profectò, christiani Auditores, est unde severam ac terribilem Numinis providentiam adversus impios agnoscamus, ut planè amica ac benefica est erga justos. Impiorum vitæ mors respondet. Flagitiosi, Deóque exosi vixêre, flagitiosi, Deóque exosi moriuntur. Vixêre illi gentilium ritu, moriuntur quo solent modo homines reprobi. Hoc nos usu magistro didicimus; sed, ut res planior fiat, in suáque membra concio distribuatur omnis, in tres velut species partiri eos placet. Alii enim in ipsâ impœnitentiâ; alii sine ullo pœnitentiæ vel indicio, vel sensu, alii denique in falsæ pœnitentiæ exercitio, aut potius errore, moriuntur. Primi, in majore sunt culpâ, quoniam flagitiis suis omnibus cumulum addunt, impœnitentiâ, qua claudunt vitam; ut meritò dici possint reprobare se ipsi, damnationémque suam reipsa consummare. Alteri, calamitosiores sunt, atque adeò commiseratione digniores, quoniam inviti & incogitantes solitis pœnitentiæ auxiliis carent. Po-

Postremi, utrorumque participant damnationem, cùmque nec tam nocentes, quàm primi, nec tam calamitosi sint quàm secundi, sunt tamen & miseri, quia cæci, & nocentes, quia flagitiosi & impœnitentes moriuntur. Itaque priorum impœnitentiam, flagitiosam appello & sontem impœnitentiam, alterorum, impœnitentiam calamitosam. Extremorum, arcanam & ignotam impœnitentiam, aut, si vultis, falsam pœnitentiam, quæ reapse vera est impœnitentia dicenda. Neque hoc satis est: postquam tria illa hominum genera proposuero, qui in peccatis suis moriuntur, addam etiam tria, ex quibus cognoscatis, qua ratione & via ad flagitiosæ mortis impœnitentiam vitæ flagitiosæ impœnitentia sensim ferat. Percipite quid velim. Ajo flagitiosæ viæ impœnitentiam, ad flagitiosam mortis impœnitentiam ferre præparando; atque hoc docebit pars concionis prima. Ajo, flagitiosæ vitæ impœnitentiam, ad calamitosam mortis impœnitentiam ferre, per quemdam pœnæ modum; hoc docebit pars concionis altera. Ajo denique, flagitiosæ vitæ impœnitentiam, ad arcanam & ignotam impœnitentiam, seu ad falsam mortis pœnitentiam homines ferre specie recti deceptos, hoc tertia docebit concionis pars. Ad rem ipsam accedamus.

Potest quis in flagitiis, in ipsáque adeò, quam finalem vocant, impœnitentâ dupliciter emori, aut ex certa ac deliberata voluntate pœnitentiam prorsus omittendi, cùm mortis hora advenit, aut voluntatè solita illa præsidia, quæ sunt ad gratiæ cum illo reconciliationem, & ad pœnitentiam agendam, in sacris litteris notata, prætermittendo. Hæc autem mortis genera incurrunt tam crebrò in hominum oculos, ut satis illa esse possint ad Christi Servatoris prædictionem defendendam, *in peccato vestro moriemini.* In illam iniquitatis abyssum inferamus nos, Auditores christiani; conemur ejus altitudinem animo metiri; atque ut majorem inde reportemus utilitatis fructum, ne pigeat singula percensere ac persequi; hæc enim una satis fuerint ad longè formidolosissimum dogma comprobandum.

Cùm dico, posse quempiam emori deliberatum prorsus abjicere pœnitentiam omnem, attendite, quæso, quid velim. Non id nunc ago quod evenire potest, & evenit reipsa nonnunquam affectatâ impœnitentiâ, cùm coactus peccator vitâ discedere, eum, à quo vitam accepit, & cujus est ratio ipsi mox reddenda, non vult agnoscere, sistendúsque ad Dei tribunal, eò progreditur, ut excusso ipsius jugo, usurpet illa populi infidelis verba, *non serviam.* Tametsi enim

enim non desint ejusmodi exempla, quíque in Atheis habentur,& tales sunt saltem moribus, ac vitæ instituto, tam funesto plerúmque exitu vitam finiant, adeò tamen prodigiosa ac portentosa sunt exempla id genus, ait Chrysostomus admodum sapienter, ut horrorem injiciant per se ipsa, magísque deceat præconem Evangelicum de iis silere, quàm ea, cum religiosarum aurium offensione, verbis insectari. Ita Julianus ille, re & cognomento Apostata, mortuus dicitur, contumelias mille vomens in cælum, dum impuram & sacrilegam animam unà cum sanguine vomeret. Ita tot Dei hostes occubuêre, qui fine non funesto minus quàm impio, supremæ potestati, ac præstantis hujus naturæNumini quam non agnoverant, aut, quod vero similius est, conati erant, sed frustra non agnoscere, toties testimonium perhibuêre vel inviti. Ita quotidie mundanos nescio quot videmus emori, qui postquam vixêre fidei,legis, Religionis,conscientiæ exortes, eò temeritatis ac furoris prorumpunt, ut diabolica in suâ impietate perseverantiâ, operi suo velut fastigium imponant. Sed quod jam dixi, monstra illa sunt ac portenta, quæ nos intueri non convenit, nisi quantum necesse est, eadem ut abhorreamus, ac detestemur.

Igitur non exemplis ejus'modi, Christi sententiam comprobatam velim. De tot

aliis peccatoribus ago, in quibus ille impœnitentiæ ſtatus, quem deſcripſi, eſt tam ſæpe nativæ eorum fragilitatis, quàm malitiæ, imò eſt utriúſque peſſimus ſimul fructus. Atque ut planius ac diſtinctius mentem aperiam; eo de homine loquor, qui ſtomachi & acerbitatis plenus, poſtquam inimicitias geſſit totâ vitâ implacabiles ac publicas, mortem obit animo nondum cum fratre reconciliato, firmiſſimè aſſeverans, nullo ſe pacto id impetrare à ſe poſſe; aut, ſi placatæ mentis ſpeciem præbet, diram intra ſeſe peſtem retinens, quam foras projeciſſe videtur. Cujus rei teſtis ille ſit, qui, cùm ad ſupplicium, Chriſti causâ, traheretur, inimicum, quamquam abjectum ad ejus pedes, & veniam orantem, complecti atque oſculari renuit.

Sed ne in exemplis illis, quæ ſingulare quiddam habent adjunctum, commoremur, quot videntur è chriſtianis mortem oppetere huic perſimilem; mortem nullâ reconciliatione prævia; mortem, cum omni ſimultatis & odij felle conjunctam, mortem, in qua ſpecioſa illa charitatis redintegratio quæ curatur, congreſſus illi, ad quos vita molliri ſolet tanto nonnunquam apparatu, ac ferè ſemper fructu tam exiguo, nihil non fictum habent ac ſubdolè ſimulatum; mortem, in qua ex profanâ & politica ratione, ex animi firmitudine falsâ illâ quidem, ſed

ad

ad extremum usque spiritum perstante, multò sit obstinatior, & obfirmatior hominis voluntas quàm antea; quid ita? ut à moriente videlicet probetur præterita vitæ ratio, vetustæque simultatis constantia, imò ut Christi sententiæ sua constat fides, *in peccato vestro moriemini.*

Eo de homine loquor, qui bonis auctus partis injustè, unde sibi stabilem paravit fortunam, ea ut restituat, impetrare à se, ne morti quidem proximus, valet; hinc sub peccati gemens pondere, quo opprimitur, Inde spoliari se non ferens; inter inferorum, quas metuit, pœnas, & cupiditatem dominantem suspensus, ac distractus, sed præoptans tamen salutem æternam projicere, quàm damna sarcire illata: quàm agnoscere debita quæ confiteri nunquam sivit mala ipsius fides; quàm satisfacere officiis quibusdam, quæ ignorare nequit, & satis admonet animi remordentis conscientia, uno verbo quàm captam ex alienis fortunis prædam, mox tamen invito rapiendam, è manibus dimittere. Quid est autem cæcâ hac, in retinendis alienis bonis, pertinaciâ, magis vulgare? è tanto divitum numero, qui aliena tenent injustè, quorumquemque videas, qui, ut moriatur sanctè, id tandem eligit, ut egenus moriatur? ac propterea quis non credat Evangelicum anathema in eorum hærere potissimùm statu; *in peccato vestro moriemini.*

De eo loquor, qui dirâ libidinis tyrannide cùm prematur, eandem retinet ad finem usque, & eo in amore demens immoritur, quem res nulla excutiat illo ipso tempore, quo nullam non rem mors est excussura; qui per detestandam fidelitatem, & per sacrificium maximè abominandum, nihil pensi habens æternos inferorum ignes, quos ei summus Judex Deus intentat, obscœnæ cupiditatis incendio, sui quod reliquum est, ut ita loquar, absumit. Scitis autem, Auditores, num talem exitum nanciscì non soleant tot christiani molles & libidinosi? non alios eâ de re testes quàm vosmetipsos volo. Non eò tandem evadunt necessitudines illæ vetitæ? in mortem, inquam, plus quam paganam, in qua peccator, animam dum expirat, vesanos suos amores adhuc suspirat; in qua dementer, imò etiam furiosè constans, postremas suas curas intendit, postrema sua vota cupiditati consecrat, quam penè vertit in religionem; in qua unus & acer, qui eum afficit dolor, non est in eo, quamquam moribundo, tam situs, quòd sponte flagitiorum causam & invitamenta conquisierit, sed quod ea relinquere fati necessitas cogat. Ea est enim ejus mens: hi sunt ejus affectus. Sic autem affecti qualis mors esse debeat, satis ipsi existimatis. *In peccato vestro moriemini.*

De eo denique loquor, qui jam olim rebellis in Deum, postquam illius vixit justitiæ securus, ejusdem misericordiæ expers moritur: qui dum sacerdotes hortantur ad fiduciam, judicium in seipse pronuntians, ut ait Augustinus, non accuratum ac rigidum, sed crudele atque insanum, quando ad Christi non exigitur redemptionem & merita, in desperationem prolabitur Caino dignam, colligitque, parricidæ fratris exemplo, *majorem esse suam iniquitatem, quàm ut veniam mereatur.* Nulla jam mihi superat, inquit ille, veniæ spes; eâ me mea indignum nequitia fecit, ac, si cælo Deus est, in reproborum numero sum haud dubiè ascribendus. Annon autem veré dixero, scopulum hunc esse maximé insignem, ad quem peccatorum allidit innumera vis, eorum præsertim, qui frequentibus & assiduis casibus spem omnem non solùm abjecêre, sed quos etiam pudeat, si fas ita loqui, convertere se ad Deum, in eòque fiduciam suam locare. Pudor enim ille, quem totâ vitâ superare nequiverunt, eos opprimit reviviscens in morte; divinæque majestatis ac justitiæ, pluíquam satis est, opinione partim commoti, partim percussi, salutis spem abjiciunt omnem, atque in ipsâ contritione ac pœnitentiâ, quemadmodum nefarius ille Christi proditor, novissimam sibi reprobationis causam inve-

*Genes. 4.*

niunt. Hoc ipsum est, inquam, me auctore, impœnitentiæ peccato vitam terminare, idque cogitatè ac deditâ operâ: *In peccato vestro moriemini.* Eadem ratione, nec vulgari minus, nec minus funestâ, fit vivendi finis, cùm videlicet per criminosam omissionem, quamquam non directè voluntariam, fraudat se quis pœnitentiæ beneficio, & adjumentis ad illud adipiscendum necessariis. Etenim, inquit Augustinus peccatorem compellans, si cùm morbo urgeris mortifero, téque Deus jam jam evocat suum ad tribunal, non te comparas ocius ad causam dicendam; si, cùm tutissimum promptæ ac sinceræ pœnitentiæ portum habeas apertum, in eum cessas te conferre; si certas tempotis opportunitates ac momenta quædam pretiosa, tibi tunc divinitus oblata, prætermittis; si ex intentiore corporis tui curâ & obsequio, animæ saluti non consulis; si salutaria respuis medicamenta ultrò illata, ne dum requiris & flagitas; si ex servili mortis metu, cogitationem ab eâ, quantum fieri potest avertis, monitis omnibus aures occludens, sucum tibi fieri amans ac falli eâ in re, in quâ magis tua interfuerit verum dici; si ex innatâ mentis imbecillitate, non conaris solitos pavores deponere, longè gravissimo negotio saltem in his angustiis operam daturus; si propinquis, si amicis blandis ac fallacibus,

bus, qui te ab eo deterrent, auſcultas; ſi per maximè deplorandam perverſitatem, adhuc animum habes in familiâ, cùm vix ſuppetat unde æternæ tuæ ſaluti provideas; tunc ah! concludit Auguſtinus, tunc ah! frater dilectiſſime, retexe ſolitum ſermonem: vanas opiniones tuas emenda. Qui dicat mortem in hoc impœnitentiæ ſtatu calamitatem omnium maximam eſſe, malè utique loquatur. Dicendum enim longè graviſſimum eſſe & minus excuſandum crimen. Qui dicat, mori te in peccato tuo, ſermone utitur dimidio breviore; dicendum quippe, mori te in peccato, peccatum extremum committendo, quod eſt omnium longè graviſſimum. Quid enim peccata omnia præ illo uno? quo poteſt longius hominis in Deum, ſéque ipſum injuſtitia progredi? jam contingere fatalem illam metam, extra quam meta alia nulla eſt, & velle nihilominus differre ac procraſtinare; jam ſtare inferno in limine, nec ſtudere ab eo digredi; abeſſe propius ab æternæ ſalutis periculo, & cunctari in præſtando tibi ipſi maximè neceſſario charitatis officio, & providam cautionem adhibendo ne pereas; hoccine credibile eſt, aut veniâ dignum? en tamen, chriſtiani Auditores, quouſque deerratur humanæ mentis ductu. *Circumdant nos dolores mortis & pericula inferni invenerunt nos*, nec dubita- *Pſal. 114.*

bitamus aleam ſubire, ponere metus, cunctari, conquieſcere in craſtino: diſceptamus putidè, eludimus, nobiſcum ipſi diſſimulamus, ac demum Deo morimur exoſi. Quæ mors dupliciter mala eſt, & vitæ impœnitentiâ, quæ præceſſit, & mortis impœnitentiâ, quæ comitatur; *In peccato veſtro moriemini.*

Addidi autem, illa impœnitentiæ genera duo tam eſſe inter ſe conjuncta, ut altera ad alteram penè certò deducat. Quî verò iſtuc? longa conſuetudine, arcto nexu, animi callo. qui tres gradus notantur à priſcis patribus, cùm primum hunc peccatorum impœnitentium ordinem deſcribunt. Hoc utique conſtat; nudáque illius expoſitio ſat erit vobis ad probationem.

Longa conſuetudine: nam qui contendat, habitus in vita contractos, adventu mortis deleri, horæque momento, alium ſpiritum, aliud pectus, aliam voluntatem ſibi quemque architectari, in errore, eòque craſſiſſimo, verſetur. Dixi jam, nec vos iſtuc præterit: morimur prout vixímus, mórsque præſens non modò non debilitat ac frangit vetuſtos habitus, ſed & excitare illos ac roborare videtur. Si enim unquam, certè in morte, valet in nobis conſuetudo. Eſt à te millies morum converſio dilata, differes etiam morti proximus. Dixiſti millies, iſtuc poſt menſem, iſtuc

istuc post annum fiet; dicturus es etiam in morte, istuc post diem unum, istuc post unam horam fiet. Fuisti multus, quoad vixisti, in consiliis, in votis, in propositis, in promissis quæ suo effectu semper caruêre. Multa etiàm moriens optabis, constitues, promittes, at nihil promovebis. Nec dicas, extremo, te discrimine compellendum: fabulæ. Compellet te fati præsentis imago ad vota facienda, quoniam illis assuevisti: compellet ad constituendum, ad promittendum, quoniam ita fert inveterata tua consuetudo. Sed vota faciendo longo ex usu, constituendo ac promittendo longo ex usu, nihilque perficiendo longo item ex usu, *in peccato tuo moriere.*

Arcto nexu: conflatur enim, auctore Salomone, per vitæ impœnitentiam, catena quædam ex peccatis, qua velut constricti tenemur atque captivi: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Non me fugit, Deum, summa sua potestate utentem, in extremo spiritu catenam illam posse abrumpere; at non me etiam fugit, ut catena illa momento abrumpatur, nulla re minus quàm cælestis gratiæ opus miraculo esse; nec vulgò Deum ejusmodi miracula patrare. Etverò videmus flagitiosum hominem experiri in se ipso morti vicinum, quod de se memorat Augustinus: *suspirabam*, inquit

quit ille, *ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate.* Ardebam ſtudio, Deus meus, & amore fœlicitatis juſtorum, perſuaſum habens nihil jam opus eſſe deliberato; flagitiis tandem & vitiis mihi meis emergendum: redeundum mihi meliorem ad frugem. Sedenim ardebam ſemper vinctus non externâ & adventitiâ catenâ, *ſed ferrea meâ voluntate.* Habebat eam hoſtis ſua in poteſtate; eáque criminum gemmata ſeries, & quaſi annulorum totidem catenatio retinebat me penè invitum, & quamquam perculſum mortis formidine, peccati jugo & legi ſubjectum.

Animi callo: voluntas enim illa ſemper prava ac nocens, quod ponimus, nunquam pœnitens commiſſorum, in iis obfirmata, tandem obdureſcit. Si calamitatis ſuæ ſenſu commotus peccator ille, ad Deum ſubinde ſe convertens, quoties mundi & carnis illecebris evictum prolabi contigit, erexiſſet ſe generoſo conatu, in inconſtantiæ ſuæ calamitate, cepiſſet ex pœnitentiâ haud modicas utilitates: quamquam caſus conſecuti eſſent & noxæ quas fert humana fragilitas, evertiſſet illius uſus quod inædificatatum in ipſo eſſet auctore peccato. At cùm lapidem lapidi, iniquitatem iniquitati ſemper addiderit, non potuit pectus non expleri cumultatè, &, non ſoliditatem ſolùm, ſed & duritiam omnem, quam crea-

re-

re potest longa peccandi consuetudo, contrahere. Quî fieri autem potest, ut ita induratum, morte adventante, remollescat continuò, & divinis impulsibus flectendum se ac movendum præbeat? morimur ergo in peccato, quoniam in peccato vixímus; atque ut jam dixi, novum peccatum admittendo, quia impœnitentia illa eadem, est peccatorum omnium consummatio. Hoc ipsum est quod impœnitentiam appellavi flagitiosam ac sontem. Ad calamitosam impœnitentiam, quæ partis erit alteriùs argumentum, transeamus.

PARS II.

NON satis est ad vitam sancto fine claudendam, ut fixum ratúmque sit peccatori, confugere aliquando ad pœnitentiæ portum, & apud se statuat emergere flagitiis saltem in morte. Cùm non sit absolutè penes illum gratia illa cælestis, qua perducimur ad pœnitentiam, sed arcano Dei judicio, ex innumeris pendeat rebus, quæ non sunt ipsius arbitrii; ut resipiscat morti proximus, res illas omnes ad ejus conversionem perficiendam conspirare necesse est. Si desit vel una, spes ejus omnis vanescit. Optaverit millies *mori morte justorum*; centies Deo dixerit, *moriatur anima mea morte justorum*; frustra sunt vota, spésque ejus omnes. Quid ita? quoniam in stato providentiæ cursu, quem immutare Deo

*Num. 23.*

non

non libuit, obex intervenit, qui, per causas in speciem naturales, at superiores & divinas, pœnitentiam illam, in quâ spem & perfugium salutis reponebat, impossibilem ei reddidit. Fieri igitur potest ut in peccato quis moriatur, citra novum peccatum, quoniam fieri potest ut moriatur pœnitentiæ omnis expers, quamquam non ultrò & volens; atque hoc illud est quod impœnitentiam appello calamitosam, & est, auctore me, velut abyssus alia non jam humani cordis per peccatum depravati, sed verendæ Dei & inscrutabilis justitiæ, quæ tota sese ostendit in eorum interitu, qui opprimuntur improvisò, qui deluduntur, deseruntur, imò etiam vivi excluduntur salutis viâ, & in quibus sententia illa Christi planior multò sit & apertior, *in peccato vestro moriemini.* Attentionem vestram, quæso vos, Auditores, instaurate.

Cùm subitæ mortis exemplum aliquod ad vos affertur, & in trepidatione quam injicere solent ejusmodi casus, additur, hominem illum, qui valetudine utebatur percommoda, raptum repentinò, nec potuisse vocem ullam proferre; istum, in commessationis æstu, aut, sanguinea in rixa, sensûs & vitæ mansisse expertem; hunc, nece meditata, aut ædificii ruinâ oppressum periisse: cùm, inquam, hæ mortes, aliæque generis ejusdem memorantur, &

ex

ex cunctis verisimilitudinis regulis, non subitæ modò, sed & inopinæ videntur, quoniam iis hominibus evenêre, quorum vitæ ratio cum multorum erat offensione & scandalo conjuncta, expavescimus utique, & quamquam judicium nobis non sumamus, non dubitamus tamen, quin tunc sua Christi sententiæ veritas constet, *in peccato vestro moriemini.* Atenim ea vos simul cogitatio sustentat, insolitos esse casus ejusmodi, ac quantumvis frequentes obtingant, salutarem formidinem, quam afferre illi vobis & possint & debeant, semper frangitis ac debilitatis. Multùm vos fallit, christiani Auditores, liceat mihi istuc dicere, multùm vos fallit opinio vestra. Id mortis genus neque tam rarum est, neque tam singulare, quàm vos vobis persuadere studetis; quin & contendo, re strictè sumptâ, nihil subitâ morte, si conscientia salúsque spectetur, magis esse vulgare: est in promptu probatio. Mortem quippe illam, post Augustinum, subitam & improvisam appello, qua peccator repentè fit, idque in perpetuum, ad conversionem & pœnitentiam minimè idoneus. Quod autem malum magis vulgare, imò longius latiúsque fusum? quæ res alia quotidie in oculos incurrit? cùm casus, cùm apoplexia, cædésque plus secum habeant tumultûs & terroris, quot aliæ, quæ minus feriant, causæ, & ad impœni-

tentiam illam nos redigunt calamitosam? phrenesis furibunda in febris ardentis æstu, delirium nullâ remissione temperatum, lethargus è quo non emergitur, mentis alienatio, continuus lethalisque sopor, cuncta hæc nónne idem efficiunt quotidie, adimúntque moribundo resipiscendi facultatem, cùm rationis adimunt usum? Laboret morbo ex iis aliquo peccator, non jam is habendus est pro mortuo, si non planè ut homo, certè ut Christianus? ut luctetur dies integros anima cum morte, & quantum in ipsâ est, quamquam nonnisi ad languorem trahendum, vitam in membris adhuc morantem sustineat, quò illa fati tardantis mora, si nec ratione jam, nec mente is viget ac vivit? quid valeat, quantumvis potens, Dei gratia, naturâ, cujus est præbere illi sedem, deficiente.

Ut mittam casus illos, queis ratione planè deficimur, sola virium debilitatio, solus corporis dolor non satis est ad rationis usum omnem adimendum, atque adeò ad pœnitentiæ nobis aditus præcludendos? Vel in ipso morborum cursu maximè æquabili, quot subita illa morte non homines quidem, sed DEus videt extingui? moriuntur illi, inquit Chrysostomus, citra novum peccatum, quoniam ut peccent non est in iis amplius situm; moriuntur ut vitio verti illis non possit quòd datâ temporis usurâ abu-

uran-

utantur, quoniam non jam fas illis est eo vel bene vel malè uti ; moriuntur in impœnitentia, quæ, quamquam est ultima, non illis tamen per se crimini datur, quoniam nec nota illis est, nec libera: moriuntur nihilominus in peccato suo, neque minus in iis Christi Servatoris perficitur execratio, *in peccato vestro moriemini.*

Quid de iis dicam qui moriuntur in funesta, si non culpanda, periculi, in quo versantur, ignoratione? ex eâ enim eadem mala consequuntur, iidem reprobationis effectus. Si monitus esset æger ille, adesse tempus, quo sibi uni vacandum erat, animæ suæ saluti prospexisset, piè ac sanctè decessisset, ex hac vitâ. At quoniam, per crudelem indulgentiam, vana est illi vitæ longioris spes injecta, citra ullam moritur commissorum detestationem, sine ullo ad Deum regressu. Estne ponendum illi in loco criminis, quòd non senserit lethale discrimen? minimè. Avebat enim istuc nosse. Cuinam est culpa assignanda? imbelli Christi ministro: falsæ medici conjecturæ: vanæ famuli reverentiæ: cæco uxoris amori: illorum cupiditati: horum negligentiæ: hæreat, inquit Augustinus, culpæ crimen in quovis mortalium: attamen fert illius pœnas moribundus, & quoniam extremum ignoravit, in quo versabatur, discrimen, DEO moritur odiosus. Quid ergo, in-

quies, an æquum erat, hunc alienæ culpæ pœnas luere? ah! si ob alterius culpam is perit, respondet idem Augustinus, non condemnatur ob alterius delictum, sed ob proprium ac suum. Permittit Deus, è cujus nutu & arbitrio res pendet, illius peccatum quod expiari in morte poterat, alterius culpâ non expiatum manere, &, è gratiæ ac misericordiæ tribunali, transire, in omnem æternitatem, ad justitiæ tribunal : *In peccato vestro &c.*

At, si peccatorem remedii cupiditas tenet, si poscit sub ipsum occasum; si ardenti in illud fertur studio, quid sæpe fit? heu me! christiani Auditores, en calamitatis & infortunii cumulus; atque hoc maximè loco exclamare nos convenit, *ô altitudo!* infortunato illi similis, qui, quemadmodum Apostolus testatur, illum pœnitentiæ portum, ad quem contendebat, etiam cùm lachrymis, attingere non valuit, *non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam*, potest moribundus ille, tametsi publicos sitiat gratiæ fontes, hoc est, instituta per Christum Sacramenta, potest, inquam, de iis esse, in quos cadit Servatoris anathema, ac quoniam cunctis aperti fontes, non sunt illi recluſi, peccato moritur nondum expiato : *In peccato vestro moriemini.* Hoc ipsum est, cujus testes centies fuimus, de quo centies inaudimus ex

*Hebr. 12.*

ex aliis. Improvisò lethalis morbus hominem opprimit: jam ſtat in ipſo mortis limine, támque præſentis horrore periculi perculſus, vitæ quod ſupereſt valde optet ponere in ſalutis curâ: exſuſcitat ſe fides ejus omnis; oculis oberrans irati Numinis imago concutit, perturbat: & concuſſus, turbatus, circumſtantium opem implorare videtur, atque his verbis affari; *miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*; ſubvenite, vos ô ſaltem amici certi & conſtantes, ac dum alii inani munere funguntur circa corpus mox terræ reddendum, operam, quæſo, veſtram conferte in æternæ meæ ſalutis curam. Subvenitur utique; operæ non parcitur; Sacerdos advocatur: non eſt is præſto domi: caſus intercurrunt mille & conſpirant ad eum removendum: moratur illum, quod moratus nunquam erat: adeſt tandem, at tardius, cùm videlicet æger, mente & linguâ defectus, nec audire illum, nec profari quicquam valet. Cur autem iſtuc? ut Chriſti pars altera prædictionis, eventu non careat ſuo; *quæretis me*; quæretis, inquam, non jam, ut olim, in meâ me perſonâ, ſed in iis quorum eſt Sacramenta mea diſpenſare, *& non invenietis*. Ac quoniam me non invenietis in miniſtrorum meorum perſonâ, nec eritis puro illo & perfecto amore ſuccenſi, ope- *Job. 19.*

ram & vices ipsorum qui suppleat, *in peccato vestro moriemini.*

Hoc amplius: Sacerdos ille, ille Christi vicarius idem & minister, aderit quidem in tempore, sed arcano alio, magisque terribili Dei consilio, quamquam sit omnis penes illum Ecclesiæ potestas, non erit arte illa instructus, qua peccatorem juvari conveni ad mortem piè obeundam; hominem absterrebit, ne dum excitabit ad pœnitentiam; mentem impediet, implicabit, perturbabit, tantum abest cæcam ut noctem dispellat: est illi datum, ut referet Aulæ cælestis adyta; at ægroti pectus ut referet, & in illud sensim influat, non est datum. Neque enim Deus, Christiani Auditores, operâ cujusvis utitur ad patranda miracula. Ut nos non gratiæ cujusvis auxilio reducit in viam, & à vitiis abstrahit, ita non hominis voce cujusvis, pectus nostrum placet expugnare. Si, prout erat affectus, æger ille hominem nactus esset intelligentem, cælestis gloriæ cupidum, experientem, divino spiritu, suavissimáque ipsius unctione plenum, vitam is impiam piâ cum morte commutasset; atenim quoniam sacerdos ille desuit qualem descripsi, potuitque dicere cum Paralytico illo Evangelico, *hominem non habeo*, mortuus est pœnitentiæ expers. Rursus autem, casusne hi omnes fecêre illum magis sontem & exosum Deo? neutiquam.

Joan. 5.

quam. Sed præterita illius peccata conjuncta casibus, qui non sunt eidem criminosi, flagitiosæ causam mortis, citra ullam novam noxam, attulêre illi: *In peccato vestro moriemini.*

Horrenda, sed justa Numinis animadversio: atque hac ratione vitæ impœnitentia ad mortis impœnitentiam viam aperit, quæ & est ejusdem veluti pœna. Quoties id ipsum Deus significavit in sacris litteris? quoties admonuit Christus in Evangelio? quid enim sibi volunt comminationes illæ tam expressæ, tótque locis iteratæ? *Vocavi & renuistis ... despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis*; aderit autem tempus & dies quo te vicissim ego despiciam: tempus, quo te non jam amicè compellans, opprimam incautum & incogitantem: non te jam alloquens, non jam admonens, insanabiles tibi plagas infligam. Quid sibi volunr parabolæ illæ tam apertæ de Virginibus fatuis, quas segnis opprimit sopor; quarum lampades extinguntur sponso adventante; de hero illo inexpectato, domum suam derepentè subeunte, quique familiam offendens servi cujusdam sui comessationibus & intemperiis turbatam, *dividit eum, partémque ejus cum infidelibus ponit*; de fure illo, cæcas latebras captante, ac noctu subrepente in ædes latrocinio destinatas. Est ne quòd

*Prov. 1.*

*Luc. 12.*

queratur is cum Deo tam funestâ morte quem multat? non potest, pro suo jure, in eo quem mavult rerum nostrarum articulo, nos opprimere? non potest, postquam præsertim tandiu expectavit, postquam tam vehementer ursit, institit, invitavit? non es usus temporis opportunitate; donum suum retrahet Deus. Patientiam ejus tentasti, fatigasti, exhausisti; ejusdem furor tandem erumpet. Noluisti redire ad ipsum cùm potuisti; non poteris cùm voles. Oblivioni vivus illum dedisti; oblivioni moribundum te dabit. Est enim naturæ valde consentaneum, inquit Augustinus, has vices rependi; ac quamquam fatales sint ac funestæ, prorsus illæ tibi debentur: oblivionem oblivio, contemptum contemptus reposcit. Non quòd DEus non largiatur adhuc aliquando hominibus flagitiosissimis tempus & præsidia ad salutem necessaria; at, si tunc nec criminosa, nec calamitosa impœnitentia, certè occulta & incognita eos excipit, quod restat tertio loco demonstrandum.

PARS III. FAtendum istuc est, Christiani Auditores, quod & experientiâ ipsâ comprobatur, Deum profligatis ac perditis hominibus dare nonnunquam in morte tempus & facultatem resipiscendi. Neque sum nescius, complures id temporis divinam implorare miseri-

cor-

ricordiam; cogitationes traducere ad Deum; videri seriò ad ipsum per pœnitentiam reverti. Atenim, quod non nisi formidolosè à vobis audiri, à me dici oportet, addo, pœnitentiam quamlibet non valere apud Deum. Quid ita? quoniam non est efficax pœnitentia quævis; & sunt innumerabiles pœnitentiæ formæ mendaces ac fucosæ, quibus nemo meritò confidat, nemo ex iis ullum sibi promittat salutis fructum. Igitur si peccator, falsâ seductus specie, aberrat vel in ipsâ pœnitentiæ viâ, quam calamitosum in locum res ejus rediisse dicendæ sunt? quid enim tristius hominis illius sorte, qui certò scit se nocentem, non scit pœnitentiam? qui pœnitentiæ speciem omnem dum præfert externam, rem ipsam fortasse non habet. Ex quo fit, ut, quod peccatori fiduciæ causam esse oportuit, sit anxietatis illi materia; ut unde salus speranda videtur, inde sæpius exitium veniat, & in agendâ pœnitentiâ dum mori eum contingit, cœlesti gloriâ possit adhuc excludi, quoniam in peccato fieri adhuc potest, ut moriatur. Hoc Catholica docet Religio, christiani Auditores, eóque innixum est salutare illud Sapientis documentum, etiam ob peccata condonata, formidandum nobis esse; quoniam, inquit Chrysostomus, eorum condonationem conjecturâ possumus ad summum assequi; *De propitiato peccato noli esse* Eccles. 5.

*ſine metu.* Quod ſi in flagitioſos omnes hoc convenit, verè dici poteſt ad eos propriè pertinere, qui nunquam emergunt e vitiis, ſed in his demerſi hærent ad mortem uſque; adeò enim confidere non debent pœnitentiâ ſuâ, ut eam ipſos prorſus ſuſpectam habere oporteat. Neque hoc ſatis eſt. Addo, prout illam animo informant, & agendam ſibi proponunt, nihil eſſe quòd ſpem in eâ ſuam uſquam defigant. Quid ita? tres ob cauſas, quas ſum ab Auguſtino mutuatus. Primùm, quoniam nihil eſt per ſe verâ pœnitentiâ difficilius. Deinde, quoniam nullo tempore vera pœnitentia difficilior eſt, quàm mortis. Poſtremò, quoniam nullis hominibus ſuprema pœnitentia difficilior eſſe debet, quàm iis, qui eâ abſtinuêre tota vita. Quæ tria & certa ſunt, &, ſi ritè ſint percepta, nihil jam flagitioſis hominibus relinquatur, niſi ut promptè ac ſincerè, vitiis abjectis, ſanctiorem vitam amplectantur. Attentionem veſtram, res eſt nam digna, punctum temporis adhuc ſuſtinete. Nihil homini verâ pœnitentiâ difficilius eſt. Eam in rem novanda mens illi, novandum pectus. Se ipſe odio habeat, ſe ipſe abneget, ſe ipſe exuat, ſe ipſe quodammodò extinguat & ad nihilum redigat neceſſe eſt: hoc eſt, deſinat eſſe quod erat, poſitâque vitiorum ſenectâ, in alium velut hominem ſe transformet,

met. Deteſtari eum oportet, quod videbatur illi longè amabiliſſimum; amare, quod ut rem maximè tetram ac deteſtabilem averſabatur; non jam ullæ cupiditates reſidere in eo debent, niſi ut eas frangat; nulli ſenſus, niſi ut eos arctè ac contentè habeat; non mens, non corpus, niſi ut aſſiduum illis bellum inferat, ut illa rationi ſubjiciat, ut caſtiget, ut domet. In iis quippe non dico Chriſtianæ pœnitentiæ perfectio, ſed natura, ſed intimum ipſum eſt ſitum. An eò autem facilè perveniri poſſit, nemo veſtrum ignorat.

Nullum eſt tempus, quo pœnitentia illa difficilior ſit, atque adeò rarior, quàm mortis tempus: nam cùm reſipiſcis in morte, inquit Auguſtinus, non dicendus es propriè peccata dimittere, ſed te illa, non avellis te à mundo, ſed mundus à te, non vincula ipſe abrumpis, ſed prout fert humana fragilitas, ac miſeria communis, ipſa ſe vincula ſponte diſſoluunt: *Si vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Ut ſit autem pœnitentia veſtra talis reapſe qualis eſſe debet, à vobis ipſis ſejunctionem illam, avulſionem illam, divortium illud neceſſe eſt proficiſci. Quod ſi dicatis, alterum altero juvari, minúsque ægrè deſeri quæ nos deſerunt, quæ ſe nobis ultrò ac ſenſim ſubducunt, reſpondeo ego, poſt Ambroſium, id lon-

longè secus esse, hominémque nunquam amare validius, nunquam ardentius eas in res ferri, quæ sunt cupiditatis ipsius adjumenta, quàm cùm elabuntur è manibus, aut per vim aliquam externam eripiuntur illæ nobis & extorquentur, aut nos illis. Multum est, ista si patimur animo æquo. Sed avellere se his voluntariè, quod natura tamen postulat pœnitentiæ, hoc ipsum enimverò est, à quo abhorremus perquàm vehementer, & vires conatúsque nostros longè maximos requirat.

Atenim cui moribundo privatim magis difficilem esse dicemus veram pœnitentiam, imò nonnunquam velut impossibilem? nonne obstinatis illis peccatoribus, christiani Auditores, qui nullum illius usum habuêre totâ vitâ, & impœnitentiam suam in consuetudinem ac veluti statum vertêre? quid enim consequitur diuturnam illam pectoris duritiem? quid confidentiam illam, ex qua sibi persuadent, velle se, mutatâ in melius vitâ, redire cum Deo in gratiam? nimirum pœnitentiam illam, vulgò tunc, ne quid gravius dicam, non sufficientem esse. Quamobrem? quoniam principium illa non voluntarium habet, causámque merè naturalem. Pœnitentia itaque & coacta & omninò naturalis dicenda: quæ duæ pœnitentiæ proprietates in dæmonis apud inferos,

&

& in hominis moribundi pœnitentiam bellè conveniunt. Dixi coactam esse pœnitentiam id genus: neget hoc, si potest, vel confidentissimus peccator. Quæ enim libertas, cùm humanum pectus, aut servilis metûs, aut inevitabilis necessitatis momento tantùm impellitur? Estne libera noxarum omissio, quas ideò duntaxat omittis, quòd non jam licet, neque integrum est illas admittere? estne libera Deo submissio, cùm ei te submittis ad vindicis ipsius gladii, jam districti, conspectum, nec ullus est tergiversationi locus? estne libera sæculi blandientis abdicatio, cùm ideò tantùm illud abdicas, quòd te prius abdicat, quòd *præterit illius figurâ*, quòd te fugit. Atqui pœnitentia, ut sit efficax ac vera, voluntaria sit oportet & libera; cùm talis non est, ut sit aliunde tam vivida, tamq; vehemens, quàm illius pœnitentia, qui non ingemuisse in sacris litteris, sed irrugiisse dicitur, *irrugiit clamore magno*, est pœnitentia reprobo prorsus digna. Hinc vetustissimi Patres de moribundi hominis pœnitentia uno animo sermonem habuêre, qui non terrorem modò incutere, sed & adducere in salutis desperationem queat. Hinc Ecclesia, ad quam pertinet ea de re judicare, ejusmodi pœnitentiæ tam parum favere visa olim est, ut non planè illam rejiciendo, quod sibi nunquam

quam faciendum duxit, ne divinæ misericordiæ certos fines constituere videretur, omnem disciplinæ suæ severitatem exeruerit in clinicos illos ad pœnitentiæ portum in mortis periculo tantùm appulsos. Hinc, secundùm priscos canones in Conciliorum actis descriptos, qui baptisma poscebant tantum in extremis, non agnoscebantur pro christianis, nisi cautè & considerate; adeò ut inhabiles etiam haberentur ad sacros ordines suscipiendos; quòd videlicet, auctore Cypriano, Deo serviebant solâ necessitate coacti, & in ejus potestatem ac ditionem concesserant, quoniam subterfugere illam non poterant ac detrectare. Etverò arguit Augustinus, qui flagitia sua damnat, cùm est invitè decedendum è vitâ, satis ostendit, non voluntate, sed necessitate quadam, eadem à se damnari: *Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat, non tam liberè, sed quasi ex necessitate condemnat.* Addidi, pœnitentiam esse naturalem prorsus & humanam, hoc est, quæ nec Deum, nec peccatum attendat. Quid enim metuunt, subdit Augustinus, qui pœnitentiam talem obeunt? ne Deo excidant? ne displiceant Deo? ne Dei odium incurrant? nihil horum omnium, respondet idem Augustinus, nihil horum omnium. Cujus rei aperta ratio est. Quandiu siqui-

dem

dem nihil illis aliud metuendum fuit, de novâ, vitæ ratione ineundâ nunquam venit in mentem; *ardere metuunt*, *peccare non metuunt*. Ex hoc autem vana est eorum pœnitentia. Quamobrem? quoniam non jam gratiam, non jam Spiritum sanctum auctorem agnoscit, sed privatum sui ipsius amorem; satis est ad talem pœnitentiam obeundam si te ipse ames, non Deum. At non satis est ad pœnitentiam christianam, ad redeundum cum Deo in gratiam, ut sis tui ipsius amans. Potest igitur homo christianus in ipso pœnitentiæ exercitio vitam finiens, emori tamen in peccato. Quoniam peccatum delere, non est pœnitentiæ cujusvis; ac, si quædam est huic delendo inhabilis, est illa ipsa. Ex quo colligebat Gregorius Magnus, plures pœnitentiâ falsâ christianos perire, quàm impœnitentiâ ipsâ, atque adeò patere latius, quàm remur, hanc Christi sententiam, *in peccato vestro moriemini*. *Luc. 18.*

Perturbat vos hæc consecutio, christiani Auditores; sedenim, an ego primus illius auctor? an potui salvo officio, aut reticere illam, aut infirmare? licétne mihi aut Patrum mutare sententias, aut Evangelium inducere? non debui territus ipse terrere vos, an dolosæ potius permittere securitati? non sum nescius, Auditores christiani,

*quod*

Matth. 19. *quod est apud homines impossibile, possibile esse apud Deum*; atque ut penes eum est humani cordis arbitrium, posse obstinatissimum & maximè remotum à pœnitentia, ad perfectam pœnitentiam adducere. Scio, sicarium illum insignem, qui pependit unà cum Christo, haud aliter resipuisse, & vitam sancto exitu finivisse facinorosam. At nec sum nescius, quod & Ambrosius annotat, tale tempus miracula poposcisse; debuisse Deum ornare insolitis facinoribus ignominiosam filii necem; comprobandam his prodigiis fuisse ipsius divinitatem; & pœnitentiam illam, quæ sæculis omnibus singularis semper est visa, flagitiosis hominibus, vel ex eo mentem non modò non erigere spémque afferre, sed & salutarem illis pavorem incutere oportere. Hoc, inquam, scio, quod & funestam hanc veritatem magis firmat ac docet, profanos illos mortales, qui vitiis suis nuntium non remittunt nisi in extremo spiritu, in peccato suo, quamquam pœnitentiæ significatio non desit, fermè omnes emori: *In peccato vestro moriemini.*

Quæritis jam, quomodò postremum hoc reprobationis mysterium perficiatur, quáque via vitæ illos impœnitentia deducat ad falsam pœnitentiam mortis. Respondeo, atque hoc ipsum assiduè vos reputare ac

ac meditari velim, est enim unum è gravissimis capitibus, Respondeo inquam, ac dico, flagitiosæ vitæ impœnitentiam, ad falsam mortis pœnitentiam, errore mentis illudente, ferre ac viam aperire; nec esse quemquam existimo, qui non statim intelligat quid velim. Sententiam tamen meam planiùs, ut explicem, aio, veram pœnitentiam, cùm nullum habeat illius usum, à flagitioso homine secerni à falsa & internosci non posse. Ex quo efficitur, in extremo spiritu induci illum oportere in errorem, atque adeò quod admodum legitimè consequitur, imperfectam & informem pœnitentiam pro vera facilè ab eo sumi. Quî enim rem æstimet planè incognitam? si æstimare nequit, quî fieri potest ut non erret? quî fieri, inquam, potest, ut non erret in re præsertim adeò lubrica & obscura, ubi maximè arcanos atque intimos animi motus despiciat ac distinguat necesse est. Si nonnullam is in vita pœnitentiæ dedisset operam, finxisset sibi sensim aliquam illius speciem ac formam; sæpiúsque probando seipsum, tandem intellexisset, quid ineficaci efficax distet pœnitentia: atenim cùm hanc nunquam senserit, nec usu ullo cognoverit & experimento, mirum, si in extremis communis imponit hostis; si delusâ mens inducit in errorem; si amplectitur

pro re ipsa umbram & imaginem, accidens pro substantia, desideria pro effectis; si gratiarum auxilia, divinósque afflatus, pro actibus ipsis habet, & erroribus suis occupatus, quantamcumque pœnitentiam ostendat, in peccato suo moriatur: *In peccato vestro moriemini.*

Vestrum est, Auditores, videre jam ac deliberare, imò cùm res nullam habeat deliberatioannem, non vestrum est aptè concludere, per veram vitæ pœnitentiam, ad veram mortis pœnitentiam, viam vobis muniendam esse? confidere quippe, futurum, ut continuò magistri fiatis eâ in arte, in qua errores subsunt tam crebri, tam subtiles, tam periculosi; putare, primum artis tentamentum, fore vobis palmarium, est profectò temeritatis admodum cæcæ. Flebis quidem, at non redibis cum Deo in gratiam; crebra suspiria, crebros gemitus edes; at non redibis cum Deo in gratiam; geminas cælo palmas attolles; brachia porriges Christo è cruce pendenti; at non redibis cum Deo in gratiam. Quid ita? quoniam sub speciosâ illâ pœnitentiæ larvâ, latebit semper lapideum pectus; quam in rem Davidicum illud accommodare soleo, *de medio petrarum dabunt voces.* Falles imprudens, qui te videbunt, qui te audient; falles vel sacerdotem ipsum, qui supremas tibi

*Psal. 103.*

ubi curas impendet, & putabit utiliter impensas; falles ipse te, at non falles Deum; & discedens ex hac vita, non misericordem, uti sperabas, sed vindicem duntaxat Deum experiêre. Vita hæc mortalis, est Deo quærendo tempestas accommodata; occasus, inveniendo; beata æternitas, quam vobis & opto & precor, fruendo. Amen.



# IN FERIA QUARTA SECUNDÆ HEBDOMADÆ CONCIO.

## DE AMBITIONE.

Respondens autem JEsus dixit: nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei: possumus. Ait illis: calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis. *Matth.* 20.

REX CHRISTIANISSIME,

NON sine peculiari divini Numinis providentia factum dixerim, ut qui venerat ad animi demissionem hominibus persuadendam, discipulos Christus elegerit, quorum sensus ab ea virtute tantopere abhorrebant; & in

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

infima quamvis conditione ac fortunâ, nondum ſupernâ virtute purgari, ſuperbiâ, ambitione, vanóque honorum & ipſi ſtudio trahebantur. Id agebat videlicet, ut in emendanda ipſorum ambitione, noſtram nobis patefaceret ambitionem, ac dum planè divinas, de re tam gravi præceptiones illis traderet, leges nobis unà præſcriberet ad mores informandos accommodatas, & in beatam illam ac ſanctam compelleret animi demiſſionem, ſine qua nec ſolida pietas, imò nec Religio vera exiſtat. Hæc eſt Evangelicæ lectionis, quæ fidelibus hodie proponitur, ſumma. Accedunt ad Chriſtum diſcipuli duo, obſecrántque ſibi, ut per eum primas Regni ipſius ſedes occupare liceat. Ut notum illis non erat Regnum illud ſpiritale, fingebántque ſibi temporale quiddam ac terreſtre, liquet ambitione eos ſola cæcáque dominandi cupiditate adductos ſuam hanc petitionem adornaſſe. Atenim ſcitis, Auditores, quo fuerint pacto gemini fratres accepti; & ex inſperato petitionis eventu, facilè intelligamus in quo poſita ſint ambitionis mala, quæ formæ illius variæ, qui effectus, quæ damna, ad extremum, quæ remedia morbo illi admovere conveniat. Argumentum eò gravius & utilius, quòd in aula palatinísque domibus, ambitio magis viget ac regnat. Quamquam enim nulla ſit hominum condi-

tio, eâ cupiditate planè immunis, neque aliis ea finibus claudatur, quàm mundi, verè tamen dici potest in basilicis præsertim, Regúmque domibus ambitiosos reperiri; *Ecce in domibus Regum sunt*; agitare ibi illos grandiora, majora moliri, plures adhibere machinas, errore suo difficilius homines deduci, difficilius sanari. Quædam vitia sunt, inquit Chrysostomus, quæ facilè comprimas, quæ sponte concidunt sua, quoniam homines mundani nondum eò cæcitatis ac perversitatis pervenêre; ut ea non videant, ut ea non damnent. Verumenimvero apud aulicos ambitio in virtutibus ponitur, ne dum in vitiis. Aut; si in vitiis numeratur, ex iis unum creditur, quæ in nobiles & excelsas tantùm mentes cadunt; hæc autem vitia pluris fiunt quàm simpliciorum, ac pusillarum mentium virtutes. Videtis, christiani Auditores, ope cælesti quantùm indigeam. Ad eam impetrandam, Virginem Deiparam adhibeamus, qua nulla unquam, ambitione ab omni remotior fuit. *Ave Maria.*

UT solius Dei est veras aperire propriasque rerum notiones, privatis cogitationibus nostris hodierno die posthabitis, solis Magistri summi præceptionibus inhærere nos oportet; verbis siquidem tribus concionis argumentum is suppeditat maximè

sup-

simplex, aptum, suis numeris & partibus perfectum & expletum. Quale sit illud, diligenter, quæso, penitúsque cognoscite. Fratres hi duo, Zebedæi filii, precantur à Christo, sibi ut per ipsum primas in Regno sedes tenere liceat. Ad hæc nihil apertè respondet Christus Servator. Responsi loco, tria proponit, eorum optatis valde contraria. Primùm significat, non ipsius esse, sed Patris, ad eos honorum gradus, quorum adeò cupidi videntur, illos efferre: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Dein ostendit, dominationem ab illis, nationum infidelium ritu, non esse quærendam, sed quisquis principatûs cupiditate tenetur, statuere eum apud se oportere, sibi serviendum aliis, & excelsiorem dignitatis gradum quem spectat, subjectionis & servitii segetem & materiam fore. *Non ita erit inter vos: sed qui voluerit inter vos major fieri, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Postremò interrogat illos vicissim ac percontatur, num sint ad calicem suum bibendum parati; hoc est, ad aspera quæque suo fortiter exemplo perpetienda. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Quæ tria perquàm accommodata erant ad tres errores qui mentem occupaverant ipsorum, depellendos. Ponebant

enim, cogitatione non ſurſum erectâ, Chriſtum, ut hominem, amplos illos honores quos ambiebant, poſſe ipſis largiri. Significat autem Chriſtus, ad eos unos, quibus ſunt à cæleſti Patre deſtinati, poſſe honores eoſdem deferri. Id agebant Joannes & Jacobus, ut honorificis illis ſedibus ornati, ſe vulgo ſecernerent, & auctoritatem tenerent in alios; errorem hunc eripit illis Chriſtus, dum monet celſiorem tolli in locum, aliud nihil eſſe, quàm onus imponi gravius, aliis operam dandi, aliorum utilitatibus ſerviendi. Denique commentitio illo Chriſti Regno, & imaginario gradu, vitam ſibi proponebant tranquillam & commodam, docet autem Chriſtus, quanto ſtare illis debeat dignitas illa præcellens; bibendum quippe illis amarum calicem; ſanguinem profundendum.

Præclara omninò documenta, in quibus Chriſtus ea colligere velle videtur, quæ in morum diſciplinâ plurimum valent ad ambitionis noſtræ mala corrigenda. Attendite enim, quæſo, Auditores, ad ea quæ ſequuntur. Honores profani, quos conſectamur tam cupidè, ſpectari trifariam poſſunt. Quà Deum, eorum largitorem, reſpiciunt. Quà proximum, per quos ſit ut ei ſuperiores ſimus. Quà noſmetipſos, qui aut jam ſumus eos adepti, aut ad eos nitimur. Quà Deum habent auctorem, ſunt

sunt honores, ex æternâ ipsius destinatione, sedes totidem, quas non nisi divino nutu & instinctu capessere nos oportet. Attamen profanos eos reddit ambitio nostra, dum iis inhiamus velut commodis quibusdam merè terrestribus. Hoc erit primæ partis argumentum. Quà proximum respiciunt, sunt honores profani, vera totidem laborioſæ servitutis onera; & iis abutitur ambitio nostra, dum eos consectamur ad vanum imperium & superbam dominationem exercendam; hoc docebit pars concionis altera. Quà referuntur ad nosmetipsos honores profani, sunt laborandi totidem & patiendi necessariæ causæ; eosdémque corrumpit ac depravat ambitio nostro, dum illos sequimur, ut vitam in iis otiosam agamus & jucundam; erit hoc concionis omnis clausula. Armemus nos igitur adversus periculosum hunc animi morbum, tergemino Christi Servatoris pronuntiato, ac cùm urget & instigat subdolus tentator ad certos quosdam & insigniores nobis honorum gradus parandos, reponamus illicò, non ab eo, sed à DEO nos eò vocandos esse; quoniam hi gradus, quamquam profani, sunt reipsa divinæ sortis & arbitrii: *Sed quibus paratum est à Patre meo.* Cùm superbos ambitio spiritus affert, facitque ut amemus in eo nosmetipsi, quòd aliis dominemur, opponamus

illi præclaram hanc Christi sententiam, qui principatum tenet, famulari aliis & servum esse oportere; *& qui præcessor est, sicut ministrator.* Cùm nos ambitio prolectat, spémque vitæ commodioris injicit, & jucunditatum, quæ summas sedes & splendida munia comitari solent, os illi occludamus, officia laboriosa, imò etiam cruces commemorando, quæ sunt cum amplis muneribus necessariò conjunctæ; atque his nosmetipsi verbis privatim interrogemus; possum hos & illos labores exhaurire? possum hoc & illud perpeti? *Potestis bibere calicem* En tria summatim, christiani Auditores, quæ sunt apud vos à me hodie dicenda.

PARS I.

QUANTACUMQUE sit homo libertate donatus, cùm est à Deo, quemadmodum loquitur scriptura, *relictus in manu consilii sui*, pronuntiatum est, illúdque verum universè, nec non omnibus nixum Religionis christianæ principiis, statum nullum esse, quem fas illi sit amplecti contra DEI nutum, Vitæ conditionem esse nullam, de qua non sit hæc constituta lex prima ac summa, ut eam nisi invitante & vocante Deo, non sequare. Gradum & munus esse nullum, quod periculosum non fiat, cùm in illud te infers, non consulto prius Deo; in eo videlicet, auctore Chrysostomo, positum est

Eccl. 15.

jus

jus & potestas suprema, quam sibi DEUS retinuit in naturam rationis & intelligentiæ compotem. Ego verò in eo sitam esse dico fœlicem hanc necessitatem, ex qua rationis & intelligentiæ particeps natura, libertate sua non utitur & accepto jure nisi ad nutum & arbitrium supremi Domini; si quidem nihil est cum hominis salute magis conjunctum, quàm quod divinam vocationem appellamus. Etverò, christiani Auditores, in eo ferè vertitur prædestinatio nostra omnis; in statûs, inquam, & conditionis, quam amplectimur, electione. Causa est in promptu. Quoniam, inquiunt Theologi, nihil aliud est prædestinatio, quà Deum auctorem habet, quàm certa series auxiliorum, quæ sunt parata nobis à Deo; quà nostra est, aliud nihil est, quàm actionum series, ex quibus in omnem de nobis statuit & pronuntiat æternitatem. Sunt autem gratiarum auxilia, quæ Deus impertit, ad statum nostrum plerumque accommodata; & noxæ quas admittimus, ex tentationibus & periculis, quibus statûs & conditionis nostræ ratio nos objectat, proficiscuntur. Quot cruciantur apud inferos, qui sanctè victuri fuissent, si, cælesti monitu, præstitutum sibi statum essent amplexi. Contrà verò quot jam sunt cælitibus ascripti, qui, si certum arripuissent vitæ genus, ad quod non erant à DEO destinati, vitam

acturi

acturi fuissent omninò flagitiosam & impiam. Ita ratiocinari christianum quemvis oportet, rem altè, & prima ab origine repetentem, hoc est, ab ineffabili divini Numinis providentia. Quanquam autem principium hoc generatim & universè fundat se in ea cuncta, quæ cadere possunt in deliberationem & electionem, fatendum tamen est, convenire propriè in profanos mundi honores, & fortunæ nostræ amplificationem. Planum facio quid velim, ac dico, terrenos ad honores ut ascendatur tutò & citra peccatum, Dei vocatu esse opus magis certo, magis expresso, & ab errore ac fraude magis remoto. Id enim apertè significat Apostolus, cùm solennem hanc legem promulgat, cui, deditâ operâ, semper humana refragata est ambitio, sed quam sacræ litteræ semper illi opponent; fas videlicet esse nemini, inferre se ipsum atque intrudere in dignitatis illius sedem, sed occupandam ab eo uno, cui sit divinitus assignata: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo.* Quæ regula divinis pariter & humanis rationibus nixa est atque firmata. Divinis rationibus, cùm honores sint penes Deum unum, adeóque ejusdem unius sit, dispertire illos cùm lubet, & inter quos lubet. Etenim si jus & amplitudo ipsius postulat, ut res omnes moderetur ac temperet, quæ mundo hoc continen-

Hebr. 5.

tinentur aſpectabili, quanto pertinet magis ad idem jus & amplitudinem Dei, moderari arbitrio ſuo, & ex ſapientiſſimis conſiliis ſuis, quæ ſunt in orbe terrarum ſpectatiſſima. Humanis rationibus, cùm dici poſſit generatim, nihil eſſe hominis ſaluti magis periculoſum, quàm ſedem excelſam. Sed ſi ſedes omnis excelſa, periculoſa eſt, quanto magis illa, ad quam proprio nutu pervenimus, atque optatò. Ut ut eſt, chriſtiani Auditores, en regula ad quam dirigenda vitæ noſtræ ratio. Emane ſequimur? hoc loco veſtra mihi valde neceſſaria eſt attentio, & ad id probandum quòd ſum exprobraturus aut dolitutus vobiſcum, ſola mihi ſatis eſſet experientia, longúsque retum uſus quem habetis. Honores mundani ex divinæ prædeſtinationis principiis, ſunt ſedes totidem, quas inire, niſi divino nutu & inſtinctu, non licet; at nunc, quod ſpectari non poteſt ſine offenſione, habentur illi in rebus maximè profanis; nulla enim Pauli & regulæ præſcriptæ ab eo ducta ratione adeuntur nullo Dei vocatu; nunc blandæ prenſationis, nunc doloſæ artis adminiculo paratur ad eos aditus. Quicumque tandem illi ſint, debiti creduntur natalium ſplendori; efflagitantur ut meritorum & officiorum præmia; his familiæ, his domui labenti firmamentum quæritur; æſtimantur pro utilitatis majoris, aut minoris

noris ratione, pro majore vel minore quæstu atque compendio; sordidum exercetur ac turpe eorum commercium, atque hæc omnia sine ulla fiunt animi remordentis conscientia, fine ullo sollicitudinis aculeo, præscriptione videlicet pravóque usu, peccandi auctoritatem afferente; quasi verò flagitiosa hominum vita jus facere unquam valeat contra supremi Numinis jura. Ecquæ mala sint fletu gemitúque nostro digna, hæc si non sunt? singula persequamur, ac quantumvis cum pudore, ne pigeat animi nostri vulnera detegere, cùm præsertim necessitas gravis, imò extrema, promptam à nobis medicinam illis poscat. Ascenditur ad sæculi honores nullo Dei vocatu; nec mirum istuc accidit, cùm eò sit jam progressus error, ut vulgò ponatur tanquam res certa, ad status ejusmodi Dei vocatu nihil opus esse. Ut abdat se quis intra claustra monastica, statúmque humilem amplectatur & abjectum, expectet necesse est gratiæ cælestis motum & impulsum; fieri sic decet: at cum summi reipublicæ gradus ascendendi, cùm sedendum in tribunalibus, cùm gerendæ publicæ res; cùm obeunda munera, è quibus civitatis, provinciæ, Regníque sors pendet universi; cùm tenendæ sedes, quæ angelicam, si fieri possit sanctitatem postulent, una satis est hominis ambitio; satis est cæca ac temeraria domina-

minatrix animi cupiditas; illius est fortunæ suæ auctorem esse & architectum, adhibeat se modò in consilium, aut præsumptam potius de se opinionem; pronuntiet Christus, sedes illas, eorum esse duntaxat, quibus sunt à Patre cælesti destinatæ: *sed quibus paratum est à Patre meo.* Mysterium est homini ambitioso incognitum, Patris cælestis destinatio. Frustra Chrysostomus admonet, munera illa cum conscientia esse conjuncta necessariò, proindéque pertinere ad cælestis, si fas ita loqui, gratiæ ditionem ac dominium. Dominium illud quod molestum illi est, & consiliis ejus terminos circumscribit ac definit, videtur, illi, commentitium. Frustra Bernardus significat, sedes illas, quò celsiores sunt, & magis à vulgo remotæ, eò magis poscere Dei, qui eas consecret, nutum & impulsum. Diuturna consuetudo res istas æstimandi ex profanæ sapientiæ consiliis, conscientiæ jam callum obduxit. Cùm vel ipsa agantur Ecclesiastica munia, quæ nunc habetur diviniNuminis ratio? in ea immittere pueros impuberes, prius quam Dei vocantis nutus observare possint ac sequi; in ea immittere, priusquam eadem satis nota habeant, & ubi tandem accessit cum ætate notitia, cogere invitos in iis hærere, vel cum salutis periculo, an est hominis cogitantis, functiones illas ordinis esse spiritalis, earúm-

rúmque dispensationem, ad Deum unum attinere?

Nihil hoc quidem præut alia dicam. Nam, si tacita Dei vox, gratiæque cælestis afflatus meritis quodammodo suppleretur ac virtutibus, quamquam, teste Gregorio Magno, semper indecora sit talis ad sacros honores velificatio, intaminati nihilo tamen minus videri illi possint. At cùm exclusis virtutibus, videmus, idque ninium crebrò, adhiberi machinas omnes involutæ calliditatis, factionis, deprecationis, gratiæ. Cùm auctoritas & amicitiæ eam in rem interponuntur, molémque operis sustinent maximam; cùm advocantur fraudes & fallaciæ; cùm accedit importunitas, & Zebedæorum matris exemplo, nulla non persona geritur, supplicis, negotiatoris, offerentis, clientis: *Adorans & petens.* Cùm ne occultantur quidem artes illæ, sed mens, sed consilia ipsa aperiuntur, & ponitur in politicæ prudentiæ laude, perficere quod est susceptum, posque occulta facta abjectè ac serviliter, sed licem ad exitum perductum facinus etiam venditatur quasi palmare: dicam ne? cùm via fit ad honores per infamiam, & ad sæciliores illorum aditus, hic promissis, illa muneribus, iste minis corrumpitur: denique cùm ad certiorem exitum, vitii & iniquitatis præsidia captantur: cùm id, inquam, omnia

*Matth. 20.*

omne assiduo usu etiam innocens, etiam legitimum, etiam honestum videtur; quid inde aliud colligas, quàm cunctas honoris ideas, eas dico quæ fuerant nobis inditæ divinitus, deleri in dies, cùm honores illos non jam spectemus ut gradus à divina providentia notatos, sed, ut cupiditatibus nostris res dignas, aut, ut fortunæ dona ac munera temerariis audaciorum hominum conatibus passim oblata. Pergite, Auditores, attentione me vestra dignari; & facite, ne quid effluat ex illa morum doctrina fusâ tam latè. Honores ambiuntur etiam sanctissimi, ceu debiti natalibus; atque hæc ratio satis una videtur ad quodlibet, pro suo etiam jure, aspirandum. Satis est ut ad sacerdotii nitare fastigium, quòd stirpe sis ortus generosâ; satis est, vitam quis à patre habeat locuplete, ad summa ut contendat reipublicæ munera: satis est ille sit illo ptognatus, ex vulgari loquendi more, ut gradum omnem filius tenere velle non dubitet, quem tenuit pater. Sit ab omnibus alioqui naturæ donis ac dotibus quantumvis inops, & imparatus, nihil non suscipiet: jus populis reddet: edicet: reget: decernet de hominum fortunis ac vitâ ipsâ; cúmque *sub modio*, quemadmodum Christus loquitur, delitescere eum oporteat, *in candelábro* sublimis extabit. *Matth. 5.*

Notat Philo Judæus, cùm esset Moses

ad moriendum vicinus, non ausum esse quemquam è propinquis in locum suum sufficere; *aut quia non putavit*, quod subdit ille scriptor, *rem tantam ad suum pertinere judicium, quia ipse non potuerat, nisi Deo vocante, principatum suscipere.* Sic statuit sanctissimus legislator. Atenim ambitiosus, aut in hisce rebus magis intelligens, aut minus religiosus, quàm Moses, se cujuslibet honori successorem destinat; &, Zebedæi filios imitatus, ut succedant ex sententiâ quæcumque suadet ambitio, ab ipsâ etiam generis cognatione & propinquitate, commendationem trahit. Quin & in ipsas Ecclesiæ sedes sacratissimas mali labes pervasit, audiásque homines mundanos, cupidos & avaros, qui & hodie dicant quod olim populi Israëlitici principes, *Psalm.82.* & majore etiam audientium offensione, *hæreditate posideamus sanctuarium Dei.* Nostrum est jam tot annos sacerdotium hoc: cavendum ne familiâ domóque nostrâ summoveatur. Ego verò respondeo ejusdem prophetæ verbis, *Deus meus, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* *Ibid.* Sensus est, superbos eorum spiritus frange: contunde, everte, funditus eos extingue; ac quoniam vel in ipso tuo cultu tam pravam habent tui rationem, nihil à te præter infortunia, detestandíque ambitûs sui pœnas ferant. Et verò res nulla magis fatalis

talis esse, nulla magis funestos exitus habere solet, quàm hæreditaria illa & perpetua sanctuarii possessio. At de publicà re bene sum meritus, & sedes illa vacua jam, & quam sequor, est officiis meis merces non aliena. Sit ita sanè, inquit Bernardus; quid colligas ex officiis illis quæ tantopere venditas? ut extent in rempublicam merita tua maxima, quæ nullâ plerumque ratione conjuncta sunt cum sede illa, quam ambis, nec paria; an es illa propterea digni, or? éstne locus ille factus ad officia remuneranda, qualia sunt, quæ cupiditati tuæ prætendis? quam habet æquitatem, verbi causâ, ut sacerdotium & quæ sunt cum illo connexa, fit officii profani ac mundani merces? fueritne Simoniæ genus magis apertum, magísque damnandum? an quia Reipublicæ operam navasti non inutilem, idcirco tradenda ac permittenda tibi est facultas peccandi & te perditum eundi? esto: servieris eâ fide, studióque illo omni quod expectari à te potuit. Fidemne illam remunerari oportet in tua persona (liceat usurpare verbum gravius) prostituenda auctoritate? nullane merces rependi alia possit pro officiis illis, quæ tanto sunt apud te in pretio, quàm ut gradum hunc ascendas præter Dei voluntatem? ea tamen est, Auditores christiani, cupiditatis nostræ cæcitas: contra divini Numinis

consilia omnia, honores ad quos vocandi ab eo sumus, per indignam profanationem, in terrestrem convertimus stabilémque fortunam. Quot parentes, etiam ex iis, qui christiani censentur, imó qui se christianos obliviscuntur, illud usurpant, quod mater illa de qua Matthæus, *dic ut sedeant hi duo filii mei.* Fac assistant propter te duo filii mei, gerántque, dextrosum ille, sinistrorsum hic, amplissima Regni tui munera. Si sunt qui modestia retinente, non tam rusticè, tàmque apertè rem eloquuntur ipsam, quotusquisque tacita secum voce non dicit? contendo enim hoc caput unum ex illis esse, quæ nondum Evangelica morum doctrina, de qua tam magnificé nonnunquam gloriamur, in nobis emendavit. Aliæ res cùm agentur, erit vitæ nostræ ratio omnis directa, quantum voles, ad acerrimam Evangelii pietatisque normam; nihil repugnabitur: imò ponetur istuc in gloria: sed nemo non vult constitutam domum suam honorificè: honorificé, inquam, ad profanorum hominum scita ac præcepta: nemo non vult prospicere liberorum rationibus, & prospicere commodè, ex pravis mundanorum hominum opinionibus: hoc est, aliis Clero, in quo fastum pompámque mundi omnem præferant, addictis; aliis in mundanas delicias paganúmque luxum conjectis; aliis populorum spoliis,

Eccle-

Ecclesiæ patrimonio ditatis; allis in altissimo dignitatis gradu, velut in Templi pinna, constitutis, ubi & mens caligat ipsis haud rarò; aliis magistratum gerentibus, officiorúmque mole & pondere oppressis: ac quoniam inde plerumque nascitur morum depravatio, his & illis flagitiosâ & infami vita statum suum dedecorantibus. *Dic ut sedeant hi duo filii mei.* Quod malum, terribili quidem, sed justo Dei judicio, optimatum ac principum omnium velut proprium ac domesticum esse videtur hac nostrâ ætate. Quin & pravum illum morem diceres venisse jam in legem, Deúmque ipsum cum omni sapientiæ, cælestísque gratiæ præstantia, obedientem illi necessariò, ac subjectum esse oportere. Satis est adolescentem illum natu minorem esse, ut dubium non sit, ad ferendam animorum curam destinatum ac vocatum à Deo. Mutetur facies rerum, sors adolescentis, ac destinatio continuò mutabitur. Manebit illa, quandiu frater manebit natu major; ídque ut aiunt, quoniam est è re familiæ, ut alteruter hac viâ ad honores procedat; verius ac simplicius loquamur, quoniam haud paucis parentibus, iísque, si Deo placet, piis ac religiosis, hoc propositum est unum, magnis ut opibus fundatas & optimè constitutas domos habeant, non ut Christo addictas. Taceo malum aliud huic

conjunctum, Auditores, de quo deplorabat olim Salvianus; nimirum cùm natos per omnes vitæ munia dispensant cæci parentes, mundanóque spiritu occupati, è multis familiaribus filiis si quis est contemptior, ei semper honores Ecclesiæ reservantur ac cedunt. Si nullis est naturæ donis ornatus, si distortus, si alterutri parentum invisus, cælibi vitæ, divino cultui, vel ob id, est dicandus. *At verò nunc nulli Deo magis ventur, quàm quos parentum pietas minus respicit; & qui indigni censentur hæreditate, digni judicantur consecratione.* Potuítne pius sacerdos agere vehementius & accommodatius ad mores nostros? & erit jam, christiani Auditores, qui miretur, justum providentiæ, jurísq; sui vindicem Deum, subinde nobis infensum atque iratum esse? quibus oculis aspiciat hanc sacrorum conculcationem? an is sit qui est, sapiens videlicet, sanctus ac perfectus Deus, ejusmodi mala si patienter ac sedatè ferat? sed, an erit præsertim qui miretur cuncta christianæ reipublicæ munia usque adeo jam evniluisse; obire illa tot homines iis indignos, tot clericos vitâ infames, tot Judices iniquos, tot Principes Religionis inanes, imò impios passim spectari? si secus eveniat, non res sit veluti miraculo tribuenda? fierini potest ut qui non suasore, non auctore Deo, gradum honoris est adeptus, in officio manet,

Salvian.

at, ſempiternum exitium vitet? ut quæ eum in locum cupiditas & ambitio deduxit, eadem ad ſexcentas alias noxas non impellat? nihil eſt, Domine Deus, in hac morum doctrinâ quam tradimus, quod rationi, quod veritati, quod Evangelio tuo non ſit prorſus conſentaneum. At, quo eam loco tradimus? mediâ in Aulâ: apud auditores attentos quidem, ſed ad fidem habendam mihi non valde præparatos. Homines illi ſunt pravis mundi legibus impliciti; & in iis quotusquisque aut percipiat doctrinam hanc, aut perceptam volet *Domine quis credidit auditui noſtro.* Verumenimvero ſi dogmata illa mundanorum hominum palato non ſapient, ſi non afficient, ſi non movebunt, certè non erunt illis inaudita: non peccatis ſuis legis tuæ obtendent ignorantiam; nec, ſilentio ſuo, verbi tui præcones, fruſtra reclamante Evangelio tuo, jus velut auctoritatis ambitioni permittent. Quod enim dico, iterare, inculcare chriſtianorum auribus, veritatis conſtans aſſertor, nunquam deſiſtam, mundanos honores, non niſi divina tuo nutu & inſtinctu, capi ab iis oportere; quà verò ad proximorum utilitatem diriguntur illi, totidem ſubjectionis onera, totidem aliis ſerviendi cauſas, eáſque neceſſarias, eſſe.

PARS II. SOLUS Deus, Auditores christiani, dici magnus naturâ suâ potest, ac per se: humana nulla est amplitudo, soluta prorsus ac libera: nulla, quæ cum aliorum commodis & utilitate, rationes non habeat conjunctas, nihilque magis odiosum & magis injustum est homine illo, quem fortuna, prout crescit, ferocem reddit & arrogantem: cùm illa ipsa, qualis est, molestiæ, obsequii, charitatis, & humilitatis christianæ causas haud paucas, ne dum tumidos spiritus, afferre debeat. Etverò dominari, dominandi causâ, est, ut ait Ambrosius egregiè, divini Numinis prærogativa quædam. Dominari, serviendi causâ, est id hominis utique proprium; ac quoties fit, ut ea duo divellat is, sibi, queis caret, nonulla tribuendo, ea ipsa quæ possidet, destruit. Quamobrem hominis dominatio, cùm sit, è Dei consiliis spectata, verum ministerium, ab eo qui sejungit studium & charitatem in proximum, partem illi maximè necessariam tollere, atque adeò prorsus illud labefactare est dicendus.

An hoc autem doctrinæ moralis caput fuerit olim paganis cognitum, aut novum sit mandatum Christi, non id ago nunc ut explorem. Videmur tamen, ex Evangelicis verbis, eâ nos in re distare ab ethnicis ac differre. Apud ethnicos quippe, inquit Chri-

Christus, agunt optimates pro imperio cùm tenuioris fortunæ hominibus, qui sunt apud vos amicè & clementer, imò ad fidei regulas accommodatè, non sine quodam reverentiæ sensu, ab optimatibus tractandi. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum.* Ita cælestis ille magister. Verumenimverò rectè in eum locum Hieronymus observat, à Christo, dum ita loquitur, poni, imperiosam hanc regendi rationem, pravè esse inductam in ethnicorum mores, non legitimæ possessionis jure teneri; dúmque nos diverso prorsus fundamento inædificare docet, hoc est, honores, queis vulgo secernimur, ac præcipuè per quos habemus imperium in alios, in charitatis officium ac munus convertere, nullam aliam legem nobis imponere, quàm quæ jam erat à ratione constituta, sed quæ peccati tenebris obscurata cùm esset, sanctissimæ ipsius doctrinæ luce, cunctis ut splendesceret, indigebat. Nihil est, christiani Auditores, nihil est quod Evangelicum codicem, ad veritatem hanc intuendam, diu multúmque volvamus. Nullis erat christianæ philosophiæ principiis imbutus princeps philosophorum, percipiebat illam tamen cùm diceret, Reges, in fastigio illo, unde nobis ceu Dii totidem aspectabiles apparent, meros homines esse, non sibi, sed cæteris hominibus natos; non ad sua, sed *Matth. 20.*

ad populorum commoda constitutos Reges. Hoc autem si verò dictum est de regia dignitate, nemo è vobis meritò me accuset, quasi de se loquutum non satis moderatè, si dixero, nullam vitæ conditionem, nullum honoris paulò excelsiorem gradum in mundo spectari à quoquam aliter, ac parari fas esse, viâ tametsi directâ, & legitimâ ratione, quàm ut se totum impendat eorum in commoda, quos divina ipsi providentia obnoxios fecit, ut eorum utilitati totum se addicat, totum devoveat. Magistratum, verbi causâ, hominem esse, destinatum & electum à Deo, ad certorum hominum, quibus suas curas debet, bono, commodisque serviendum: non jam esse sui juris & arbitrii, sed reipublicæ; præfectum herum, auctoritate eò duntaxat instructum, ut familiæ, cui præest, utilitatibus consulat; quod, si desit auctoritas, non fiat, *præs*, inquit Bernardus, officia partésque optimati mandatas dum describit & ostendit, *præs, non ut de subditis crescas, sed ut ipsi de te.* Quasi dicat, eum gradum cùm teneas, imperare tuum est, aliorum obsequi. At mineris, obsequium illud tibi non sine gravi tuo incommodo, deberi, téque, ni fructum illius omnem in eos ipsos, qui tibi sunt obnoxii, derives, ab officii religione prorsus declinare. Hinc colligo, si sit inter christianos (quot autem reperias) qui, pro

pro gradu, quem, vel fortunæ est adeptus beneficio, vel natalium jure, homines cùm habeat sibi obnoxios, sibíque subjectos, se unum tamen in iis respicit, suas unas utilitates, suam unam gloriam, unam sui ipsius ostentationem in iis attendit ac spectat, & est de reliquo ita negligens in eos, ut commoda bonáque solida, quæ sperare ab eo & expectare illos par erat, non valde eum sollicitum habeant, sempiternis, vel ob id unum crimen, suppliciis, esse dignum: quid ita? quoniam ordinem illum invertit constitutum à Deo, qui magnos eò tantùm ac præpotentes esse voluit, ut parvis consulerent & infirmis. Ita visum est Augustino rem illam æstimanti ex divinæ providentiæ principiis sumptis generatim & universè. Non me præterit, multa his legem Evangelicam addidisse, Christique Servatoris exemplum, *qui non venit ministrari, sed ministrare*, multò majorem hujus officii necessitatem hominibus imposuisse. Etverò non pudendum sit, inquit Chrysostomus, in iis, qui Christi Religionem profitentur, Christúmque ipsum, Dominum agnoscunt, eúmque supremum, si reperiantur, qui severius imperium exercere ament, quàm Christus ipse? sententia ad christiani hominis pectus afficiendum prorsus accommodata! an non æquum est, cùm Verbum æternum, *formam servi acceperit*, *Philip. 2.*

*Matth. 20.*

no-

nobilitaverit, divinam effecerit in sua persona, esse eam inter nos aliquo in honore? &, an non istuc provisum est sapienter à Deo, addit Chrysostomus, cùm dominationem ipsam eidem subjecit; atque ut voluntariam filii sui abjectionem veneremur, jubet nos, quemcumque tandem dignitatis gradum teneamus, in eo versari, in eo nos gerere, quomodo servos ac ministros convenit; ut illa Pauli sententia accommodari in nos possit: *Omnes sunt quasi administratorii spiritus.* Verè quidem hæc cuncta, christiani Auditores; attamen id me non leviter angit, quòd, cùm fides Christi, tam celsa nobis, tamque perfecta proponat, vix reipsa, factisque ipsis, simplicem rationis ductum sequamur. Si dicerem, servitutem illam eò usque & officium progredi, ex Evangelicæ legis præscriptione, ut proximum & ejus salutem præstare DEO vos oporteat, hoc est, hominem quemvis auctoritate aliquâ instructum, pro ejusdem auctoritatis ratione & modo, sponsorem ac vadem esse proximi, ejus flagitia sceleraque omnia præstanda illi esse; ejusdem animæ rationem esse ab illo reposcendam, idque proposito semper Christi exemplo, qui supremo dominio suo non est usus, nisi ut in salutem multorum operam omnem impenderet, *non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis;*

Hebr. 1.

hæc,

hæc, inquam, si vobis significarem, terrorem utique vobis incuteret hæc oratio mea. Ut ut sentiendum est de eo officio, quod unum concionem integram poscat, en, mundani principes, inquit Bernardus, en exemplum in quod inspicere vos oportet; en vitæ ratio, quam vobis lex vestia præscribit. *Forma Evangelica hæc est, dominatio vobis interdicitur, indicitur ministratio.* Ut christiani, quantò superiores estis, tantò magis charitas, tantò magis benignitas eminere debet vestra. *Dominatio vobis interdicitur, indicitur ministratio.* En Evangelicæ hujus doctrinæ summa, quam statûs vestri vitia emendare oportet.

Hinc Augustinus sacratioris infulæ splendore non se præstringi sinens, ex illo ipso sacerdotii apice causas non unas sumebat erubescendi, deprimendi, & erudiendi se privatim. Ut mihi Christianus, ait S. Doctor, gregem sibi commissum alloquens, ita vobis, volente Deo, sum factus antistes; ac, si libeat de sacerdotii amplitudine gloriari, satis hoc fuerit ad divini Numinis vindictam in meum caput accersendam. *Quod christiani sumus, propter nos est, quod præpositi, propter vos.* Ex quo est id effectum à Deo, concludit egregiè Augustinus, ut humanarum conditionum temperaretur inæqualitas; tenuiotibus de suâ tenuitate conquerendi licentia, principibus de sua excel-

sitate

sitate gloriandi jus omne præcideretur. Sum aliquis, at idipsum quod sum aliquis, postulat, nullus ut mihi, totus ut eorum, apud quos sum aliquis, fiam. Si multa illi mihi debent, debeo vicissim & illis officia non modica. Uno mihi modo si sunt obnoxii, alio ipse ego sum illis obnoxius; nec me illi satis æquo utantur, si pauciora, quàm mihi debeant, iisdem persolvero. Auditis istuc, christiani Auditores, &, in tanta sæculi corruptela, possum sperare, vobis ut probetur tam salubris, tam sancta præceptio? id nunc agitur ad eamne normam vitam dirigatis? num opinio in eo vestra consentiat cum Christi Servatoris præceptis & exemplis. Hoc enim ipso distinguendos ac dignoscendos ab ethnicis, ille idem pronuntiat hominum Servator; & ad vos ipsos attinet ejus sermo, cùm vetat Apostolos vanum in alios & superbum dominatum affectare, *non ita erit inter vos.* Videamus ergo, num in iis qui ad profanos honores nituntur, non sint ethnicorum similes; qui conditione suâ abutantur, & superbiâ cùm auctoritate conjunctâ, hanc non minus imperiosam, quàm intolerabilem reddunt. Videamus, an, in ipso Ecclesiæ sinu, post Dei præpotentis, qui se ultro demisit, *& exinanivit*, exemplum, non reperiantur heri feroces, asperi, duri, qui id unum agant, sibi ut dicto alii sint audientes,

*Phil. 2.*

tes, ut ſerviant, ut metuant; indolere, ſublevare, indulgere, charitate devincire ſibi quemquam neſciant. Qui vi, imò ſæpe imperii acerbitate omni adhibitâ, non unctionem, non ſuavitatem charitatis ullam, quam præcipit Apoſtolus Paulus, unquam intermiſceant. Non deerunt colores, queis obtegat ſe dira dominandi libido; ſedenim vincat neceſſe eſt divinus ſermo, victæque pudorem imponat. Adeſte animis.

Quoniam ſedes ampla contigit, nunc fungendi muneris, juris nunc tuendi, nunc tenendi ordinis vanus obtenditur ardor, ac ſtudium, quin & ferocitas ipſa, faſtúsque ſæpe in officiis ponitur: adeò ingeniosè pravus ſui ipſius amor, caſtiſſimarum virtutum ſpecie occultare ſcit vitia quæque apertiſſima. Verumenimverò, reſpondet Bernardus, ſi fungendi muneris ardor, ísque verus vos agit, cur accendi tantùm ſolet, cùm fragendi videntur ſuperbi aliorum ſpiritus, & auctoritatis acies diſtringenda? cur hebeſcit in cunctis aliis rebus ac ceſſat? cur torpet, & extinguitur cùm primùm eſt ambitio expleta? Etenim quantumvis ingenioſi ſimus ad fucum nobis faciendum, en, chriſtiani Auditores, en, in quo, (fateamur iſtuc neceſſe eſt) meritò erubeſcamus. Agitur functio difficilis, laborioſa, obſcura, quam ſola exerceat charitas in pro-

proximum, illud fungendi muneris & tuendæ dignitatis ſtudium ac zelus parum nos ſollicitat. At ſit prærogativæ cujuſdam contentio, ſit obſequium exigendum, ſit imponenda lex, tunc enimverò reviviſcit zelus ille noſter, ac reviviſcit univerſus. Sopitus erat, & ſit etiam num, ſi quidvis aliud agatur; illum una ſuſcitat & acuit honoris prærogativa. An eſt autem res ejuſmodi digna, quæ chriſtianum hominem tantisper ſtimulet ac pungat? præterea, an eſt, pergit Bernardus, munere ſuo fungi, illius jugum efficere acerbum, grave, ac pene intolerabile iis, quos geſtare illud neceſſè eſt? eſt hoc munere ſuo fungi, animos exacerbare & irritare, quum conciliare eos debeas atque ſubmittere; alios mœſtitiâ, alios deſperatione afficere; inſultare his, abſterrere illos & angoribus conficere; querelis aſſiduis locum dare; ſubordinati regiminis rationem & formam omnem ſubvertere, dum eam conſtitutam vis ac rigidam plus æquo. Eò enim evadat neceſſe eſt zelus ille, quo ſe tegit & exornat ambitio; ut nihil efficiat, dum plus, quàm par eſt, efficit; evertat dum ædificare eum oportet; animus adjicitur obnixè ad certa quædam jura quæ defendere certum eſt; ac quoniam in conſilium non advocatur chriſtiana demiſſio, quà jure, quáque injuriâ, jura illa, ſeu certa ſeu falſa, defenduntur.

Quo-

Quocumque charitatis ac proximi detrimento tueri illa, quantum patent, oportet, restrictè persequi; nullâ in re ab iis decedere, nihil detrahere, conditionem nullam, nullam compositionem admittere; quid ita? quoniam illa tenet imperandi ac dominandi libido, quæ per summè deplorandam cæcitatem, è merâ auctoritatis æmulatione, sæpe etiam virtus, sæpe æquitas fit. Auctoritatis æmulatio, funestus ah! tentationum fons & origo, ad quæ quotidie facinorum extrema mortales inconsultos agis? quot flagitiis locum dedisti? quot simultates & ultiones probasti? quæ mala non importasti? quot operibus bonis obstitisti? si christiana humilitas, qualem Christus eam proponit in Evangelio, temperamentum huic cupiditati & medicinam afferret, cederet utique in Dei præpotentis gloriam; & jura illa, quorum sumus tantopere studiosi, multò firmius essent constituta. Sed quoniam nihil modicè fit & temperatè, atque ut suscepta succedant, ambitionis ingenium ferox, & jugi nescium, sequimur ducem, ob jus aliquod sæpe futile, sæpe anceps, sæpe commentitium, pacem turbari, conjunctionis ac concordiæ vincula dirimi, opprimi innocentiam, patientiam exhauriri, animos irâ incendi, omnia denique ob inane simulacrum misceri necesse est atque confundi.

Quod magis mirum est, omnium vulgò maximè imperiosi sunt, quos minus deceat imperiosa illa ratio. Homines novi, ignobiles, terræ filii, sed occultis artibus, ac veluti machinis quibusdam, summa adepti, illi ipsi sunt, qui cùm in verbis, tum in factis, se, suámque auctoritatem magis ostentant, atque ut magnitudinis umbram & imaginem quandam augeant in sese, verè magnos etiam deprimere, dominium in eos exercere, præclarum & glorioſum ducunt. Neque hoc satis est : videas qui pietatem ac præcipuum DEI cultum profitentur, atque adeò, quos, vel ob id unum, magis deceat exuere, certè humanam omnem dominationem despicere, rerum, quas sibi proposuêre, cupidiores nonnunquam, tenaciores opinionum suarum, severiores denique obsequii exactores. Obsistat illis quispiam ac repugnet paulò liberius altercando, quæ non recidant in caput ejus procellæ? quæ non inde natæ sunt populorum offensiones & scandala? Ea est, christiani Auditores, hominum ratio ac vita; & quod satis deplorare non possumus, hominum, qui pii ac religiosi cumprimis habentur. Non aulici solùm ac palatini homines ita inflari solent, potestatisque suæ aculeos emittere amant in alios atque defigere. Nihil vulgare magis, ô sæculi nostri, imò sæculorum omnium probrum! nihil, inquam,

quam, vulgare magis in Eccleſiâ ipsâ, quamquam Chriſti humilitate fundatâ. Contra quam monet Petrus Apoſtolus, ne *dominandi in clero* tangi nos deſiderio ſinamus, *neque ut dominantes in cleris* ; ſanctiſſimas plerique dignitates obſequiis & obſervantiâ metiuntur, non labore qui ſit illis neceſſariò conjunctus. Patres ſe ac Paſtores obliti, dominos ſe tantùm memin êre. In quandam ſervitutis formam animæ addicuntur. Vult Apoſtolus ſervos à chriſtianis tractari fraternè ; fratres ipſi ſerviliter tractantur. Eſt voluptati hos arctè contentéque habere ; illorum ſpiritus fregiſſe, in ſucceſſibus, in factis egregiè numeratur. Cedi ab cunctis volumus, faſcésque ſubmitti, ut primum eſt ex ore noſtro vox miſſa, & ſæpe jugum ipſi detrectamus, juſtæque dominationis, unde pendemus, imperium. Parem fortunam ac ſedem adepti, quàm non parcè ac molliter utamur acceptâ poteſtate ; eidem ſimus obnoxii, imperium abnuimus. An auctor eſt his Deus ? an id præcipit Evangelica lex ? an eâ viâ ſunt ad Chriſtum cæci mortales ab Apoſtolis traducti ? hæreamus ah ! chriſtiani Auditores, quidquid id ſit quod agatur, hæreamus ſemper in præclarâ illâ Servatoris ſententia, quicumque voluerit inter vos major fieri, *ſit veſter miniſter*. Quantò aliis ſuperiores eſtis honoris gradu, tantò magis ad eos vos

*1. Petr. 5.*

*Matth. 20.*

demittere, tantò majorem illis humanitatem, comitatem, modestiam, charitatem præstare vos oportet. In hac morum doctrina si paulùm insistimus, christiani Auditores, idque eâ libertate, quam dat Evangelicum munus quo fungor, non debetis istuc culpare. Cùm ad populos conciones habeo, postulat officii mei ratio illos ut admoneam reverentiæ & obsequii quod vobis, quod vestræ debent dignitati: at quoniam verba facio apud vos, hac in Aulâ; quoniam dynastas alloquor, meum est, docere illos, quid populis vicissim ab illis debeatur. Dixi mundanos honores, totidem sedes esse, quas nonnisi divino nutu & instinctu capessere nos oportet; vera totidem esse subjectionis & servitutis onera; totidem esse laborandi & patiendi necessarias causas; supereſt ut ostendam.

PARS III. NUNQUAM istuc confiteantur profani mundi amatores, sed, ut ut illi ea dere sentiant, ex æternitate verum fuit, amplos & stabiles honorum gradus quantumvis blandæ cupiditati nostræ lenocinari posse videantur, veras, si rectè eos æstimare volumus, laborandi & patiendi causas esse. Et verò cùm par illud fratrum primas à Christo Regni sedes popoſciſſent, beatitatis ac felicitatis anticipatæ, quam conjecturâ informabant, studio illecti, facilè illis Christus gra-

gratum errorem detraxit, cùm eosdem est ita alloquutus, *potestis bibere calicem quem egò bibiturus sum?* Potestis cruciatuum, qui me manent, consortes & participes esse; alterum cum altero ita conjunctum significans, locúmque illum potiorem, quem comminiscebantur, laborum, acerbitatum, & ærumnarum, si eum essent adepti, copiosiorem mensuram illis fore. *Calicem quidem meum bibetis.* Quæ cùm ita sint, inquit Augustinus, quæri & spectari à nobis debent aut possunt honores qui sint dispari conditione? hoc est, sinceri ac puri: qui ærumnis & molestiis permisti, imò etiam pleni non sint atque referti. Si sunt ejus generis honores, in cælestem reservantur mansionem: terreni honores, sunt diversi generis, nec nobis propositi à Deo, nisi ut calices totidem acerbi atque amari. Alios nobis cogitatione si fingimus, eos profectò ignoramus; iis aliter quisquis utitur, iis abutitur. Ut apertè & planè explicem quid velim, non commemorabo casus illos inopinos, acerbos & luctuosos eventus, quorum testes ac spectatores sumus tam crebrò; tacebo subitas rerum conversiones, modestas illas vicissitudines, quas sæculi labentis ruinas & infortunia vocitamus, at quibus iidem illi, qui nobis tam jucundi primùm acciderant honores, dum repentè elabuntur ac fluunt, acri sui desiderio reli-

cto, graviſſimè nos vexant ac torquent. Nihil eſt quod fortunæ malignitatem accuſemus, quæ datis muneribus, operique ipſa ſuo velut invidens, odium ex illis brevi in nos concitat; adeò ut beneficia illa in moleſtias, in angores, in faſtidia & infinitas ægritudines poſtmodum convertantur. Sunt hæc vobis notiora quàm mihi, chriſtiani Auditores, ac ſi teſtes in id quærendi, non alios velim quàm vos ipſos. Commoremur ergo tantisper hoc in loco, qui concionis noſtræ graviſſimus videtur. Ponamus chriſtianum hominem ita beatum ac florentem, ut res ſemper habeat proſperas, ſuámque ad voluntatem æquabiliter & conſtanter fluentes; ac videamus, num, quia loco ſedet excelſiore, ſit unde vitam ſibi ipſe jucundiorem & commodiorem promittat. Contendo ego, vel ob id unum, nihil eſſe in hac mortali vitâ tam amarum, quod expectandum illi non ſit; nihil tam durum & aſperum, ad quod ferendum paratus eſſe non debeat. Quid ita? rationes eam in rem dum exponimus attendite. Quoniam videlicet in illa fortunæ altitudine & vim ſibi afferat aſſiduè, & multa ab aliis ſæpe perpetiatur neceſſe eſt. Quoniam in anxias illas & mordaces curas immittit, quas exonerare & abjicere non licet; quoniam ab illo poſtulat eo ſit animo, ut ſe millies nunc veritati, nunc juſtitiæ, nunc innocentiæ,

ceu

ceu victimam quandam, immolet mactétque. Ita autem depugnare cum animo suo, ita agere, ita mactare se, est aliquam gustare quietis & otii partem? & est in his quidquam quod humanis sensibus blandiri sit dicendum? eò revertamur unde sumus digressi.

Depugnare secum vímque sibi afferre necesse est, qui sit in aliqua dignitatis atque honoris sede locatus. Hæ primæ illius partes. Etverò quî possit is omnes officii numeros obire, si pravis suis velit desideriis obsequi, & sit Evangelicæ mortificationis ignarus atque insolens? qua ratione homo christianus, si ratum illi est ac fixum, indulgere sibi in omnibus, nullâ unquam in re edomare se ac frangere, in fungendo munere satisfaciat Deo? molestæ functionis tædia devoret; temporibus ibi adsit incommodis, ubi adesse eum oportet; consistat & hæreat in locis inamœnis, unde decedere per officii religionem non licet? si mollis est & voluptarius homo, qui par erit ferendis laboribus innumeris, quos secum quodvis trahit munus, præsertim grave. Necesse est igitur ut animum suum contrahere discat, & in angustum concludere; quod ut perficiat, ut ritè munus expleat suum, voluptates ac delicias omnes abdicare, fraudare se nonnulla somni parte, valetudini etiam non parcere oportet; ut Pauli

Act. 20. Apostoli exemplo, *animam suam pretiosorem quàm se non faciens* hoc est, vitam ante officium salutémque æternam non ponens, in ipsâ mundanorum honorum possessione det operam abnegationi, quæ in crucis gestatione, in assiduâ mentis ac corporis vexatione tota consistit.

Multa, ídque frequenter, ab iis perpeti eum oportet, qui mundanis honoribus est ornatus; en fatum illius alterum. Etenim quó es excelsior, eò major te circumstat hominum numerus, queis insunt mendosi sui mores, suum ingenium, sua morositas, sua studia privata, suæ cupiditates, sua vitia; eò magis invidiæ, censuræ, & obtrectationis telis es propositus. Quanto Mosi stetit summum in Hebræos imperium? qua patientiâ opus illi fuit, ut curriculum emetiretur quod erat ingressus, & tam onerosum munus planè perficeret? an esset eo dignè perfunctus, ni constantiâ incredibili, eáque æquabilitate, quam pervicax populus novis in dies contumeliis & obtrectationibus tentabat, ipso jam usu obduruisset, & percalluisset admirabilis ejus patientia? Etverò, christiane Auditor, potésne, quisquis est tandem vitæ tuæ color, & sortis conditio, posésne christiani hominis officiis satisfacere, si nescias vincere te ipse, tacere in loco, odia comprimere, coer-

coercere cæcos animi impetus, circumfusas undique molestias devorare? Nam ut sis major & excelsior, ut honoris fastigium teneas, non deerunt qui fortunæ tuæ invideant, atque adeò qui facta & dicta tua redarguant, qui tibi adversentur, qui te offendant. Si stomachum erumpis, è stomacho ipso molestiam trahes. Si debellas ac vincis te ipse, ferendus erit aliorum stomachus. Ut ut est, nunquam facies, ut quod te attollit, idem simul non oneret ac premat, & unde tua proficiscitur amplitudo, inde vexationum & ærumnarum seges ampla non pullulet.

Agere vitam curis tristibus & anxiis plenam, quas, si velis, exonerare nequeas atque abjicere, acerba est & tertia eorum sors, qui honorificas sedes occupant. Ut Principes ac Reges omittam, qui non sunt ipsi lege hac immunes, dicite, quæso, Auditores, ubi nunc dynastes, herus, Judex, Antistes, magistratus, qui, ut partes suas obeat piè & sanctè, non possit ac debeat aptare sibi Davidicum illud, *tribulatio & angustia invenerunt me.* Ingens animo meo curarum & negotiorum incidit moles: ea non quærebam imò studebam amandare procul. Sed summè laudanda Numinis providentia, quæ cuncta moderatur ac regit appositè ad salutem meam, aditus illis *Psal. 118.*

ad me patefecit: hinc variis curarum fluctibus obruor. *Tribulatio & Angustia invenerunt me.* Quæ cogitatio inquit Bernardus. valde accommodata est ad superbos illos spiritus frangendos, ad vana illa gaudia temperanda, quæ statim afferre solent jura quædam præcipua, certique honoris gradus, cùm non valde afficiat honos, qui plus sibi molestiæ quàm splendoris habet adjunctum. *Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major.*

Denique animo esse te oportet parato semper ad te ipsum, nunc æqitatis, nunc veritatis causâ, velut mactandum. Cur enim fecit Deus, ut gratiâ floreas, cur te aliis præfecit, nisi ut tu illi, sicubi res ejus postulet, cadas hostia major? sententiam illam Pauli trahitis nonnunquam in voluntatem & studium vestrum, qui dignitatem omnium sanctissimam habet in votis, rem optare laudabilem & honestam; *Qui* 1. Tim. 3 *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Atenim responsionem omnem vobis Hieronymus eripit, cùm dicit, sanctissimam illam dignitatem, quo tempore Paulus scribebat, ad martyrium fuisse & ad necem gradum proximum. Addo ego, quod nunquam fortasse percepistis, & percipere tamen vos semel oportet; præfecturam nullam in terris, nullam dignitatem, quæ

non

non id exigat necessariò, ut te, cùm res id poscit, pro æquo & bono, pro innocentiâ, pro Religione, pro Dei gloriâ tuenda devoveas; tunc posthabendas tibi utilitates tuas omnes; si secus feceris, quamquam Christi fidem profitearis extrinsecus, in mundanorum, imò in reproborum te numero reipsa censendum.

Difficile istuc; esto. At, non æquum est, ait Ambrosius, ut à Deo multa cùm acceperis, multa remetiare? nonne ita res sunt ab eo sapienter ordinatæ ac constitutæ, ut honorem muneribus & officiis, quo minueret laborem, addiderit, iisdémque laborem voluerit adjunctum, quo superbiam tabémque omnem à nobis amoveret. Ita quippe sensêre de iis generosi Christi imitatores & assectæ, qui in summis honoribus ad quos fuerant evecti à Deo, sibi semper visi sunt velut hostiæ totidem vivæ ad omnia fortiter exorbenda, ferenda, adeunda, ad divina de se consilia adjuvanda in se atque explenda. Super his autem quid habetis quod opponatis, homines mundani? qua ratione possitis excusare vitam hanc mollem & otiosam in iis sedibus, quæ assiduam postulant vigilantiam, & attentionem vestram omnem? adeste huc, vani amatores, placidíque possessores honoris, cujus splendore vanitas quidem vestra pascitur,

sed

sed ad cujus labores atque onera, vestri ipsorum amor attonitus hæret; adeste, & mores vestros in tabulâ, quam oculis vestris spectandam propono, contemplamini: adeste, & agnoscite, vita vestra quàm prodigiosè distet ab officiis vestris: discite quales vos esse oporteat, &, quòd tales non sitis, si potestis, erubescite. Scio, vanas excusationes & causas vobis non defore, queis vobis ipsi persuadeatis, in obeundâ muneris vestri functione, non minus aliis satisfacere vos, quàm vobismetipsi placetis. Nam, ut rem propius intueamur, & ad rectam rationem exigamus; totum in eo esse, genio ut indulgeas; ut voluptati, suscepto muneri nunquam vaces; laborem subterfugere, quem reipublicæ debeas, & à te illa expectet; assiduitatem horrere quotidianam ac necessariam, quam servitutis genus quoddam appellare soles; certas rerum curas, quæ ad te pertinent propriè, & præstare tuum est, in alios rejicere, non posse ibi consistere, ubi consistere te oporteat, & iis adesse in locis omnibus, unde te procul deceat abesse; prætermittere negotium id omne, quod incommodum est, quod molestum, tametsi humeris onus illud tuis ideò Deus imposuerit, ut molestiæ, ut incommodo esset; prudentiam humanam adhibere duntaxat in consilium; aleam nullam,

lam, casum nullum ex iis adire velle, in quibus periturus tibi videris, & adire te tamen divina lex jubet vel periturum mundanorum hominum judicio; uno verbo cuncta ut complectar, decerpere ex conditione suâ quæcumque jucunda sunt & dulcia, molesta omnia & laboriosa relinquere, quam legem ex mundanorum hominum haustam schola, servas tam diligenter: neque hoc satis est: animo ferre sedatiore ac pati quæ te piè sollicitum habere debeant, & ardorem tuum omnem excitare; errores dico corrigendos, multa per vim facta & injustè, comprimenda & resarcienda, scandala tollenda: contrà verò efferri iracundiâ levibus de causis, non sine verborum contumeliâ, & eo loco in quo te semper esse oportet animo æquo, imperare & moderari tibi ipsi, coercere & reprimere te ipsum, adeò ut naturam molliorem & doloris impatientem nec audias nec ostendas: quid dico? abuti potestate, ut privatis simultatibus & odiis indulgeas; ut alios ultioni tuæ mactes, quasi tuo jure; ut te civitas tremat universa; ut toti provinciæ molestiam exhibeas non unam, expers ipse molestiæ: hæc & alia quæ prætereo, (finem enim oratio non inveniat, si moralem hanc doctrinam, quàm latè patet, persequi, & alia mille, nec minus gravia capita tangere libeat) hæc, inquam,

quam, omnia, an tibi conveniunt, an decent? an id postulat ordinis tui ratio? eóne pertinet illa conditionum varietas, qua mundum divina providentia consultò distinguens, alios spectantium oculis proposuit ceu vasa quædam cælata pretiosè, aternis alios tenebris damnatos reliquit & abjectos? cùm te populo secrevit, cùm humo excitavit, cùm in altum evexit Deus, an id spectavit, vitam ut exigeres otiosam & quietam? ut commodis tuis prospiceret omnibus? ut te tibi ipse, ut desideriis omnibus, ut cunctis vindictæ appetionibus te permitteres? tibíne soli mundum hunc condidit? non te potius selegit è multis ad illius curam & administrationem? ut autem rectè clavum teneas, & tradita tibi gubernacula tractes sapienter, non est ullâ in mediatone versandum? non sunt ullæ rationes subducendæ? nulla est adhibenda cautio? non adeunda pericula ulla? non ulli obices vincendi? non cognoscenda, non tractanda molliter diversa hominum ingenia? quod olim dictum à Bernardo est per summam ánimi demissionem, se monstri; ex contrariis & inter se pugnantibus naturis, conflati, genus esse quoddam, non potest à te, christiane Auditor, verè ac meritò dici? *Chimæra sæculi.* Sum omnia, & nihil; aut potius, ad omnia cupio reipublicæ mu-

nera

nera provehi, nullum obire: magistratum gero, at magistratûs habeo nihil, præter auctoritatem & togam. Est hoc magistratûs gerere personam, non esse. Publicis redimendis præsum, & redemptoris nihil habeo, præter fastum, & opulentiam è sanguine, miseriisque civium partam. Est hoc redemptorem agere, non esse. Sum ascitus in clericorum ordinem, & clerici nihil habeo præter sacrum characterem & habitum. Est hoc clericum esse, & non esse: *Chimæra sæculi.* O præclarum illud spectaculum, pergit Bernardus, de quibusdam Christi ministris sermonem habens, cùm cernuntur illi in sacerdotum ascripti numerum, quam ob rem? ut annuos sacerdotii capiant fructus, ut mitrâ caput redimiti, & purpureâ se ostentent in veste: ut rem divinam nunquam faciant: ut statis Ecclesiæ cantibns nunquam intersint; ut populorum institutioni nunquam vacent: ut commisso sibi gregi virtutum exemplis nunquam præluceant. Quos tandem eos esse dixerimus? satis planè id significari nequit, cùm non mundo illi, non clero, non militiæ dici propriè possint homines addicti: *Chimæra sæculi.* Aperiamus hodiernâ die, christiani Auditores aperiamus oculos mentis, atque ut doceas, Domine Deus, periturís honoribus bene uti, doce nos rationi esse

XIV. 260.



esse obsequentes: ad eorum enim officia cognoscenda satis est ratio. Evelle, Domine, ex animis nostris, falsas illas opiniones, quas de rebus humanis imbibimus. Errores illos, in quos mundana nos pravitas impulit, Evangelicâ tuâ luce disjice. Oculos nostros mortali fulgore præstringi ne sine, & ob transituros honores, immortalem, ad quam vocas, gloriam nobis eripi. Amen.



IN-

# INDEX CONCIONUM QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

IN Feriâ quartâ Cinerum : *De Mortis memoriâ.* pag. 3.
In eadem die : *De Cinerum impositione.* pag. 49.
In primâ Feriâ V. *De sacrâ Communione.* pag. 89.
In primâ Feriâ VI. *De Eleemosynâ.* pag. 133.
In Dominicâ I. primæ hebdomadæ : *De Tentationibus.* pag. 180.
In Feriâ I. primæ hebdomadæ : *De Judicio extremo.* pag. 222.
In Feriâ IV. primæ hebdomadæ : *De Religione Christianâ.* pag. 266.
In Feriâ V. primæ hebdomadæ : *De Precatione.* pag. 309.

XIV. 230.

## INDEX.

In Feriâ VI. primæ hebdomadæ : *De Prædeſtinatione.* pag. 349.
In Dominicâ ſecundæ hebdomadæ : *De Chriſtianæ Legis ſapientiâ & ſuavitate.* pag. 395.
In Feriâ II. ſecundæ hebdomadæ : *De Impœnitentiâ ut vocant finali.* pag. 430.
In Feriâ IV. ſecundæ hebdomadæ : *De Ambitione.* pag. 468.

FINIS.



PRIVI-

# APPROBATIO
## R. P. PROVINCIALIS.

EGo Carolus Dauchez Provincialis Societatis Jesu in Provincia Franciæ, potestate mihi facta à Reverendo admodum Patre nostro Generali, facultatem concedo *P. Ludovico de Saligny*, ut Conciones *P. Ludovici Bourdaloue* per Quadragesimam habitas, ab ipso latinè redditas, atque à tribus ejusdem Societatis Theologis approbatas, in lucem edere possit. In cujus rei fidem, has litteras manu mea subscriptas, & sigilio meo munitas dedi.

*Flexiæ* 13. *Julij* 1713.

Carolus Dauchez.

XIV. 30.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIV 32.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIV. 30.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X. IV. 30.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN